This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

C 9395.10.F(2)

Harvard College
Library

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SANCTI-DEODATI.

A S. RITUUM CONGREGATIONE ADPROBATA ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

LUDOVICI-MARIÆ-JOSEPHI-EUSEBII CAVEROT,

EPISCOPI SANCTI-DEODATI, EDITA.

11710
D.O.M
2

PARS HIEMALIS.



MECHLINIÆ,

H. DESSAIN, SUCCESSOR P. J. HANICQ, SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.

MDCCCLXVI.

C 9395.10 (2)

HARVARD COLLEGE LIBRARY
TREAT FUND
CHARTRAND COLLECTION
JUNE 8, 1928

LUDOVICUS-MARIA-JOSEPHUS-EUSEBIUS CAVEROT, miseratione divina et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia, Episcopus Sancti-Deodati,

Omnibus Præsentes visuris salutem in Domino.

Cum BREVIARIO ROMANO additum fuerit Proprium a Sacra Rituum Congregatione approbatum pro diœcesi Sancti-Deodati, hujus Proprii impressionem commisimus dilecto Nobis D.H. Dessain, typographo, excusumque et a revisoribus idoneis a nobis ad id deputatis recognitum, postquam constitit, diligenti collatione facta, cum suo originali illud convenire, idem approbavimus evulgandique licentiam dedimus, prout, per Præsentes approbamus ac liçentiam damus.

In quorum fidem, hasce subsignavimus, sigilloque nostro ac Cancellarii nostræ Sedis chirographo muniri mandavimus.

Sancti-Deodati, 28 Aprilis 1866.

† LUDOVICUS-MARIA, EPISC. SANCTI-DEODATI.

De Mandato Illustr. et Rev. DD. Episcopi,

BALLAND, *Can. Cançell.*

OFFICIA PROPIRA

DIOECESIS SANCTI-DEODATI.

PARS HIEMALIS.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA DECEMBRIS.

DIE VI. DECEMBRIS.

S. Nicolai, Episc et Conf.
Lotharingiæ Patroni.
Duplex 2. Classis.

Omnia ut in Breviario, præter seq.

In 1. Vesperis, Añæ de Laud.

Capitulum.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus : et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus.

Tanta quæ virtus tua, Nicoláe,
Tránstulit nomen géminos ad axes?
Sol tuos surgens videt, occidénsque
Semper honóres.

E sinu matris tibi durus infans,
Signa virtútis déderas futúræ;
Te diu multa prece postulárat
Mater ad aras.

Molle qui corpus puer immolábas,
Súbtrahens certis tibi lac diébus,
Póntifex, qualis grege pro tuéndo
Víctima fies!

O tuas dicat quis amóris artes,
Nube qui densa benefácta celas,
Vírginum custos, pater et relíctis
Tutor egénis!

Rebus angústis nimis inquiétus,
Mox suas prodet pater ipse natas;
Turpe venális prétium pudóris
Allicit aurum.

Nocte tu cæca, fúgiens vidéri,
In domum patris, per apérta claustra,
Cautus injécto dúbium pudórem
Asseris auro.

Fac, Deus, sic nos ténebras amáre,
Ut tibi semper placeámus uni;
His erit quondam, retegénte Christo,
Glória factis. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magníficat, Aña.

O Pastor ætérne, qui, dum devóti gregis preces atténderes, voce lapsa de cœlo Præsuli sanctíssimo dignum Episcopátu Nicoláum ostendísti, nostris adésto cánticis, allelúia.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorásti miráculis : tríbue, quæsumus; ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

Com. Adventus.

Ad Matutinum. Invit. Regem confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus. Ps. 94. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Quantus est, cujus véniens ad ædem,
Dexterum sentit sibi quisque numen,
Et domum semper redit impetráto
Múnere lætus!

Prófuit vivus, favet et sepúltus;
It salutáris liquor e sepúlchro :
Turba languéntum, properáte, præstat
Ille salútem.

Te nurus castæ, viduæque matres,
Vírgines, sponsæ, júvenes senésque,
Omnis et sexus réperit patrónum,
Omnis et ætas.

Te procellósi tremuére fluctus;
Ut jubes, proni posuére venti;
Te vocant nautæ, maris æstuósi
Unda quiéscit.

En vides quantis agitáta curis
Corda, quot tristes rápiant procéllæ!
Advola promptus, rege nos, dolósum
Cúrrimus æquor.

Summa laus Patri, tibi summa, Nate,
Cujus ætérnum bene Nicoláus
Víndicat numen; tibi par, supérni
Nexus, amóris. Amen.

In j. Nocturno Lectiones, Fidélis sermo de Comm.

In iij. Noct. ad viij. Lect. ℟. Ex ejus tumba sacrum resúdat óleum, quo liníti sanántur cæci, surdis audítus rédditur, * Et débilis quisque sospes resílit. ℣. Currunt pópuli cérnere cupiéntes quæ per eum fiunt mirácula. Et. Glória Patri. Et.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Beátus Nicoláus * ab infántia corpus jejúniis macerábat.
2. Ecclésiæ * frequéntans sacra límina, péctori mandáta Dei condébat sagáciter.
3. Sancte et juste * vivéndo, ad honórem sacerdótii méruit revelári divínitus.
4. Pontificátus * ínfula decorátus, talem se exhíbuit ut ab ómnibus amarétur.
5. O per ómnia * laudábilem virum, cujus précibus ab omni malo liberántur qui ex toto corde ínvocant illum!

Capitulum.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus. Quantus est, ut supra.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña.

O Christi píetas omni prosequénda laude, qui sui fámuli mérita late longéque declárat! Nam ex ejus sepúlchro óleum manat,

unctósque lánguidos sanat, allelúia.

Oratio.

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorásti miráculis : tríbue, quæsumus; ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

Commem. Feriæ.

Ad Horas, Añæ de Laudibus.

In ij. Vesperis, omnia ut in j, præter ult. Ps. Meménto.

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

Ad Magnificat, Aña.

Sacérdos Dómini, Nicoláe, astántem plebem corróbora sancta intercessióne, ut qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur, et, te duce, ætérna præmia consequámur.

Commem. S. Ambrosii. Episc., Conf. et Doct. Orat. ut in Brev., ac Adv.

DIE VIII. DECEMBRIS.

In Festo Immac. Concept. B. M. V.

Duplex 2. cl.

In ij. Vesp. com. S. Romarici.

Aña. **Pastor clemens Romáricus, Dei servus et amícus, per Amátum Eremítam, spiritálem duxit vitam, quam devóte sic finívit quod cœléstem acquisívit. Ergo, Christe, te rogámus, cujus esse nos optámus, ut pro nobis sit Conféssor ad te pius intercéssor. Allelúia.**

℣. **Amávit eum Dóminus et ornávit eum.** ℟. **Stolam glóriæ índuit eum.**

Oratio ut in die. Com. **Adventus.**

DIE IX. DECEMBRIS.

S. Romarici, Abbatis.

Duplex.

Omnia de Comm. Abbatum, præter seq.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Romáricum aulæ terrénæ subdúctum perículis, ad cœléstis aulæ consuetúdinem mirabíliter traduxísti : da, quæsumus ; ut cujus gaudémus méritis, ejúsdem et précibus adjuvémur, et formémur exémplis. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Invit. **Regem Confessórum Dóminum * Veníte, adorémus.**

Hymnus.

Romarice Comes, Austrásiæ decus,
Exquisíta graves te super áulicos
Magnórum extúlerat grátia Príncipum,
Solers ingénium et genus.
Quæ mox vana ruunt; te probat ásperis.
Qui jucúnda dedit ; te spóliat bonis,
Iratúmque tibi cérnere Príncipem
Patrísque intéritum jubet.
Rursum Clotárii te favor éxcipit ;
Te non aula potest frángeré sæviens ;
Te non aula potest fléctere blándiens :
Ætérno sacer es Deo.
Formátus spátiis Luxoviénsibus,
Ad limen pátrium mox álius redis :
Tranquillásque domos colle in Habéndico
Sacris Virgínibus paras.

Hic prolem géminam, dupliciter parens,
Divínis stúdiis sédulus éxcolis,
Cognatósque choros : hic ópere ínclytus,
Et virtútibus émicas.
Te trina, o Déitas, unáque, póscimus
Ut Sancti précibus, nos quoque súpplices,
Cœlésti fácias psállere pátria
Ætérnis tibi cánticis. Amen.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Romaricus in Theodebérti Austrásiæ Regis aula inter regni próceres enutrítus, sic a fallácibus mundi illécebris cavit júvenis, ut sua morum castitáte áulicis ómnibus fieret exémplũ. Várias deínde in summa regni tempestáte rerum suárum fortúnas expértus, hortatóriis sancti Amáti, quem aliquándo hóspitem habúerat, verbis ádeo suásus est, ut mundo valedícens, ad monastérium Luxoviénse vénerit, futúrus sub sancto Eustásio vitæ perféctæ discípulus.

Lectio v.

Ibi cum vanam omnem glóriam calcásset, eum virtútis gradum assecútus est, cui cibus jejúnium esset ; paupértas, opuléntia; cruciátus, delíciæ; negótium omne, exhibénda ægris et egénis charitátis offícia. Ne autem suis quidquam deésset opéribus, in prædio quod, post erogáta paupéribus ómnia, sibi ad montes Voságos supérerat únicum, duo construxit monastéria, unum viris, virgínibus álterum; ad quod tantus confluxit vírginum númerus, ut brevi fúerint pares quæ, in septem turmas divísæ, perénnem in Romárico monte (qui et Mons Sanctus dictus est) noctu ac intérdiu Deo laudem persólverent.

Lectio vj.

Abbas post sanctum Amátum præféctus utríque monastério Romáricus, post implétas summa cum laude per annos vigínti sex offícii sui partes, móritur, gratus Deo, suis diléctus, clarus méritis, et prope magístri sui Amáti túmulum sepelítur. Inde ob vastátum décimo sæculo ab Hunnis monastérium, corpus ejus ad novam trans flumen, sancti Petri ecclésiam Romaricomontánam translátum est, et in ea cónditum, donec summus Póntifex Leo Nonus, olim Tullénsis Epíscopus, Romárico Sanctórum decrévit honóres, et ipsíus relíquias in altum sústulit.

In iij. Nocturno. Hom. in Evang. Ecce nos relíquimus, ut in Comm. Conf. non Pont., iij. loco pro Abbatibus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus Aña.

Præclárus Conféssor Christi Romáricus, mortificátus júgiter in hujus sæculi vita, exútus córpore méruit perpétuam hódie vitam : quem orámus ut suis précibus nos post mortem fáciat beátum obtinére finem.

Oratio ut supra. Com. Oct. et Adventus.

Vesp. de seq., com. S. Romarici. Aña. Conféssor Dómini, Romárice, adstántem plebem corróbo-

ra sancta intercessióne, ut qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur.
℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**
Oratio ut supra. Com. Feriæ.

DIE X. DECEMBRIS.
Translat. Almæ Domus Lauret.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplemento.

DIE XVIII. DECEMBRIS.
Expectationis Partus B. M. V.
Duplex majus.
Omnia ut in supplemento.

FESTA JANUARII.

DIE II. JANUARII.
Octava S. Stephani, Protomart.
Duplex.
In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. Oct. et S. Genovefæ, Virg. Aña. **Veni, sponsa Christi, áccipe corónam quam tibi Dóminus præparávit in ætérnũ.** ℣. **Spécie tua et pulchritúdine tua.** ℟. **Inténde, próspere procéde et regna.**
Oratio.
Effunde super nos, Dómine, spíritum agnitiónis et dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti: ut sédula ejus imitatióne tibi sincére famulántes, fide tibi et ópere placeámus, Per Dóminum.

DIE III. JANUARII.
Octava S. Joannis, Apost.
Duplex.
In Laudibus com. S. Genovefæ. Aña. **Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quæréntí bonas margaritas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua, et comparávit eam.**
℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**
In Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE XVIII. JANUARII.
Cathedra S. Petri, Apost.
Duplex majus.
In ij. Vesp. com. S. Simeonis Stylitæ, ac SS. Marii et Soc., M.

DIE XIX. JANUARII.
S. Simeonis Stylitæ, Conf.
Semid. m. t. v.
(Dies fixa ex 5. hujus.)
Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.
Oratio.
Adesto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in beáti Simeónis Confessóris tui Solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit précibus adjuvémur. Per Dñum.
In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.
Lectio iv.
Simeon apud Cílices natus, óvium pastor adhuc puer, ac póstea Mónachus, mox inter cæteros virtúte fuit primus. Morum candóre longe quosque súperans, totam per hebdómadam sæpe jejúnus, severióris tamen vitæ desidério, in cistérna sicca delítuit: ex qua edúctus, tres annos in céllula egit oratiónibus ad Deum única inténtus; eáque abstinéntia ut, quadragínta diébus sine cibo transáctis, pene exanimátus quondam repértus fúerit: quam jejúnii quadragenárii ratiónem per octo et vigínti annos servávit.
Lectio v.
Tum septo quodam sibi in vértice montis extrúcto, ne ultra prógredi posset, caténam

férream ex una parte ad saxum affixam, ex áltera ad dextrum pedem alligátam excogitávit; quam tamen, monénte Milétio Epíscopo, depósuit. Cum vero multi ad eum ex remotíssimis orbis pártibus conflúerent, omnésque illum tángere et benedictiónem ab illo accípere conténderent secéssit a turba, et in colúmna statiónem fixit. Ibi dies nóctibus contínuans, expansis ad cœlum mánibus, Deum orábat, somni parcíssimus et cibi; nec cessábat inde aut fidéles ad pietátem adhortári, dissidéntium lites compónere, Ecclésiæ curáre negótia, aut infidéles, Judæos et hæréticos, confutáre. Tandem miraculórum glória et singulári vitæ sanctitáte illústris, óbiit circa annum quadringentésimum sexagésimum. Tantam fuisse apud Romános ejus sanctitátis famam ex Theodoréto refert séptima Synodus, ut illíus imágines in officinárum vestíbulis in sui præsídium et tutélam collocárent.

Lectio vj. Deridétur justi simplícitas. ut in Comm. ij. loco.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Nolíte, ut in Comm., ij. loco.

Lectio ix. de SS. Mario et Soc., ut in Brev., quorum ad Laud. com. Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXII. JANUARII.

SS. Vincentii et Anastasii, Mart.
Semiduplex.

Vesp. de seq. com. præced., S. Joseph, ac S. Emerentianæ, Virg. Mart.

DIE XXIII. JANUARII.

Desponsationis B. M. V.
Duplex majus.
Officium in Supplemento.

Lectio ix. de S. Emerentiana cujus, post S. Joseph, com. ad Laud. In Vesp. com. seq.

DIE XXIX. JANUARII.

S. Francisci Salesii, Episc., Conf.
Duplex.

In ij. Vesp. com. seq. et S. Bathildis, Reginæ, nec Virg., nec Mart. Aña. Simile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quæerénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Bathíldis festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

DIE XXX. JANUARII.

S. Martinæ, Virg. et Mart.
Semiduplex.

De S. Bathilde. Lectio ix.

Bathildis in Anglia Saxónico génere orta infántula a prædónibus capta, post várias vitæ vicissitúdines ad Clodovæi Secúndi Regis conjúgium inesperáto pertráhitur. Tum páuperes et Ecclésias Clodovæo studióse commendávit, quod ádeo gratum fuit Príncipi, ut Genésium Abbátem; póstea Lugdunénsem Epíscopum, Regínæ piis opéribus exequéndis adjutórem déderit. Mórtuo cónjuge, filiórum suórum tutélam gessit, regnúmque ad palátium exímie moderáta est, sápiens in consílio, in agéndo prudens, benígna in pópulum et in egénos liberalíssima. Multa, dum regnum régeret, in bonum tum

Ecclésiæ, tum subditórum præcláre sanxit et utíliter. Dénique, post relíctam Clotário fílio suo jam adúlto regni administratiónem, ipsa, suscépto religiónis hábitu, in monastério Calæ ad Matrónam quod extrúxerat, sub obediéntia Bertíllæ Abbatíssæ, ómnibus exémplo fuit et admiratióni; sic inter Christi ancíllas húmilis, ut a re culinária aliísque vílibus offíciis non abhorréret. Obiit in Calénsi monastério anno ætátis suæ quinquagésimo quinto.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes com. S. Bathildis.

Aña Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde próspere procéde et regna.

Oratio ut supra.

Vesp. de seq., com. præced.

FESTA FEBRUARII.

DIE II. FEBRUARII.

Purificationis B. M. V.

Duplex 2 classis.

In ij. Vesp. com. seq. et S. Blasii, Episc. et Mart., Oratio ut in Brev.

DIE III. FEBRUARII.

S. Joannæ Valesiæ, non Virginis.

Duplex.

Officium ut in Supplemento.

Lectio ix. S. Blasii, cujus ad Laud. com. In Vesp., a Cap. de seq. com. præced. et S. Isidori Pelusiotæ, Anach. Orat. A

DIE IV. FEBRUARII.

S. Andreæ Corsini, Episc. et Conf.

Duplex. m. t. v.

De S. Isidoro, Lectio ix.

Isidorus natus Alexándriæ, paréntibus quos inter et Patriárchas sanctum Cyríllum et Theóphilum fuit affínitas, património paupéribus distribúto, non longe a Pelúsio, in montem desértum ad Nili os orientále secéssit. Présbyter ordinátus, Evangélicæ veritátis et disciplínæ Ecclesiásticæ integritátem contra impugnatóres tuéri non déstitit verbo simul et exémplo. Scripsit epístolas quamplúrimas, quarum fere quarta pars ad nostram usque ætátem deláta, auctóris pietáti, non minus quam doctrínæ, testimónium pérhibet. Contra Theóphilum sancti Joánnis Chrysóstomi partes suscépit. Sanctum Cyríllum Alexandrínum, cui summæ fuit veneratióni, adjúvit máxime inter illos motus qui concílium generále Ephesínum subsecúti sunt. Ratus persecutiónes Ecclésiæ et sibi illátas ad própriam salútem non parum conférre, infrácto ánimo várias expértus tempestátes, mortem ut labórũ finem et quiétis portum suscépit, anno círciter quadringentésimo quadragésimo quinto.

Ad Laud. com. S. Isidori.

In Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE V. FEBRUARII.

S. Agathæ, Virg. et Mart.

Duplex.

In ij. Vesp. com. S. Vedasti, Oratio. Da, quæsumus; et S. Dorotheæ Virg. et Mart. Oratio ut in Brev.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Vedasti, Episcopi.

Semiduplex.

Omnia de Comm. præter seq.

In j. Noct. Lect. de Script. occur. In Quadr. Fidélis sermo.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Vedastus, relíctis ab adolescéntia paréntibus et prædiis amplíssimis, cœléstem ac véluti angélicam Tulli Leucórum vitam agébat, cum eo tránsiens Clodovæus, fusis Germánis, Remos properáret a sancto Remígio baptizándus. Vedástum, tunc Presbyterum, ex sanctitátis et doctrínæ fama cógnitum Rex ascívit viæ cómitem, ac futúrum sibi in fídei christiánæ rudiméntis præceptórem. Salutáribus illíus documéntis ad baptísmum institútus Clodovæus, Remis ab Antístite Remígio lustrálibus tinctus est aquis; cui Vedástum, quem in singulári habébat honóre, impénse commendávit, dum ipse, post accéptam baptísmi grátiam, ad regni negótia proficisceretur.

Lectio v.

Remis aliquándiu commorátus est Vedástus, totus et indefésse piis invígilans opéribus, egénis impértiens cibum, levámen ægris, afflíctis solátium, modo álios docens públice, modo privátim monens álios, omnes ubíque verbis adhórtans et infórmans exémplis, donec a sancto Remígio Atrebaténsium ordinátus Epíscopus ad gentem bárbaram et paganísmi superstitiónibus máxima ex parte déditã míttitur. Atrebátes véniens, qui commísum onus suscíperet, pópulum ténebris involútum, veritátis exórtem miserátus, nec sine lácrymis, ad felícem óperis difficíllimi éxitum misericórdiam Dei eníxe et génibus flexis auxiliatrícem sibi deprecátur.

Lectio vj.

Tum Dei opus forti adórtus ánimo, sic in pópulos curæ suæ mandátos se gessit, congréssu affábilis, benéficus máxime in páuperes, ómnia ómnibus factus, ut Christo multos acquisíverit éthnicos, et plúribus in locis ecclésias eréxerit in quibus Diáconos instítuit et Presbyteros. Tandem, exáctis in Pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, et sacro Córporis et Sánguinis Christi confirmátus Viático, ánimam Deo réddidit sexta die Februárii, anno Dómini quingentésimo trigésimo nono, multis ante et post mortem clarus miráculis. Felícem illíus tránsitum colúmna miri splendóris, a cúlmine domus in qua æger jacébat ad cœlum usque pertíngens, horárum fere duárum spátio præsignávit. Domus autem in qua Tulli degébat vir sanctíssimus, in ecclésiam erécta est, ac Deo, cui tot vivens ecclésias eréxerat, sub ipsíus Vedásti nómine et patrocínio consecráta.

In iij. Noct. Hom. in Evang. **Homo péregre proficíscens,** ut in eodem Comm., j. loco.

Lectio ix. de S. Dorothea, cujus ad Laud. com. Vesp. de seq., com. præced.

DIE VIII. FEBRUARII.

S. Joannis de Matha, Conf.

Duplex.

In ij. Vesp. a Cap de seq., com. præc., et S. Apolloniæ, Virg. et M. Aña. **Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, dedit ómnia sua et comparávit eam.**

℣. **Diffúsa est grátia in lábiis tuis.** ℟. **Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.**

Oratio. **Deus qui inter.**

DIE IX. FEBRUARII.

S. Hyacinthæ de Mariscottis, Virg. Duplex.

(Dies fixa ex 30 Januarii.)

Omnia ut in Supplemento.

Lectio ix. de S. Apollonia cujus ad Laudes commem. per Aña et ℣. de j. Vesp. **Veni sponsa Christi. Spécie tua.**

In Quadrag. Lect. ix. de Homilia Feriæ cujus com in Laud. et S. Apolloniæ.

In Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE XI. FEBRUARII.

S. Canuti, Regis Mart.

Semiduplex de præcepto.

(Ex die 19 Januarii.)

Vesp. a Cap. de seq., com. præc.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Raymundi de Pennafort, Conf.

Semiduplex. **m. t. v.**

(Ex die 23 Januarii.)

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Titi, Episcopi et Conf.

Omnia ut in Breviario.

In Quadrag. Lect. j. Noct. **Fidélis sermo.**

In ij. Vesp. com. S. Valentini, Presb. et Mart. ut in Brev.

DIE XXI. FEBRUARII.

S. Gundelberti, Episc. et Conf.

Semiduplex.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio.

Majestatem tuam, Dómine, súpplices exorámus : ut sicut nos ánnua sancti Gundelbérti, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætificas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. In Quadrag. **Fidélis sermo.**

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gundelbertus, postquam ob vitæ méritum factus esset Senoniénsis civitátis Epíscopus, timens ne sæculi perícula sibi salutíque suæ detriméntum afférrent, Episcopátum abdicáre eremúmque pétere ánimo propósuit. Itaque ad Vosági solitúdinem se cónferens, in eam vallem subintrávit ubi Senoniénse cœnóbium nuper cernebátur. Quæ autem tunc témporis sine nómine fuit, hanc solitúdinem, velut novam pátriam, Senónias appellávit. Ibi soli Deo vacáre cúpiens, loco piæ menti congruénte invénto, quam parvas habitatiónes inchoávit.

Lectio v.

Cum autem comperísset suprádictam vallem in ditióne Childérici consístere, ne aliéni juris viderétur invásor, ipsum regem, data opportunitáte, adíre státuit. Rex, ánimo benígnus, postuláta concédit, régiis sceptris data confírmat, et sancto Præsuli terram assígnat ádeo exténsam, ut ejúsdem terræ partem sancto Hydúlpho in vicínum erémum póstea adveniénti, beátus Gundelbértus liberáliter concédere non dubitáverit. Adunátis ígitur íníbi paucis frátribus, illos sub sancti Benedícti régula militáre decrévit, et sic habitántes in unum sanctíssimus Præsul strénue rexit et religióse.

Lectio vj.

DENIQUE, post imménsos in hac solitúdine tolerátos pro christo labóres, plácuit Deo suum eméritum mílitem remuneráre, illúmque sed jam non in Senoniénsi loco degéntem, ex hac ærumnósa peregrinatióne felíciter evoláre vóluit. Ita de Gundelbérto scribit beátus Petrus Damiánus, illos laudans Epíscopos qui ab honóre pontifício ad Vosagénses solitudines confúgerant : «Quid Gundelbértum præclaríssimum vidélicet archiepíscopum Sénonum? Hic plane cœlésti desidério æstuans commíssam dimísit Ecclésiam, et cœnóbium Senoniénse constrúxit, quod ex relíctæ Ecclésiæ vocábulo denominávit.»

In iij. Noct. Hom. super Evang. Vigiláte quia nescitis, ij. loco.

Vesperæ de sequenti, commemoratio sancti Gundelberti.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. Margaritæ Cortonensis Pœnit.

Semiduplex.

(Dies fixa ex 22 hujus.)

Officium ut in Supplemento.

SUFFRAGIUM S. DEODATI

PRO ECCL. CATHEDRALI.

In semid. et infra.

Ad Vesp. Aña. **Hic est fratrum amátor et pópuli Israel, hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.**

℣. **Beátus quem elegísti et assumpsísti.** ℟. **Inhabitábit in átriis tuis.**

Ad Laud. Aña. **Non recédet memória ejus et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.**

℣. **Dabis eum in benedictiónem.**

℟. **In sæculum sæculi.**

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deodáti, Confessóris tui atque Pontífcis, mérita gloriósa ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

KALENDARIUM

PROPRII SANCTI-DEODATI.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V. non impedita, **Offic. SS. Sacramenti**, Semid In Supplem.

Quolibet Sabbato non impedito, **Offic. Immaculatæ Conceptionis B. M. V.**, Semid. In Supplem.

FESTA MOBILIA.

Feria iij. post Dom. Sexages. **Orationis D. N. J. C. in monte Oliveti**, dupl maj. In Supplem.

Feria vj. post Cineres **Commem. Passionis D. N. J.C.**, dupl. maj. **Commem. Feriæ.** In Supplem.

PROPRIUM SANCTORUM.

DECEMBER.

6 **S. Nicolai, Episc. et Conf.**, dupl. 2 cl. **com. Feriæ.**

9 **S. Romarici, Abb.**, dupl. **Com. Octav. et Feriæ.**

10 **Translationis Almæ Domus Laurentanæ**, dupl. maj. **com. Feriæ et S. Melchiadis, Papæ. et Mart.**

18 **Expectationis Partus B. M. V.**, dupl. maj. **com. Feriæ.**

JANUARIUS.

3. **Octava S. Joan. Apost.** dupl. **Com. Octav. ac S. Genovefæ, Virg.**

19 **S. Simeonis Stylitæ, Conf.**, semid. (dies fixa ex 5. hujus). **Com. SS. Marii et Soc., Mart.**

23 **Desponsationis B. M. V.**, dupl. maj. **Com. S. Joseph, et S. Emerentianæ, Virg. et Mart.**

30 **S. Martinæ, Virg. et Mart** semid. **Com. S. Bathildis, Reg.**

FEBRUARIUS.

3 **S. Joannæ Valesiæ, non Virg.**, dupl. **Com. S. Blasii, Ep. et Mart.**

4 **S. Andreæ Corsini, Ep. et Conf.**, dupl. **Com. S. Isidori Pelusiotæ, Anachor.**

6 **S. Vedasti, Ep. et Conf.**, semid. **Com. S. Dorotheæ, Virg. et Mart.**

9 **S. Hyacinthæ de Mariscottis, Virg**, dupl. (Dies fixa ex 30 Januarii). **Com. S. Apolloniæ, Virg. et Mart.**

11. **S. Canuti, Reg. Mart.**, semid. **De præcepto.** (Dies fixa ex 19 Januarii).

12 **S. Raymundi de Pennafort, Conf.**, semid., (Dies fixa ex 23. Januarii).

13 **S. Titi Episc. et Conf.** dupl. (Dies fixa ex 4 Januarii).

21 **S. Gundelberti, Ep. et Conf.**, semid.

26 **S. Margaritæ Cortonensis, Pœnitent.**, semid. (Dies fixa ex 22 hujus).

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXVI.

1

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SANCTI-DEODATI.

PARS VERNA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA FEBRUARII.
FERIA SEXTA
POST DOM. I QUADRAG.
SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.
Duplex majus.

Ad Vesp. Añæ et Capit. de Laud. Ps. **Dixit Dóminus,** cum reliq. de Dñica, et loco ult. Ps. **Laudate Dñum, omnes gentes.**

Hymnus.

Exite, Sion filiæ;
Regis pudícæ vírgines,
Christi corónam cérnite,
Quam mater ipsa téxuit.
Horret, revúlsis crínibus,
Spinis cruentátum caput :
Et vultus ille décolor
Mortem propínquam réspicit.
Quæ terra sulcis ínvia,
Dumis rigens, et séntibus,
Lugúbre munus prótulit?
Quæ sæva méssuit manus?
Christi rubéscens sánguine
Acúleos mutat rosis,
Palmámque vincens frúctibus,
Spina est triúmphis áptior.
Culpis satæ mortálium
Te, Christe, spinæ vúlnerant,
Evélle nostras córdibus
Tuásque nostris ínsere.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Plecténtes corónam de spinis.
℟. Posuérunt super caput ejus.

Ad Magnificat, Aña.
Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans crucem Salvatóri suo.

Oratio ut ad Laudes.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Matutinum. Invitatorium.
Christum Regem spinis coronátum * Veníte adorémus.

Hymnus. **Exíte, Sion,** supra.

In primo Nocturno.

Aña. **Erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, et fructum suum dabit in témpore suo.** Ps. **Beátus vir,** in j. Noct. Dom.

Aña. **Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.** Psalm. **Quare fremuérunt,** in j. Noct. Dom.

Aña. **In tribulatióne dilatásti mihi.** Psalm. **Cum invocárem,** ut ad Complet.

℣. **Glória et honóre coronásti eum, Dñe.** ℟. **Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.**

De Isaía Prophéta.

Lectio j. *Cap.* 53.

Quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet

sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti : non est spécies ei, neque decor : et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum : despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem : et quasi abscónditus vultus ejus et despectus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit : et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra : disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

℟. Maledícta terra in ópere hóminis,* Spinas, et tríbulos germinávit Christo ℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus ne coméderet. Spinas.

Lectio ij.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit : et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrùm. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum : sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia et de judício sublátus est : generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium : propter scelus pópuli mei percússi eum.

℟. Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi :* Et vidébat, quod rubus ardéret, et non comburerétur. ℣. Dixit ergo Moyses : Vadam et vidébo visiónem hanc magnam. Et.

Lectio iij.

Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívites pro morte sua : eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte ; si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur : in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

℟. Ecce ignis, et ligna, Deus providébit sibi * Víctimam holocáusti. ℣. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. Víctimam. Glória Patri. Víctimam.

In secundo Nocturno.

Aña. Dómine ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum. Ps. Verba mea, in Fer. ij. ad Laud.

Aña. Minuísti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum. Ps. Dómine, Dóminus noster, in j. Noct. Dom.

Aña. Peccatóres intendérunt arcum, paravérunt sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum. Psalm. In Dómino confído, in j. Noct. Dom.

℣. Posuísti, Dñe, super caput ejus.
℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo S. Bernárdi Abbátis.

Lectio iv. *S. 2. in Epiph. Dni.*

Egredimini, fíliæ Sion ; vobis dícimus, fíliæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ ; fíliæ, et non fílii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est vi-

rílis ánimi. Egredímini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscéntiæ ad libertátem spirituális intelligéntiæ. Egredímini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériæ : síquidem coronátus est et a novérca sua coróna spínea, coróna misériæ, coronándus a família sua coróna justítiæ, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad judícium cum senióribus pópuli sui, cum pugnábit pro eo orbis terrárum advérsus insensátos. Corónat eum et Pater coróna glóriæ; sicut ait Psalmísta : Glória et honóre coronásti eum, Dómine. Vidéte eum, fíliæ Sion, in diadémate, quo coronávit eum mater sua.

℟. Cum apparúerit Princeps pastórum, quo percússo dispérsæ sunt oves gregis, * Percipiémus immarcescíbilem glóriæ corónam. ℣. Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. Percipiémus.

Lectio v. *Serm. 42. in Cant.*

Ego, Fratres, ab ineúnte mea conversióne pro acérvo meritórum, quæ mihi deésse sciébam, mihi fascículum colléctum ex ómnibus anxietátibus, et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundántiæ suavitátis horum eructábo quoad víxero, in ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fascículus servátus est : nemo tollet eum a me : inter úbera mea commorábitur. Hæc meditári, dixi sapiéntiam : in his justítiæ mihi perfectiónem constítui; in his plenitúdinem sciéntiæ, in his divítias salútis, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritúdinis; ex his rursum suávis únctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in próspepris réprimunt, et, inter læta, tristíaque vitæ præséntis, via régia incedénti tutum præbent utrobíque ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsándo. Hæc mihi concíliant mundi Júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem, humilémque figúrant, dum non solum placábilem, sed et imitábilem repræséntant eum, qui inaccessíbilis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

℟. Accépit regnum decóris * Et diadéma speciéi. ℣. Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Et.

Lectio vj.

Hæc proptérea mihi in ore frequénter, sicut vos scitis; hæc in corde semper, sicut Deus scit : hæc stylo meo ádmodum familiária, sicut appáret : hæc mea sublímior ínterim philosophía; scire Jesum, et hunc crucifíxum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in merídie, quem lætus ampléctor mea inter úbera commorántem. Non requíro ubi pascat in merídie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius : panis illud, hoc lac :

hoc víscera réficit parvulórum; hoc replet úbera matrum; et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fascículum collígite vobis : hunc medúllis insérite cordis, hoc muníte áditum péctoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habuéritis, quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, lévius portábitis, ipso auxiliánte Ecclésiæ sponso; qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

℟. Arcam de lignis Sethim deaurábis auro mundíssimo intus, et foris : * Faciésque super corónam áuream per circúitum. ℣. Pones in Arca testificatiónem, quam dabo tibi. Faciésque. Glória Patri. Faciésque.

In tertio Nocturno.

Aña. Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo. Ps. Dñe, quis habitábit. in j. Noct. Dom.

Aña. Super caput ejus corónam de lápide pretióso posuísti, Dómine. Psalm. Dómine, in virtúte tua, in iij. Noct. Dom.

Aña. Advérsus eos qui tríbulant me impinguásti in óleo caput meum. Psalm. Dóminus regit me, Fer. v. ad Prim.

℣. Coróna áurea super caput ejus. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 19.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus. Et réliqua.

Homilía S. Bernárdi Abbátis.

Ex Serm. 50. *de diversis.*

Vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille : et signíficat Jesum Christum nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exílio : Ecclesiástes, id est, concionátor in judício : Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ubíque rex. In exílio mansuétus, in judício justus, in regno gloriósus. In exílio amábilis, in judício terríbilis, in regno admirábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam lóquor, quæ se ei non matrem exhíbuit, sed novércam.

℟. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Sethim : * Faciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. Faciésque. Bened. Divínum auxílium.

Lectio viij.

Coronabit eum família sua coróna justítiæ, et in hac terríbilis : corónat eum Pater suus coróna glóriæ, et in hac desiderábilis. Vídeant ergo eum peccatóres in coróna misériæ, id est, spínea, et compungántur : vídeant eum fíliæ Sion, ánimæ affectuósæ, in coróna misericórdiæ, et imiténtur; vidébunt eum ímpii in coróna justítiæ, et períbunt; vidébunt eum sancti in coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur

quidem et álii imitatóres ipsius, sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus, tamquam sponsus e thálamo procéssit ex útero matris.

℟. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus, * Ipse est, qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. Ipse. Glória Patri. Ipse.

Lectio ix. dicitur de Hom. Fer. Te Deum laudámus, post iij. Noct. Dom.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Diléctus meus cándidus, et rubicúndus, comæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus. Psalm. Dóminus regnávit. cum reliq. de Dñica, ad Laud.
2. Requiévit super eum spíritus timóris Dñi : coróna sapiéntiæ, et exultatiónis decorávit illum.
3. Induit eum Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ quasi sponsum decorátum coróna.
4. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.
5. Rex ætérnæ glóriæ pro nobis coronátus, benedícet corónæ anni benignitátis suæ.

Capitulum. *Cant.* 3.

Egredimini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus.

Legis figúris píngitur
Christi Coróna nóbilis :
Impléxa spinis víctima,
Ardénsque testátur rubus.
Arcam coróna cínxerat,
Mensæque sacrum círculum ;
Arámque thure fúmidam
Coróna nectit ámbiens.
Christi dolórum cónscia,
Salve, Coróna glóriæ,
Gemmis et auro púlchrior,
Vincens corónas síderum.
Virtus, honor, laus, glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sæculórum sæcula. Amen.

℣. Eris Coróna glóriæ in manu Dómini. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui.

Ad Benedictus, Aña.

Exívit Jesus portans spíneam Corónam, et purpúreum vestiméntum.

Oratio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris ; ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum.

Et fit commem. Feriæ.

Ad Tertiam, Aña.

Requiévit super eum.

Capit. Egredímini, supra.

℟. br. Eris Coróna glóriæ : * In manu Dómini. Eris. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In. Glória Patri. Eris. ℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Sextam, Aña.

Induit eum.

Capitulum. *Apoc.* 6.

Vidi : et ecce equus albus : et qui sedébat super illum, habébat arcum : et data est ei

coróna; et exívit vincens, ut vínceret.

℟. br. Glória, et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória, et. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et. ℣. Tuam Corónam adorámus, Dómine. ℟. Tuam gloriósam recólimus Passiónem.

Ad Nonam, Aña.

Rex ætérnæ glóriæ.

Capitulum. *Isaiæ* 28.

In die illa erit Dñus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exultatiónis, resíduo pópuli sui.

℟. br. Tuam Corónam * Adorámus, Dómine. Tuam. ℣. Tuam gloriósam recólimus Passiónem. Adorámus. Glória Patri. Tuam. ℣. Plecténtes Corónam de spinis. ℟. Posuérunt super caput ejus.

In ij. Vesperis, omnia ut in j.

Ad Magnificat, Aña.

Et genufléxo ante eum illudébant ei, dicéntes : Ave, Rex Judæórum : et expuéntes in eum accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

Oratio. Præsta quæsumus.

Deinde fit com. Feriæ.

DIE III. FEBRUARII.

S. Joannæ Valesiæ, non Virg. Duplex.

Officium in Supplemento.

Lectio ix de Homilia Fer. cujus commem. in Laud.

In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE V. FEBRUARII.

S. Agathæ, Virg. et Mart. Duplex.

In ij. Vesp. com. S. Vedasti, Oratio. Da, quæsumus; et S. Dorotheæ, Virg. et Mart. Oratio ut in Brev.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Vedasti, Episc. Semidupl.

Omnia de Comm. præter seq.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. In Quadrag. Fidelis sermo, de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Vedastus, relíctis ab adolescéntia paréntibus et prædiis amplíssimis, cœléstem ac véluti angélicam Tulli Leucórum vitam agébat, cum eo tránsiens Clodovæus, fusis Germánis. Remos properáret a sancto Remígio baptizándus. Vedástum, tunc Presbyterum, ex sanctitátis et doctrínæ fama cógnitum Rex ascívit viæ cómitem, futúrum sibi in fídei christiánæ rudiméntis præceptórem. Salutáribus illíus documéntis ad baptísmum institútus Clodovæus, Remis ab Antístite Remígio lustrálibus tinctus est aquis; qui Vedástum, quem in singulári habébat honóre, impénse commendávit, dum ipse, post accéptam baptísmi grátiam, ad regni negótia proficiscerétur.

Lectio v.

Remis aliquándiu commorátus est Vedástus, totus et indefésse piis invígilans opéribus, egénis impértiens cibum, levámen ægris, afflíctis solátium, modo álios docens públice, modo privátim monens álios, omnes ubíque verbis adhórtans et infórmans exémplis, donec a sancto Remígio Atrebaténsium ordinátus Epíscopus, ad gentem bárbaram et paganísmi superstitiónibus máxima ex parte déditam míttitur. Atrebátes véniens, qui commissum

onus susciperet, pópulum ténebris involútum, veritátis exsórtem miserátus, nec sine lácrymis, ad felícem óperis difficíllimi éxitum misericórdiam Dei eníxe et génibus flexis auxiliatrícem sibi deprecátur.

Lectio vj.

Tum Dei opus forti adórtus ánimo, sic in pópulos curæ suæ mandátos se gessit, congréssu affábilis, benéficus máxime in páuperes, ómnia ómnibus factus, ut Christo multos acquisíverit éthnicos, et plúribus in locis ecclésias eréxerit, in quibus Diáconos instítuit et Presbyteros. Tandem, exáctis in Pontificátu annis quadragínta, febre corréptus, et sacro Córporis et Sánguinis Christi confirmátus Viático, ánimam Deo réddidit sexta die Februárii, anno Dómini quingentésimo trigésimo nono, multis ante et post mortem clarus miráculis. Felícem íllius tránsitum colúmna miri splendóris a cúlmine domus in qua æger jacébat ad cœlum usque pertíngens, horárum fere duárum spátio præsignávit. Domus autem in qua Tulli degébat vir sanctíssimus, in ecclésiam erécta est, ac Deo, cui tot vivens ecclésias eréxerat, sub ípsius Vedásti nómine et patrocínio consecráta.

In iij. Nocturno. Hom. in Evang. **Homo péregre**, ut in eodem Comm. j. loco.

Lectio ix. de Hom. Fer. cujus ad Laud. com. et S. Dorotheæ.

Vesp. de seq., com. præc. et Fer.

DIE VIII. FEBRUARII.

S. Joannis de Matha, Conf. Duplex.

In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced. Feriæ et S. Apolloniæ, Virg. et Mart. Oratio Deus, qui inter.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Hyacinthæ de Mariscottis, Virg. Duplex.

(Dies fixa ex 30 Januarii.)

Omnia in Supplemento.

Lect. ix. de Hom. Fer. cujus ad Laud. com. et S. Apolloniæ.

In Vesp. a Cap. de seq., com. præced. et Feriæ.

DIE XI. FEBRUARII.

S. Canuti, Reg., Mart. Semiduplex. De præcepto.

(Ex die 19 Januarii.)

In j. Noct. Lect. **Fratres, Debitóres**, de Comm. plur. Mart.

Lect. ix. de Homilia Fer. cujus com. in Laud.

In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced. et Fer.

DIE XII. FEBRUARII.

S. Raymundi de Pennafort, Conf. Semiduplex.

(Dies fixa ex 23 Januarii.)

In j. Noct. Lect. **Justus**, de Comm. j. loco.

Lect. ix. de Hom. Fer. cujus com. in Laud.

Vesp. de seq., com. præced. et Fer.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. Titi, Episcopi et Conf. Duplex. (m. t. v.)

Omnia ut in Breviario.

In j. Noct. Lect. **Fidélis sermo.**

Lect. ix. de Hom. Fer. cujus com. in Laud.

In ij. Vesp. com. Feriæ et S. Valentini, Presb. et Mart.

DIE XXI. FEBRUARII.

S. Gundelberti, Episc. et Conf. Semiduplex.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio.

Majestatem tuam, Dómine, súpplices exorámus ut sicut nos ánnua sancti Gundelbérti Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætíficas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

Com. Feriæ.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr. In Quadrag. **Fidélis sermo.**

In secundo Nocturno

Lectio iv.

Gundelbertus, postquam ob vitæ méritum factus esset Senoniénsis civitátis Epíscopus, timens ne sæculi perícula sibi salutíque suæ detriméntum afférrent, Episcopátum abdicáre eremúmque pétere ánimo propósuit. Itaque ad Vósagi solitúdinem se cónferens, in eam vallem subintrávit ubi Senoniénse cœnóbium nuper cernebátur. Quæ autem tunc témporis sine nómine fuit, hanc solitúdinem, velut novam pátriam, Senónias appellávit. Ibi soli Deo vacáre cúpiens, loco piæ menti congruénte invénto, quam parvas habitatiónes inchoávit.

Lectio v.

Cum autem comperísset supradíctam vallem in ditióne Childérici consístere, ne aliéni juris viderétur invásor, ipsum regem, data opportunitáte, adíre státuit. Rex, ánimo benígnus, postuláta concédit, régiis sceptris data confírmat, et sancto Præsuli terram assígnat ádeo exténsam, ut ejúsdem terræ partem sancto Hydúlpho in vicínum erémum póstea adveniénti, beátus Gundelbértus liberáliter concédere non dubitáverit. Adunátis igitur ínibi paucis frátribus, illos sub sancti Benedícti régula militáre decrévit, et sic habitántes in unum sanctíssimus Præsul strénue rexit et religióse.

Lectio vj.

Denique, post imménsos in hac solitúdine tolerátos pro Christo labóres, plácuit Deo suum eméritum mílitem remuneráre, illúmque, sed jam non in Senoniénsi loco degéntem, ex hac ærumnósa peregrinatióne felíciter evoláre vóluit. Ita de Gundelbérto scribit beátus Petrus Damiánus illos laudans Epíscopos, qui ab honóre pontifício ad Vosagénses solitúdines confúgerant: « Quid Gundelbértum præclaríssimum vidélicet Archiepíscopum Sénonum? Hic plane cœlésti desidério æstuans commíssam, dimísit Ecclésiam, et cœnóbium Senoniénse constrúxit, quod ex relíctæ Ecclésiæ vocábulo denominávit. »

In iij. Noct. Hom. in Evang. **Vigiláte quia**, ij. loco.

Lect. ix de Hom. Feriæ.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. Margaritæ Cortonensis, Pœnit.

Semiduplex.

(Dies fixa ex 22 hujus.)

Officium ut in Supplemento.

FESTA MARTII.

DIE XVII. MARTII.

S. Patritii, Episc. Conf.

Duplex.

Vesp. de seq., com. præc. et Quadr.

DIE XVIII. MARTII.

S. Gabrielis, Archangeli.

Duplex majus.

Officium ut in Supplemento.

Vesp. de seq., com. præced. et Quadr.

FESTA APRILIS.
DIE XIX. APRILIS.
S. Leonis IX. Papæ, et Conf.
Duplex majus. Oratio.

DEUS, qui beátum Leónem Confessórem tuum atque Pontíficem, Sanctórum tuórum méritis coæquásti : concéde propítius ; ut qui Commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

In j. Noct. Lect. Fidélis sermo, de Communi.

In secundo Nocturno.
Lectio iv.

TULLENSEM Sedem doctrína et sanctitáte illustrávit undécimo sæculo Leo Papa Nonus. Bruno ántea vocátus, ex nobilíssima Dagsburgénsi prosápia prognátus, et Cæsárum affínis. Quinquénnis Bertholdo Tulléusi Epíscopo lítteris et disciplínis imbuéndus tráditur; et, crescénte ætáte, tantis quoque profécit sciéntiæ et virtútum increméntis, ut ejúsdum Ecclésiæ factus Canónicus, ac póstmodum Ecclésiæ nostræ Sancti-Deodáti électus Præpósitus, progréssu tandem témporis unánimi cleri et pópuli voce in Sedem sancti Mansuéti súffici merúerit. Quo in múnere dum omnes pastóris vigilantíssimi partes ad impléret, ómnium Cardinálium suffrágiis,ac commúni fidélium gratulatióne,ad sanctíssimam Petri Sedem evéctus est ; et in ea sedit annis quinque, duóbus ménsibus , diébus octo. Vir omni virtútum génere exímius, ut apostólicum hoc munus implére nullis labóribus, nullis súmptibus,nullis incómmodis pepércit.

Lectio v.

GERMANIAM et Itáliam sæpius, Gálliam semel aut bis visitávit : quo in itínere suam Tullénsem invísit Ecclésiam quam ádeo diléctam hábuit,ut Románus licet Póntifex,Epíscopi Tullénsis nec re , nec nómine, nisi tribus annis exáctis, cédere volúerit. Hábuit novem concília , Rhemis , Mogúntiæ , Vercéllis , Pápiæ, Romæ, ad restaurándos Christianórum mores. Multas lítteras ad Imperatóres, Reges, Patriárchas , Epíscopos, zelo ac pietáte fragrántes scripsit. Legátos ad Imperatórem Constantinopolitánum , pro reductióne Græcórum, semel atque íterum misit, Berengárium hæréticum semel iterúmque damnávit, et Michaélem Cerulárium Patriárcham, insígnem schismáticum, anathémate pérculit.

Lectio vj.

DUM Romæ ágeret, ter in hebdómada a sacrosáncta ecclésia Lateranénsi ad Vaticánam,nudis pédibus,noctu,orans et psallens pergébat. Príncipi Apostolórum décimam oblatiónum partem,sibi de more competéntem , Pontifício diplómate cessit. Patrimónium suum próprium in erectiónem monastérii impéndit; unde étiam quotánnis pecúnia submitterétur in sumptus Rosæ áureæ,quam Románi Pontífices antíquo et solémni ritu benedícunt. In páuperes et peregrínos effúsam liberalitátem exércuit.Sub lepRósi forma et hábitu , Christum aliquándo próprio lecto excépit. Dénique,multis pro Ecclésia labóribus exantlátis, óbiit die dé-

cima nona Aprílis, anno millésimo quinquagésimo quarto, ante et post mortem multis clarus miráculis, ac sepúltus est in Vaticáno.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Lectio vij. *Cap.* 17.

In illo témpore : Hæc locútus est Jesus : Pater sancte, serva eos in nómine tuo quos dedísti mihi, ut sint unum sicut et nos. Et réliqua.

Homilía S. Leónis Noni Papæ.

Ep. 1, *ad Mich. Const. Patr.* II, III.

Væ mundo a scándalis : quia cum pene omnes páginæ divínæ nos páriter invítent ad bonum unitátis et pacis, quátenus cor unum et ánima una sit nobis in eo qui unánimes in domo sua, quæ est cathólica Ecclésia, habitáre facit; exstitére tamen, et exístunt míseri hómines, sua, non quæ sunt Jesu Christi, quæréntes, per ómnia milítibus Dóminum glóriæ crucifigéntibus nequióres. Illi si quidem corruptíbili túnicæ ipsíus, quia inconsútilis et désuper contéxta erat per totum, pepercérunt, dicéntes : non scindámus eam, quadam útique reveréntia admiráti et textrícis diligéntiam et óperis elegántiam.

Lectio viij.

Isti vero incorruptíbili charitáti ejus, qua unívit Ecclésiam, ut exhibéret sibi vestem gloriósam, non habéntem máculam aut rugam, ímpias et sacrílegas manus ad discindéndum illam crudéliter injíciunt, linguas magníloquas et dolósas ad confodiéndum illam exácunt, níhili pendéntes ineffábili et speciáli artifício coætérnæ Deo Patri sapiéntiæ compáctam et contéxtam, nec humáno ingénio, seu philosophórum syllogísmis aut argumentatiónibus consútam. Stulta enim mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes. Neque enim per rhetóres et sophístas collégit piscatóres, sed per piscatóres et símplices piscátus est sophístas et oratóres.

Lectio ix.

Verum erubéscat et confundátur ímpia hæresis, impudénter ínhians sectióni atque divisióni insecábilis et indivisíbilis unitátis, reclamánte et repugnánte non solum ipsíus unitátis natúra, sed étiam humánæ sapiéntiæ conjectúra. Discédant ergo pérfidi corvi, milvi, vúltures, et quæcúmque laniátu vel morte aliéna pascúntur aves. Sola colúmba ad arcam rédeat; et, super caput Dómini Jesu manens, totum corpus ejus, quod est Ecclésia, úniat, infúndat et rápleat; unicámque colúmbam de divérsæ professiónis et natiónis homínibus, quasi de divérsis membris efficiat, cui voce cápitis, quod est ipse Christus, dicat : Una est colúmba mea, perfécta mea, immaculáta mea.

Te Deum laudámus.

DIE XXII. APRILIS.

SS. Soteris et Caii, Pont. Mart.

Semiduplex.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXIII. APRILIS.

S. Gerardi, Episc. et Conf.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. Pont. præter seq.

In j. Vesp. Añæ et Cap. de Laud.

Hymnus.

Jesu, Sacerdótum decus,
In hac die qua glória
Sanctum corónas Præsulem,
Votis adésto súpplicum.
Cui probátus præmium,
Amóris, et pignus tui,
A Patre tráditos tibi
Accépit agnos páscere.
Hos novit et præit vocans
In tuta quemque páscua,
Victúmque præbet; áudiunt,
Sequúntur, et vivunt oves.
Quam sentit errántem jugis,
Hanc nocte quærit ac die ;
Et gaudet invéntam suo
Portans ovíli réddere.
Arcet freméntes béstias,
Lupi retúndit ímpetus,
Dolósque fallit, vel mori
Caro parátus pro grege.
Offert frequéntem víctimam
Cum plebe Pastor ínnocens,
Secúmque devótum gregem
Pius Sacérdos ímmolat.
Supréme Christe Póntifex,
Jugis tibi sit glória,
Cum Patre cumque Spíritu,
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit Dóminus servum suum, allelúia. ℟. Páscere hæreditátem suam, allelúia.

Ad Magnificat, Aña.

O Gerárde, Tullénsium bone dux et refúgium, audi preces humílium ; nobis confer auxílium nunc et in mortis hora. Allelúia.

Oratio ut Ad Laudes.

Hymnus. Jesu Sacerdótum. ut supra in Vesp.

In j. Nocturno. Lect. Fidélis sermo, ut in Comm. Conf. Pont.

℟. j. Ecce servus meus, suscípiam eum : eléctus meus, complácuit sibi in eo ánima mea; * Dedi spíritum meum super eum, allelúia, allelúia. ℣. Bonum est viro cum portáverit jugum Dómini ab adolescéntia sua. Dedi.

℟. ij Educátus in disciplína et correptióne Dómini, accépit armatúram Dei, et in ómnibus stetit perféctus, labórans * In verbo et doctrína, allelúia, allelúia. ℣. Non sibi soli laborávit, sed ómnibus exquiréntibus veritátem. In.

℟. iij. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis et quasi sol refúlgens, * Sic refúlsit in templo Dei, allelúia, allel. ℣. Sicut ignis effúlgens, et sicut thus ardens in igne. Sic. Glória Patri. Sic.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Gerardus, in Colóniæ Agrippínæ fínibus natus, íbidem in Metropolitána sancti Petri Ecclésia pietátem et lítteras edóctus, et per síngulos sacri offícii gradus ascéndens, factus est Ecclésiæ Cellárius. Mórtuo Gauzélino Tulléns Epíscopo, clerus populúsque legátos misérunt ad Brunónem Archiepíscopum Coloniénsem Magni Ottónis fratrem, Imperatóris vices in illis pártibus agéntem, et ut dignum Tulléns Ecclésiæ Pastórem delígeret ab eo petiérunt. Deliberánte Archiepíscopo cum cléricis suis, quis eórum tanto óneri par esse posset, Decánus Ecclésiæ Coloniénsis Gerárdum propósuit, vera, inquit, humilitáte subjéctum, prompta obediéntia clarum, et longánimi patiéntia probátum. Quod cum omnes, præsértim Bruno, approbássent, Gerárdus Pónti-

fex inaugurátus est, quarto Kaléndas Aprílis, anno nongentésimo sexagésimo tértio. Ubi primum Ecclésiæ suæ possessiónem adéptus est, id unum curávit ut, tamquam bonus Pastor, ómnibus præbéret exémplum bonórum óperum, in doctrína, in integritáte, ut ait Apóstolus; nemo ítaque illo cástior, nemo continéntior fuit.

℟. O beátum virum, quem Dóminus suscépit infántem, quem proficiéntem diléxit, quem perféctum decorávit: * Vera humilitáte subjéctum, prompta obediéntia clarum, longánimi patiéntia probátum, allelúia, allelúia. ℣. Euge, serve bone, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam. Vera.

Lectio v.

Injurias sibi ab ímprobis illátas mira tolerávit patiéntia. Divínis Ecclésiæ officiis assíduus, sacræ Scriptúræ sanctorúmque Patrum lectióni affíxus, ecclesiárum regímini perpétuo inténtus fuit. Páuperum se patrem exhíbuit; cathedrálem ecclésiam a fundaméntis eréxit, redítibus auxit, relíquiis ditávit. Ecclésiam sancti Gengúlphi ædificávit, dotávit et canonicórum collégio decorávit, cum prius in ea sanctimoniáles instituísset. Insígne nosocómium, Domum Dei nuncupátum, Tulli fundávit. Dénique óptimis munívit civitátem légibus. Tot tantásque virtútes multis magnísque Deus illustrávit miráculis, sancti Præsulis mérito vel intercessióne patrátis; nam inprímis spíritu prophético cláruit, et multa, vel futúra, vel quæ procul fiébant, quasi cernuísset óculis, prænuntiávit. Fruméntum in ipsíus recónditum hórreis, témpore famis, sic ejus précibus et in Deum fidúcia multiplicátum est, ut quod aléndis vix sufficiébat doméstícis, univérsis ad messem usque suffécerit paupéribus.

℟. Diléxit decórem domus Dei et locum habitatiónis glóriæ ejus :* Ideo requiéscet in monte sancto ejus, allelúia, allelúia. ℣. Ædificávit templum sanctum Dómino, in quo instábat oratiónibus et obsecratiónibus die ac nocte. Ideo.

Lectio vj.

Lethali aliquándo morbo labórans, sanátus est intercessióne sanctórum Mansuéti et Apri, quorum ad se relíquias afférri jússerat et in sancti Joánnis Baptístæ oratório repóni, ubi vigíliæ celebrabántur. Peste civitátem vastánte, solémnem ad sanctum Aprum instítuit processiónem, ibíque ordináta septifórmi litánia, multis étiam ab ipso profúsis lácrymis, Deum placávit, civibúsque misericórdiam et flagélli cessatiónem impetrávit. Mortis suæ tempus prænóscens, senex jam et grandævus, dum matutínum recitáret offícium in ecclésia cathedráli, ante altáre sancti Blásii morbo corréptus est, continuóque ad léctulum suum delátus, cunctis qui áderant benedíxit, sacrum recépit Viáticum, summáque cordis ac vultus lætítia futúræ vitæ gáudia præsígnans felíciter obdormívit. Eódem témpore sanctus Maiólus Abbas Cluniacénsis de morte ejus, Deo revelánte, admónitus, mónachos

suos vocávit, rem divínitus accéptam narrávit, et ut pro Dei servo preces fúnderent, hortátus est. Congregátis finítimis Epíscopis et Províncíæ Primóribus, sepúltus est in médio chori: unde sacros ejus artus póstea magna celebritáte levávit Leo Nonus Papa et Epíscopus Tullénsis, cum prius pium Pastórem in synodo Romæ hábita Sanctórum albo adscripsísset.

℟. Cui vita Christus fuit,* Páuperes, Christi membra, sicut seípsum diléxit, allelúia, allelúia.
℣. In aléndis paupéribus área fruménti, mira multiplicatióne, íntegra persevérat. Páuperes. Glória Patri. Páuperes.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Homo péregre, de Comm. Conf. Pont. j. primo loco.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ad præsulátum * quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit, allelúia.
2. Póntifex sanctus, * ínnocens mánibus et mundo corde introívit in átria Dómini ut sacrificáret hóstiam laudis, allelúia.
3. Constánti péctore * pro lege Dei advérsus ímpios murum se válidum oppósuit, allelúia.
4. Carnem suam * Póntifex ínnocens domábat, ut digna Deo mererétur fieri hóstia, allelúia.
5. Laudémus * cœli Dóminum et Sancti sui méritum, ut per ejus suffrágia nos ferat ad cœléstia, allelúia.

Capitulum. *Eccli.* 50.

Ecce Sacérdos magnus qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum, templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est; duplex ædificátio et excélsi paríetes templi.

Hymnus et ℣. de Comm.

Ad Benedictus, Aña.

Dux fídei, pietátis doctor, mundi lampas, sacerdótum decor, fecísti quæ docébas, despíciens carnem, adhærens Deo permanénti. O beáte Gerárde, memor tuárum óvium, sta coram summo Júdice, causam nostræ paupertátis coram eo sústine, allel.

Oratio.

Misericordiam tuam nobis, quæsumus, Dómine interveniénte beáto Gerárdo, Confessóre tuo atque Pontífice cleménter impénde; et nobis peccatóribus ipsíus propitiáre suffrágiis. Per Dóminum.

In ij. Vesperis, Añæ et Capit. de Laud. Hymn. ut in j. Vesp.
℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Ad Magnificat, Aña.

O vigil, o bone Pastor, o indefésse veritátis præco, Gerárde! vota nostra et preces ne despícias, sed qui te láudibus éfferunt, pietátis sinu compléctere, allel.

Com. S. Fidelis a Sigmaringa, Mart.

DIE XXVII. APRILIS.

S. Georgii, Mart. Semidup.

(Dies fixa e 23 hujus.)

Omnia ut in Breviario.

In ij. Vesp. a Cap. de seq. com. præc et S. Vitalis, Mart.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. Mariæ Ægyptiacæ.

Semid. ad libit.

(Dies fixa ex 2. hujus.)

Omnia de Comm. non Virg. præter sequentia.

Oratio

LARGIRE nobis, miséricors Deus, ut beáta María Ægyptia, quæ, te super ómnia diligéndo, suórum accépit véniam delictórum, pœniténtiæ salutáris donum nobis obtíneat. Per Dñum.

Com. præced. Aña. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia : vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allel. ℣. Pretiósa.

Oratio ut supra.

Com. S. Vitalis. Aña. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dñe, et ætérnitas témporum, allelúia. ℣. Sancti et justi in Dómino gaudéte, allelúia. ℟. Vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúia.

Oratio ut in Brev.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARIA Ægyptia, duodecénnis, témpore Justíni Imperatóris, relictis paréntibus, Alexándriam venit, fuítque per annos septémdecim in ea civitáte peccátrix. Cum autem, Jerosólymam profécta, Calváriæ templum in festo Exaltatiónis sanctæ Crucis íngredi tentásset, ter divínitus repúlsa, in átrio coram imágine Deiparæ Vírginis se pœniténtiæ vovit, si vivíficum Crucis lignum sibi licéret adoráre.

Lectio v.

MOX templum ingréssa, vidéndi et adorándi potíta desidério, inde ad ripam Jordánis, ultra flumen, in vastíssimam solitúdinem secéssit, sumpto trium panum viático; quibus consúmptis, detritísque véstibus, ignóta permánsit annis quadragínta septem donec ad torréntem quemdam occúrrit ei Zózimus Présbyter, a quo obtínuit ut, véspere in Cœna Dómini, sibi afférret in advérsam Jordánis ripam sacrum Dómini corpus et sánguinem.

Lectio vj.

CONDICTO die ad eúmdem locum accéssit Zózimus, quo et María pervénit; recitatóque symbolo cum Oratióne Domínica, ut moris erat, divína dona suscépit; rursúmque precáta est Zózimum, ut, anno recurrénte ad eúmdem torréntem veníret. Qui, cum eo accessísset, conspéxit corpus ejus jacens in terra, in qua hæc scripta legit : « Sépeli, Abba Zózime, míseræ Maríæ corpúsculum; redde terræ quod suum est, et púlveri ádjice púlverem, orans Deum pro me quæ mórior nocte salutíferæ Passiónis, post divínæ et sacræ Cœnæ communiónem. » Pio voto obtémperans Zózimus, corpus beátum in ipso loco terræ mandávit. Unde póstea memóriæ ejus venerátio per Oriéntem et Occidéntem propagáta est.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Símile est, ut in eodem Comm.

Lectio ix. de S. Vitali, cujus ad Laudes com. Aña. Fíliæ Jerúsalem veníte et vidéte Mártyres cum corónis quibus coronávit eos Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allel. ℣. Pretiósa.

Oratio ut in Breviario.

Vesp. de seq., com. præced.

FESTA MAII.

DIE XI. MAII.

S. Francisci de Hieronymo, Conf. Semid. ad libitum.

In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE XV. MAII.
S. Isidori Agricolæ, Conf.
Semid. ad libit. m. t. v.
Officium in Supplemento.
In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE XVII. MAII.
S. Joannis Nepomuc., Mart.
Semiduplex ad libit.
Officium in Supplemento.
Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXI. MAII.
S. Felicis a Cantalicio, Conf.
Semid. ad libit. m. t. v.
Officium in Supplemento.
Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXII. MAII.
S. Paschalis Baylon, Conf.
Duplex. m. t. v.
(Dies fixa ex 17 hujus.)

DIE XXIV. MAII.
Festum B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum.
Duplex majus.
Officium in Supplemento.
In j. Vesp. com. S. Vincentii Lirinensis. Aña. Simílábo eum viro sapiénti qui ædificávit domum suam supra petram, allel. ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Oratio.

Deus qui nos beáti Vincéntii, Confessóris tui, ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

De S. Vincentio Lirinensi.
Lectio ix.

Vincentium intra mœnia sua natum, et sancti Lupi Trecénsis Epíscopi germánum fratrem nostra hæc sibi víndicat Leucórum cívitas. Is várias in sæculo turbas et tempestátes expértus, rerum humanárum pertæsus, mundo valedíxit, et in monastérium Lirinénse, tunc témporis in ínsula maris Mediterránei celebérrimum, secéssit, ut Deo totus vacáret. Nec mínimum ipse nomen dicto cóntulit monastério; quippe qui se ibi pietáte exhibúerit virum, inquit sanctus Euchérius, Lugdunénsis Epíscopus, intérno gemmárum splendóre perspícuum, nec minus doctrína quam virtútibus florúerit. Sub peregríni título, celáto ex humilitáte próprio nómine, librum áureum édidit, in quo luculénter et sólide certa státuit princípia, tum confutándis ómnium hæréseon novitátibus, tum cathólicæ veritáti asseréndæ in ævum profutúra. Obiit Theodósio et Valentiniáno regnántibus. In Martyrológio Románo his commendátur verbis ipsíus memória : In monastério Lirinénsi, sancti Vincéntii Presbyteri, doctrína et sanctitáte conspícui.

Ad Laudes com. S. Vincentii. Aña. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui, allelúia. ℣. Justum.

In ij. Vesp. fit com. sequent. et S. Urbani, ut in Brev.

DIE XXXI. MAII.
S. Angelæ Mericiæ, Virg.
Duplex.
Officium in supplemento vel in Brev.
Ad j. Vesp. com. S. Petronillæ, ut in Brev. per Aãam et ℣. e Laud. Oratio. Exáudi, et ad Laud. per Aãam et ℣. e j. Vesp.

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

SS. Photini, Episc. et Soc. Mart.

Semid. ad libit.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter seq., Oratio. Deus qui nos concédis.

In j. Vesp. com. SS. Marcellini, Petri, Erasmi, Mart., per Añam e Laud. Orat. ut in Brev.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.

Lectio iv.

Beatissimus Photínus Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus, nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo a milítibus perlátus, prosequéntibus ipsum civitátis magistrátibus, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Præside quisnam est Christianórum Deus, respóndit : Si dignus fúeris, cognósces. Post hæc, inhumáne raptátus et innúmeris plagis afféctus est cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus et pugnis illum contumeliióse appéterent ; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent ; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent, nisi pro sua parte ei petulánter insultárent. Exínde vix adhuc spirans in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit.

Lectio v.

Maturus vero neophytus, et sanctus Diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla pluribúsque áliis, ducti sunt ad béstias in amphitheátrum. Et Matúrus quidem et Sanctus illic consuéta flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus, ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo, máximo certámine perfúncti, tandem juguláti sunt. Blandína autem, ad palum suspénsa béstiis subjécta est. Quæ cum in crucis spéciem suspénsa cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus ; quippe qui sub soróris persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta.

Lectio vj.

Ineunte solémni apud nos mercátu, Præses beatíssimos Mártyres ad tribúnal jubet addúci, tamquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit ; réliquos trádidit béstiis. Post hos omnes, último tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte, nato quíndecim círciter annos. Et Pónticus quidem, cuncta

supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa tauro objécta est; a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Descéndens Jesus de monte, ut in eodem Comm., ij. loco.

Lectio ix. SS. Marcellini, Petri et Erasmi, ut in Breviario, duabus in unam junctis

Ad Laudes commem. SS. Mart. per Añam j. Vesp.

In ij. Vesp. a Capit. de seq., com. præced. et S. Clotildis. Oratio. **Exáudi.**

DIE III. JUNII.

S. Hunnæ, Viduæ. Semiduplex.

Omnia de Comm. nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

Deus qui beátam Hunnam, fámulam tuam, mirábili in páuperes charitáte decorásti: tríbue, quæsumus; ut nos eódem igne charitátis accénsi, te, qui Cháritas es, consequámur. Per Dóminum.

Com. præced. et S. Clotildis, per Añam et ℣. e Laud. Oratio **Exáudi.**

In j. Noct. Lect. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hunna Burgundiónum regum génere orta, Adálrico Alsátiæ Duci sánguine próxima, jam a tenérrimis annis ómnibus ómnium virtútum exémplar fuit et norma. Hunnóni nóbili, ditíssimo ac máxime pio viro, Hunivíllæ in Alsátia superióre degénti nupta, tota in eo fuit ut cónjugis christiánæ ac bonæ matris offícia adamússim impléret. Unicum fílium, a sancto Deodáto Nivernénsi olim Epíscopo, sibi vínculo sanctíssimæ amicítiæ juncto, baptizátum, doctrína, salutáribus mónitis et própriis præsértim exémplis ad tantam perfectiónem evéxit, ut ipse, spreto sæculo, in Novienténse monastérium sese contúlerit, ubi dignus matre fílius laudabíliter vixit et felíciter óbiit.

Lectio v.

Omnium cœléstium charísmatum laude præclára, misericórdia tamen in páuperes Hunna præcípue enítuit. Quos in ædes suas recípere, solári, fovére, largíssimis eleemósynis subleváre; eósdem ægrotántes visitáre, eórum vúlnera vel putridíssima obligáre, fœda linteámina laváre, ipsis dénique omnímodo opitulári in delíciis habébat. Monastéria plúrima amplis bonis ditávit; quæ Sigolshémii et Mediævíllæ possidébat in duas partes dívidens, una Novienténse monastérium, áltera vero Junctúras in valle Galilææ donávit, et ínsuper huic cœnóbio, quod sanctus Deodátus novíssime extrúxerat, ália prædia in Ungershémio sita munífice cóntulit.

Lectio vj.

Demum sanctitáte conspícua, bonis opéribus plena, igne divínæ charitátis consúmpta, cúpiens dissólvi et esse cum Christo, migrávit in cœlos. Beatíssimæ mulíeris memória ámodo in benedictióne fuit, et plena cum fidúcia in suis necessitátibus eam invocábant fidéles. Tandem Leo Décimus Ponti-

fex máximus beátam Hunnam in sanctórum númerum rétulit, anno a Deo hómine millésimo quingentésimo vigésimo; et ejus ossa, e túmulo extrácta, públicæ veneratióni fuérunt expósita in Hunivílla décimo séptimo Kaléndas ejúsdem anni. Sed sacræ hæ relíquiæ ab istíus pagi íncolis Luthéri nefários erróres ampléxis, anno millésimo quingentésimo quadragésimo nono, violátæ ac dispérsæ sunt; felíciter tamen asservátæ fuérunt exíguæ sanctárum exuviárum partes, quæ Hunivíllæ et in ecclésia cathedráli Sancti-Deodáti honorífice recónditæ sunt, et piæ fidélium veneratióni exponúntur.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Símile est, ut in eodem Comm.

De S. Clotilde. Lectio ix.

Clotildis, Chilpérici Burgundiónum Regis filia, post paréntum necem a pátruo Gundebáldo Rege educáta, Clodovæo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovæus, ac baptísmo imputávit, ásserens deos pátrios ob contémptum sui núminis irátos, sibi fílium eripuísse. At illa : Deo, inquit, omnipoténti, creatóri ómnium grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíscere. Alterum fílium génuit Regína, et hunc quoque baptizári vóluit, qui, cum ægrotáre cœpísset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus conváluit. Regína vero non cessábat hortári virum ut, rejécta idololátria, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alemánica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, sanctum advocávit Remígium a quo Rex baptizátus et sancto chrísmate inúnctus est. Post mortem Clodovæi, Turónes ádiit Clotíldis : ibíque ad sepúlchrum sancti Martíni réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis alíisque piis opéribus inténta, munífica erga ecclésias et monastéria. Sepúlta est a filiis Childebérto et Clotário Régibus ad latus Clodovæi, in sacrário Basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit. Te Deum laudámus.

Ad Laudes com. S. Clotildis per Añam et ℣. e j. Vesp.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE IV. JUNII.

S. Francisci Caracciolo, Conf. Duplex.

In ij. Vesp. com. de seq

Oratio. Infirmitátem.

DIE V. JUNII.

S. Bonifacii, Episc. et Mart. Semiduplex, ad libit.

Omnia de Comm. præter seq.

In j. Noct. Lect. de Script. occ.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bonifacius, in majóri Británnia nóbili génere natus, a pa-

tre septénnis in monastérium ductus, pietáte et rerum diviná-rum sciéntia excélluit. Présby-ter ordinátus, crescénte in dies illíus fama, eo quod singulárem in tractándis negótiis ecclesiá-sticis exhibéret perítiam, ipse sibi fuga consuléndum ratus, obténta Abbátis licéntia, Frí-siam áppulit, Evangélium in-fidélibus annuntiatúrus. Sed messe nondum matúra, in pá-triam redíre cógitur. Abbas elé-ctus, ut onus refúgiat, Romam profíciscitur; ubi a Gregório Secúndo benígne excéptus, in Germániam míttitur, qui Evan-gélium prædicáret. Ob insígnem Evangélii fructum Romam post annum revocátus, consecrátus Epíscopus et Apostólici Legáti dignitáte auctus, remíttitur in Germániam. Vix credíbile est quantis labóribus opus Evangé-licum provéxerit. Sedem Mo-guntínam suscípere coáctus, cum illam Ecclésiam annos áli-quot sanctíssime rexísset, suffé-cto in locum suum sancto Lúl-lio Epíscopo, ipse ad prædicán-dum Frísiis Evangélium íterum progréditur. Ibi cum innúme-ros prope ad Christi fidem con-vertísset, martyrio coronátur, anno Christi septingentésimo quinquagésimo quinto.

Lectio v. Dignum...in Comm. j. loco. Lectio vj. Annuntié-mus... in Comm. j. loco.

In iij. Noct. Hom. in Ev. Ego sum vitis vera, in Comm. j. loco.

Vesp. de seq., com. præc.

DIE VIII. JUNII.

S. Medardi, Episc. et Conf.

Semiduplex, ad libitum.

Omnia de Comm. Conf. Pont.

Oratio. Exáudi quæsumus.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Medardus, apud Salentíacum in pago Viromanduénsi natus, a paréntibus pie institú-tus, magna dedit a primis an-nis futúræ sanctitátis indícia. Cum enim puérulus adhuc scho-las frequentáret, páuperis nudi misértus, túnicam suam éxuit ut illum vestíret. Cibos étiam in prándium sibi datos non se-mel egénis distríbuit, jejúnus ipse diem ad vésperam usque tradúcens. His et áliis quibus elucébat virtútibus jam laudán-dus júvenis, Viromanduénsi Epíscopo tráditus est, ut in Cle-ricórum númerum ascriberétur.

Lectio v.

Crescentibus cum ætáte méri-tis et doctrína, ad altióres gradus ascéndit. In Presbyte-rum ordinátus promovéndæ ani-márum salúti totus incúbuit, verbo Dei instans, assídue pró-ximi necessitátibus próvidens, suámque diligénter in ómnibus pastorális curæ negótiis Epísco-po cónferens óperam. Longe olébant præcláræ ipsíus virtútes, cum Viromanduórum Episcopá-tum, multórum iterátis précibus victus, regéndum suscépit; ac Sedem, eo quod Augústa Viro-manduórum a Vándalis et Hunnis esset evérsa, Noviómi in óppido muníto, collocávit.

Lectio vj.

Interim sanctus Eleuthérius, Tornacénsis Epíscopus, mó-ritur. Post cujus exéquias, cum Clerus populúsque Tornacénsis

Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio cæterísque provínciæ Epíscopis annuéntibus, Rege et regni procéribus sua in hanc rem stúdia conferéntibus, utrámque regéndam suscépit Ecclésiam, utriúsque Sedis ínterim honóre serváto; unde Tornacénses, ut in tam sancto Præsule fúerat institútum, annis deínceps sexcéntis non álios quam Novioménses habuérunt Antístites. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit consummáto óperis cursu, et plenus diérum; eúmque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit.

In iij. Nocturno Hom. in Evang. Vigiláte, ut in eodem Comm. ij. loco.

In Vesp. com. SS. Primi et Feliciani, Mart.

SUFFRAGIUM S. DEODATI

PRO ECCLESIA CATHEDRALI.

In semiduplicibus et infra.

In Vesp. Aña. **Hic est fratrum amátor et pópuli Israel, hiç est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.**

℣. **Beátus quem elegísti et assumpsísti.** ℟. **Inhabitábit in átriis tuis.**

Ad Laud. Aña. **Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.**

℣. **Dabis eum in benedictiónem.** ℟. **In sæculum sæculi.**

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deodáti, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita glorióśa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

KALENDARIUM

PROPRII SANCTI-DEODATI.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria V. non impedita, **Officium SS. Sacramenti,** semid

Quolibet Sabbato non impedito, **Officium Immac. Concept. B. M. V.,** semid.

FESTA MOBILIA.

Feria vj. post Dom. j. Quadrag. **SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C.,** dupl. maj.

Feria vj. post Dom. ij. Quadrag. **Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.,** dupl. maj.

Feria vj. post Dom. iij. Quadrag. **SS. Sindonis D. N. J. C.,** dupl. maj.

Feria vj. post Dom. iv Quadrag. **Sacrorum quinque Vulnerum D. N. J. C.,** dupl. maj.

PROPRIUM SANCTORUM.

FEBRUARIUS.

3 **S. Joannæ Valesiæ, non Virg.,** dupl.
4 **S. Andreæ, Corsini, Ep. et Conf.,** dupl.
6 **S. Vedasti, Ep. et Conf.,** semid.
9 **S. Hyacinthæ de Mariscottis, Virg.,** dupl. (Dies fixa ex 30 Januarii). **S. Apolloniæ, Virg. et Mart., com.**
11 **S. Ganuti, Reg. Mart.,** semid. (Dies fixa ex 19 Januarii).
12 **S. Raymundi de Pennafort, Conf.,** semid. (Dies fixa ex 23 Januarii).
13 **S. Titi, Episc. et Conf.** duplex. (Dies fixa ex 4 Januarii).
21 **S. Gundelberti, Ep. et Conf.,** semid.
26 **S. Margaritæ Cortonensis, Pœnitent.,** semid. (Dies fixa ex 22 hujus).

MARTIUS.

18 **S. Gabrielis, Archangeli,** dupl. maj.

APRILIS.

19 **S. Leonis IX, Papæ et Conf.,** dupl. maj.
23 **S. Gerardi, Episc. et Conf.,** dupl. maj.
27 **S. Georgii, Mart.,** semid. (Dies fixa ex 23 hujus).
28 **S. Mariæ Ægyptiæ, Pœnit.,** semid. ad libitum. (Dies fixa ex 2 hujus).

MAJUS.

11 **S. Francisci de Hieronymo, Conf.,** semid. ad libit.
15 **S. Isidori, Agricolæ, Conf.,** semid. ad libit.
17 **S. Joannis Nepomuceni, Mart.,** semid. ad libit.
21 **S. Felicis a Cantalicio, Conf.,** semid ad libit.
22 **S. Paschalis Baylon, Conf.,** dupl. (Dies fixa ex 17 hujus).
24 **B. M. V. Sub titulo Auxilium Christianorum,** dupl. maj. **com. S. Vincentii Lirinensis.**
31 **S. Angelæ Mericiæ, Virg.,** dupl., **com. S. Petronillæ, Virg.**

JUNIUS.

2 **SS. Photini, Episc. et Soc., Mart.,** semid ad libit **com. S. Marcellini et Soc., Mart.**
3 **S. Hunnæ, Viduæ,** semid. ad libit. **com S. Clotildis, Reginæ.**
5 **S. Bonifacii, Episc. et Mart.,** semid. ad libit.
8 **S. Medardi, Ep. Conf.** semidupl. ad libit.
16 **SS. Ferreoli, Presbyteri, et Ferrutionis, Mart.,** semid. ad libit

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCXLVI.

9

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SANCTI-DEODATI.

PARS ÆSTIVA.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA MOBILIA.
DOMINICA TERTIA.
POST PENTECOSTEN.
SS. Cordis Jesu.
Duplex 2. cl.
Omnia ut in Breviario.
FESTA MAII.
DIE X. MAII.
S. Antonini, Episc., Conf.
Duplex.
In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced.
DIE XI. MAII.
S. Francisci de Hieronymo, Confessoris.
Semid. ad libitum.
Officium in Supplemento.
In ij. Vesp. a Capit. de seq., com. præced.
DIE XV. MAII.
S. Isidori Agricolæ, Conf.
Semid. ad libitum. **m. t. v.**
Officium in Suppl.
In Vesp. a Cap. de seq., com. præced.
DIE XVI. MAII.
S. Ubaldi, Episc., Conf.
Semiduplex.
Vesp. a Capit. de seq., com. præcedentis.
DIE XVII. MAII.
S. Joannis Nepomuceni, Martyris.
Semid. ad libit.
Officium in Suppl. primum.
Vesp. de seq., com. præced.
DIE XX. MAII.
S. Bernardini Senensis, Confessoris.
Semiduplex.
In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced.
DIE XXI. MAII.
S. Felicis a Cantalicio, Conf.
Semid. ad libitum. m. t. v.
Officium in Suppl.
Vesp. de seq., com. præced.
DIE XXII. MAII.
S. Paschalis Baylon, Conf.
Duplex. m. t. v.
(Dies fixa ex 17 hujus.)
Omnia ut in Breviario.
DIE XXIV. MAII.
Festum B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum.
Duplex majus.
Omnia ut in Supplemento.
In j. Vesp. com. S. Vincentii Lirinensis, Confess. non Pont. Oratio. Deus, qui nos.

De S. Vincentio Lirinensi.
Lectio ix.

VINCENTIUM intra mœnia sua natum, et sancti Lupi Trecénsis Epíscopi germánum fratrem nostra hæc sibi víndicat Leucórum cívitas. Is várias in sæculo turbas et tempestátes expértus, rerum humanárum pertæsus, mundo valedíxit, et in monastérium Lirinénse, tunc témporis in ínsula maris Mediterránei celebérrimum, secéssit ut Deo totus vacáret. Nec mínimum ipse nomen dicto cóntulit monastério; quippe qui se ibi pietáte exhibúerit virum, inquit sanctus Euchérius, Lugdunénsis Epíscopus, intérno gemmárum splendóre perspícuum, nec minus doctrína quam virtútibus floruérit. Sub peregríni título, celáto ex humilitáte próprio nómine, librum áureum édidit in quo luculénter et sólide certa státuit princípia, tum confutándis ómnium hæréseon novitátibus, tum cathólicæ veritáti asseréndæ in ævum profutúra. Obiit Theodósio et Valentiniáno regnántibus. In Martyrólogio Románo his commendátur verbis ipsíus memória : In Monastério Lirinénsi, sancti Vincéntii Presbyteri, doctrína et sanctitáte conspícui.

Ad Laudes commemoratio S. Vincentii.

In Vesp. com. seq.

DIE XXXI. MAII.

S. Angelæ Mericiæ, Virg.
Duplex.

Officium in Supplemento.

In j. Vesp. et Laud. com. S. Petronillæ.

FESTA JUNII.

DIE II. JUNII.

SS. Photini, Episc. et Soc., Martyrum.
Semid. ad libitum.

Omnia de Comm. plur. Mart. præter seq.

Oratio. Deus qui nos.

In j. Vesp. com. SS. Marcellini, Petri, Erasmi, Martyr., per Añam e Laudibus. Oratio ut in Brev.

In j. Nocturno Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Ex Epístola Ecclesiárum Viennénsis et Lugdunénsis ad Ecclésias Asiæ et Phrygiæ.
Lectio iv.

BEATISSIMUS Photínus, Ecclésiæ Lugdunénsis Epíscopus nonagenário major, ob córporis infirmitátem vix spíritum trahens, sed præ cupiditáte martyrii mira alacritáte ánimi firmátus, ad tribúnal trahebátur. Quo a milítibus perlátus, prosequéntibus ipsum civitátis magistrátibus, et univérsa plebe váriis eum clamóribus impeténte, tamquam ipse Christus esset, egrégium édidit testimónium. Interrogátus a Præside quisnam est Christianórum Deus, respóndit : si dignus fúeris cognósces. Post hæc inhumáne raptátus et innúmeris plagis afféctus est, cum ii quidem qui própius astábant, cálcibus et pugnis illum contumelióse appéterent; qui vero lóngius distábant, quidquid ad manum erat, in ipsum conjícerent; omnes dénique gravíssimi piáculi reos se existimárent nisi pro sua parte ei petu-

lánter insultárent. Exínde vix adhuc spirans in cárcerem projéctus est, tandémque post bíduum ánimam exhalávit.

Lectio v.

Matúrus vero neóphytus, et Sanctus Diáconus Viennénsis, cum Blandína ancílla pluribúsque áliis, ducti sunt ad béstias in amphiteátrum. Matúrus quidem et Sanctus illic consuéta flagrórum vérbera pertulérunt, et bestiárum ipsos trahéntium morsus; ipsam postrémo férream cáthedram, cui superpósita Mártyrum membra; cum torreréntur, illórum nares molestíssimus nidor implébat. Hi ergo, máximo certámine perfúncti, tandem jugulàti sunt. Blandína autem, ad palum suspénsa, béstiis subjécta est. Quæ cum in crucis spéciem suspénsa cernerétur, Deóque intentíssime supplicáret, máximam alacritátem addébat certántibus; quippe qui sub soróris persóna cérnerent illum qui pro ipsis crucifíxus est. Cumque nulla tunc béstia corpus ejus attigísset, depósita ex stípite rursus in cárcerem conjícitur, in áliud certámen reserváta.

Lectio vj.

Ineúnte solémni apud nos mercátu, Præses beatíssimos Mártyres ad tribúnal jubet addúci, tamquam in theatráli pompa eos pópulis osténtans. Cumque illos dénuo interrogásset, quicúmque cives Románi repérti sunt, cápite truncávit; réliquos trádidit béstiis. Post hos omnes, último tandem spectaculórum die, Blandína rursus illáta est, una cum Póntico adolescénte nato quíndecim círciter annos. Et Pónticus quidem, cuncta supplícia generóse perpéssus, emísit spíritum. Beáta vero Blandína, post flagra, post béstias, post sartáginem, retículo inclúsa, tauro objécta est; a quo diu in altum jactáta, tandem et ipsa instar víctimæ juguláta est.

In iij. Nocturno Homilia in Evangel. Descéndens Jesus de monte, ut in eodem Communi ij. loco.

Lectio ix. SS. Marcellini, Petri et Erasmi, ut in Brev., duabus in unam junctis.

Ad Laudes com. SS. Mart. per Añam e j. Vesp.

In ij. Vesp. a Capit. de seq., com. præced. et S. Clotildis, Reg. Orat. Exáudi nos.

DIE III. JUNII.

S. Hunnæ, Viduæ.

Semid. ad libitum.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

Deus qui beátam Hunnam, fámulam tuam, mirábili in páuperes charitáte decorásti: tríbue, quæsumus; ut nos eódem igne charitátis accénsi, te, qui cháritas es, consequámur. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hunna Burgundiónum regum génere orta, Adálrico Alsátiæ Duci sánguine próxima, jam a tenérrimis annis ómnibus ómnium virtútum exémplar fuit et norma. Hunnóni

nóbili, ditíssimo ac máxime pio viro, Hunivíllæ in Alsátia superióre degénti nupta, tota in eo fuit ut cónjugis christiánæ ac bonæ matris officia adamússim impléret. Unicum fílium, a sancto Deódato, Nivernénsi olim Epíscopo, sibi vínculo sanctíssimæ amicítiæ juncto, baptizátum, doctrína, salutáribus mónitis et própriis præsértim exémplis ad tantam perfectiónem evéxit, ut ipse, spreto sæculo, in Novienténse monastérium sese contúlerit, ubi dignus matre fílius laudabíliter vixit et felíciter óbiit.

Lectio v.

Omnium cœléstium charísmatum laude præclára, misericórdia tamen in páuperes Hunna præcípue enítuit. Quos in ædes suas recípere, solári, fovére, largíssimis eleemósynis subleváre; eósdem ægrotántes visitáre, eórum vúlnera vel putridíssima obligáre, fœda linteámina laváre, ipsis dénique omnímodo opituléri in delíciis habébat. Monastéria plúrima amplis bonis ditávit; quæ Sigolshémii et Mediævíllæ possidébat in duas partes dívidens, una Novienténse monastérium, áltera vero Junctúras in valle Galilææ donávit, et ínsuper huic cœnóbio, quod sanctus Deodátus novíssime extrúxerat, ália prædia Ungershémio sita munífice cóntulit.

Lectio vj.

Demum sanctitáte conspícua, bonis opéribus plena, igne divínæ charitátis consúmpta, cúpiens dissólvi et esse cum Christo, migrávit in cœlos. Beatíssimæ mulíeris memória ámodo in benedictióne fuit, et plena cum fidúcia in suis necessitátibus eam invocábant fidéles. Tandem Leo Décimus, Póntifex Máximus, beátam Hunnam in Sanctórum númerum rétulit, anno a Deo hómine millésimo quingentésimo vigésimo; et ejus ossa, e túmulo extrácta, públicæ veneratióni fuérunt expósita in Hunivílla, décimo séptimo Kaléndas ejúsdem anni. Sed sacræ hæ relíquiæ ab istíus pagi íncolis Luthéri nefários erróres ampléxis, anno millésimo quingentésimo quadragésimo nono, violátæ ac dispérsæ sunt, felíciter tamen asservátæ fuérunt exíguæ sanctárum exuviárum partes, quæ Hunivíllæ et in Ecclésia cathedráli Sancti-Deodáti honorífice recónditæ sunt, et piæ fidélium veneratióni exponúntur.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Símile est regnum cœlórum, ut in eodem Comm.

De S. Clotilde.

Lectio ix.

Clotildis, Chilpérici Burgundiónum Regis fília, post paréntum necem a pátruo Gundebáldo Rege educáta, Clodovæo adhuc éthnico in cónjugem trádita est. Cum primogénitum peperísset, eum, toleránte magis quam approbánte Clodovæo, baptizári jussit. Quo infánte in albis defúncto, id ægre ádmodum tulit Clodovæus, ac baptísmo imputávit, ásserens deos pátrios ob contémptum sui núminis irátos, sibi fílium eripuísse. At illa: Deo, inquit, omnipoténti, Creatóri ómnium

grátias ago, qui me non usquequáque judicávit indígnam ut de útero meo génitum regno suo dignarétur ascíscere. Alterum fílium génuit Regína, et hunc quoque baptizári vóluit, qui cum ægrotáre cœpísset, affirmánte Rege fore ut idem ei quod fratri contíngeret, matris précibus convaluit. Regína vero non cessábat hortári virum ut, rejécta idololatría, Deum verum cóleret. Sed ille superstitióni Francórum adhæsit, donec in expeditióne Alemánica, inclinátam cernens suórum áciem, monitórum cónjugis memor, auxílio Christi imploráto, de hóstibus triumphávit. Cui apud Remos læta uxor occúrrens, ubi órdinem rei gestæ cognóvit, sanctum advocávit Remígium a quo Rex baptizátus et sancto chrísmate inúnctus est. Post mortem Clodovæi, Turónes ádiit Clotíldis; ibíque ad sepúlchrum sancti Martíni réliquum vitæ exégit, pernox in vigíliis, eleemósynis aliísque piis opéribus inténta, munífica erga Ecclésias et Monastéria. Sepúlta est a fíliis Childebérto et Clotário Régibus ad latus Clodovæi, in sacrário Basílicæ sancti Petri, ubi corpus sanctæ Genovéfæ quiéscit. Te Deum laudámus.

Ad Laudes, com. S. Clotildis. Vesperæ de seq., commemor. præced.

DIE IV. JUNII.

S. Francisci Caracciolo, Confessoris.

Duplex.

In ij. Vesp. com. seq. Orat. Infirmitátem.

DIE V. JUNII.

S. Bonifacii, Episc. et Mart.

Semid. ad libitum.

Omnia de Comm. præter seq. In j. Nocturno Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Bonifacius, in majóri Británnia nóbili génere natus, a patre septénnis in monastérium ductus, pietáte et rerum divinárum sciéntia excélluit. Présbyter ordinátus, crescénte in dies illíus fama, eo quod singulárem in tractándis negótiis ecclesiásticis exhibéret perítiam, ipse sibi fuga consuléndum ratus, obténta Abbátis licéntia, Frísiam áppulit, Evangélium infidélibus annuntiatúrus. Sed messe nondum matúra, in pátriam redíre cógitur. Abbas eléctus, ut onus refúgiat, Romam profíciscitur; ubi a Gregório Secúndo benígne excéptus, in Germániam míttitur, qui Evangélium prædicáret. Ob insígnem Evangélii fructum Romam post annum revocátus, consecrátus Epíscopus et Apostólici Legáti dignitáte auctus, remíttitur in Germániam. Vix credíbile est quantis labóribus opus Evangélicum provéxerit. Sedem Moguntínam suscípere coáctus, cum illam Ecclésiam annos áliquot sanctíssime rexísset, sufficto in locum suum sancto Lúllio Epíscopo, ipse ad prædicándum Frísiis Evangélium íterum progréditur. Ibi cum innúmeros prope ad Christi fidem convertísset, martyrio coronátur, anno Christi septingentésimo quinquagésimo quinto.

Lect. v. Triumphális. Lect. vj. Coronáto ítaque,in Comm., primo loco.

In tertio Nocturno Homil. in Evang. Si quis venit ad me, j. loco.

Vesp. de sequenti, commem. præced.

DIE VIII. JUNII.

S. Medardi, Episc. et Conf.

Semid. ad libit.

Omnia de Comm. Conf. Pont.

Oratio. Exáudi, quæsumus.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MEDARDUS, apud Salentiacum in pago Viromanduénsi natus, a paréntibus pie institútus, magna dedit a primis annis futúræ sanctitátis indícia. Cum enim puérulus adhuc scholas frequentáret, páuperis nudi misértus, túnicam suam éxuit ut illum vestíret. Cibos étiam in prándium sibi datos non semel egénis distríbuit, jejúnus ipse diem ad vésperam usque tradúcens. His et áliis quibus elucébat virtútibus jam laudándus júvenis, Viromanduénsi Epíscopo tráditus est, ut in Clericórum númerum ascriberétur.

Lectio v.

CRESCENTIBUS cum ætáte méritis et doctrína, ad altióres gradus ascéndit. In presbyterum ordinátus promovéndæ animárum salúti totus incúbuit, verbo Dei instans, assídue próximi necessitátibus próvidens, suámque diligénter in ómnibus pastorális curæ negótiis Epíscopo cónferens óperam. Longe olébant præclára ipsius virtútes, cum Viromanduórum Episcopátum, multórum iterátis précibus victus, regéndum suscépit; ac Sedem, eo quod Augústa Viromanduórum a Vándalis et Hunnis esset evérsa, Novióini, in óppido munito, collocávit.

Lectio vj.

INTERIM sanctus Eleuthérius, Tornacénsis Epíscopus, móritur. Post cujus exéquias, cum Clerus populúsque Tornacénsis Medárdum sibi dari Epíscopum postulássent, sancto Remígio cæterísque províncíæ Epíscopis annuéntibus, Rege et regni procéribus sua in hanc rem stúdia conferéntibus, utrámque regéndam suscépit Ecclésiam, utriúsque Sedis ínterim honóre serváto; unde Tornacénses, ut a tam sancto Præsule fúerat institútum, annis deínceps sexcéntis non álios quam Novioménses habuérunt Antístites. Flandros, gentem tunc ferócem, convértit ad Christum. Obiit consummáto óperis cursu, et plenus diérum; eúmque Clotárius summo cum honóre apud Suessiónas sepelíri jussit.

In tertio Nocturno Homilia super Evang. Vigiláte, ij. loco.

In Vesp. com. SS. Primi et Feliciani.

DIE XVI. JUNII.

SS. Ferreoli, Presbyteri et Ferrutionis, Mart.

Semid. ad libit.

Omnia de Comm. præter seq.

Ad Magnificat in utrisque Vesp. Aña. Veníte, * Irenæi discípuli, intráte in gáudium Dómini Dei vestri.

Orat. Deus, qui nos concédis.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Ferreolus Présbyter et Ferrútio Diáconus fratres, Athénis oriúndi, cum a sancto Irenæo Lugdunénsium Epíscopo ad vitæ Apostólicæ rationem essent institúti, ab eódem Vesuntiónem Evangélii prædicándi causa destináti sunt. Ibi aliquándiu versáti, sacri sermónis sanctitáte magnam pópuli partem ab idolórum nefário cultu ad Christi fidem traduxérunt.

Lectio v.

Eodem témpore, Felix Présbyter cum Fortunáto et Achílleo Diáconis, ex eádem Irenæi schola, Valéntiæ in Gállias rei christiánæ óperam navábant. Plácuit autem Christo Dómino nostro athlétas suos ad imminéntia certámina animáre. Igitur per quiétem vidére sibi visum est locum amœníssimum, mira flórum varietáte spectábilem, in quo quinque agni candidíssimi depascébant, et audíta est vox: Veníte, Irenæi discípuli, intráte in gáudium Dómini Dei vestri.

Lectio vj.

Hæc cum sócii retulíssent, ádfuit e Vesuntióne núntius a Ferreólo et Ferrutióne litteras déferens, quibus admonébant vidísse se, apérto quasi cœlo, corónas quinque gemmis et auro contéxtas, simúlque audítam vocem: Veníte, Irenæi discípuli, ut sicut una fecístis Dei voluntátem in terris, ita quoque percipiátis parátum vobis regnum in cœlis. Inde ab utrísque créditum est instáre sibi martyrii agónem. Passi sunt autem Ferreólus et Ferrútio Vesuntióne, sub Cláudio urbis Præfécto, et post linguárum abscissiónem clavorúmque in cerébro affixiónem, cápite truncáti sunt, décimo sexto Kaléndas Július.

In tertio Nocturno Homilia super Evangelium. Descéndens Jesus de monte, ij. loco. ℟. viij. Hæc est vera fratérnitas.

Ad Benedictus, Aña.

Veníte, *Irenæi discípuli, ut sicut una fecístis Dei voluntátem in terris, ita quoque percipiátis parátum vobis regnum in cœlis.

Vesp. de sequenti, commem. præcedentis.

DIE XVII. JUNII.

S. Joannis Francisci Regis, Confessoris.

Duplex.

Officium ut in supplemento.

In Vesp. com. SS. Marci et Soc., Mart.

DIE XXIII. JUNII.

S. Jacob, Episc. et Conf.

Semid. ad libit.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio. Exáudi, quæsumus, Dómine.

In j. Noct. Lect. de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Jacob, vir conversatióne moribúsque admirábilis, Tulléensem regébat Ecclésiam, cum vir Dei Hydúlphus, vitæ solitáriæ ductus desidério, ad ipsum misit rogans secrétum sibi in ábditis Voságі providéri locum, sicut a Tulléensi Pontífice Deódatus olim Nivernénsis Epí-

scopus, sæculo renúntians, jam in saltu Voságo locum obtinúerat. Cum áliquot annos beátus Præsul sanctíssime Tullénsem rexísset Ecclésiam, sanctos Deódatum et Hydúlphum imitátus, abdicáto Episcopátu, in monastérium, Deo liberióri ánimo servitúrus, secéssit. Anno septingentésimo quinquagésimo séptimo, Compendiénsi ádfuit Concílio, cui cum cæteris Epíscopis subscríbens nómini suo Peccatóris cognómen humíliter áddidit. Ille idem esse créditur qui, anno septingentésimo sexagésimo quinto, Attiniacénsi Concílio subscrípsit núncupans se Jacob Epíscopum de monastério Gamúndias; cum jam illic, post abdicátum Episcopátum, monásticam in diœcési Meténsi vitam ágeret.

Lectio v.

Dum autem aliquándo Roma rédiens Diviónem transíret, miraculórum quæ illic sancti Benígni méritis fiébant fama permótus, ad gloriósi Mártyris túmulum advénit, ipsíus intercessióne suórum a Deo véniam delictórum rogatúrus. Cumque per áliquot dies ad Mártyris tumbam orándo cœlórum penetráret íntima, a Dómino vocátus est ad cœléstia regna; sanctíque Benígni précibus adjútus, et in cœlis cum eo glóriam, et in terra juxta ejus túmulum condígnam accépit sepultúram. Sorórem hábuit Liliósam nómine, religióne insígnem, quæ éadem ac ille erga sanctum Mártyrem pietáte ducta, prædium suum, Bertiníacam curtem vocátum, pro fratris sui sepultúra sancto Benígno donávit.

Lectio vj. Beáti patris N. mérita, ut in Comm., secundo loco.

In tertio Nocturno, Hom. super Evang. Vigiláte, ut in Comm., secundo loco; Lect. ix. Vigiliæ S. Joan. Bapt. cujus ad Laud. com.

Vesp. de seq. sine com.

DIE XXIX. JUNII.

In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Commemoratio omnium SS. Apostolorum.

In j. Vesperis.

Aña. In hoc cognóscent omnes, Oratio. Exáudi nos, ut in supplemento Breviarii.

FESTA JULII.

DIE VII. JULII.

B. Petri Forerii, Conf.

Duplex majus.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. præter seq.

In j. Vesperis.

Capitulum.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua.

Hymnus.

Nobis, Vosági, sacra redit dies;
Fundámus hymnos atque preces Petro,
Virtúte qui nos auxit, et nunc
Præsídio cínerum tuétur.
Artus, vel infans, innócuos litat,
Jam castitáti déditus hóstia,
Fragrans Deo flos, candidúsque
Discípulus crucis et magíster.
Olim futúrus paupéribus pater,
Lætátur arcta paupérie Petrus:

Præstantióres transitúris
Divítias Deus ipse præbet.
O quam fidéli reddis imágine
Cultúque Christum proséqueris pio!
Quantis Maríæ, dulce terris,
Obséquiis veneráre nomen!
Jam fis sacérdos; páscere nunc suos
Agnos amánti Christus amans jubet.
Ambis mori vi charitátis,
Ut Dómino populísque vivas.
Austerióre dum sapiéntiam
Castígat oris blanda sérénitas,
Se corda subdunt, seque gaudent
Elóquio dominánte vinci.
O tu supérnæ qui pátriæ bibis
Haustu perénni gáudia plénius,
Audi benígne filiórum,
Alme Pater, gémitus tuórum.
Laus summa Patri, summáque Fílio;
Compar tibi sit glória, Spíritus,
Qui te Petro das in corónam,
Omne, Deus, tibi laus per ævum.
Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Aña.

Verecúndus visu, modéstus móribus, elóquio decórus, et a púero in virtútibus exercitátus, manus proténdens orávit pro omni pópulo.

Oratio.

Deus qui beáto Petro ardentíssima charitáte tibi conjúncto, ut némini obésset, et ómnibus prodésset inspiráre dignátus es: concéde propítius; ut ejúsdem précibus et exémplis, quæ tibi placent, et nobis ac áliis vere prosunt, constánter operémur. Per Dóminum.

Com. Oct. SS. Apostolorum.

Ad Matutinum, Hymnus.

Jam triumpháles iterémus hymnos;
Nempe pro Christo dúplicans labóres,
Dúplici fulges, Petre, tu vicíssim,
Dignus honóre.
Verus ac fidus Dómini miníster,
Abdicas prorsus tua; quæ Magístri
Unice curans, óvium salúti
Totus inhæres.
Te tuis damnis sibi serviéntem
Plénius certe Deus adjuvábit,
Teque diléctum dabit in beátam
Créscere gentem.
Prístino per te redivívus ardor
Spíritu lapsos rénovat sodáles;
Glóriam clero, pie restitútor,
Reddis et aris.
Vírgines, prudens, legis erudísque
Arte quæ sancta fóveant puéllas,
Pálmites sacros, nova christiánæ
Sémina messis.
Mille sic matres frágili juventæ,
Mille das Agno, bone serve, sponsas;
Teque devóto venerántur omnes
Corde paréntem.
Cœlitum consors, patriæque splendor,

Des opem nobis, precibúsque tandem
Fac tuis fretos, páriter supérna
Sorte potíri.
Qui regis cœlos hominúmque corda,
Summa laus Patri, sit et æqua Nato;
Spíritus, par sit tibi laus, perénnis
Nexus amóris. Amen.

In primo Nocturno.

De libro Ecclesiástici.

Lectio j. *Cap.* 15.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ, docére Jacob testaméntum suum, et judícia sua Israel.

℟. Natus est homo princeps fratrum, * Firmaméntum gentis, stabiliméntum pópuli. ℣. Perféctus homo Dei ad omne opus bonum instrúctus. Firmaméntum.

Lectio ij.

STATUIT ei testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium gentis, et beatificávit illum in glória, et circumcínxit eum zona glóriæ, et índuit eum stola glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis. Factum est illi in testaméntum ætérnum, et sémini ejus sicut dies cœli, fungi sacerdótio, et habére laudem, et glorificáre pópulum suum in nómine ejus. Ipsum elégit ab omni vivénte offérre sacrifícium Deo, incénsum et bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo: et dedit illi in præcéptis suis potestátem, in testaméntis judiciórum, docére Jacob testimónia, et in lege suá lucem dare Israel.

℟. Lex veritátis fuit in ore ejus, iníquitas non est invénta in lábiis ejus, * Et multos avértit ab iniquitáte. ℣. Suscipiébat omnes, prædicans regnum Dei. Et multos.

Lectio iij. *Cap.* 48 *et* 49.

SPIRITU magno vidit última, et consolátus est lugéntes in Sion. Usque in sempitérnum osténdit futúra et abscóndita ántequam evenírent. Memória ejus in compositiónem odóris facta, opus pigmentárii. In omni ore quasi mel indulcábitur ejus memória, et ut música in convívio vini. Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis, et gubernávit ad Dóminum cor suum, et in diébus peccatórum corroborávit pietátem.

℟. Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ: ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, * Et in lege testaménti Dómini gloriábitur. ℣. Multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum. Et. Glória Patri. Et.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Petrus Forérius Lotharíngus hisce últimis tempóribus ad sacerdótii decus, sacerdótum exémplum et populórum salútem, Mirecúriæ in diœcési nostra natus, a téneris annis multa nec dúbia dedit futúræ sanctitátis indícia; fuit enim in púero supra ætátem sapiéntia, quippe qui numquam pueríliter se gésserit. Scholæ tráditus, sic probis condiscípulis amícus fuit, ut effrenátos vel emendándos curáret, vel fúgeret pertináces. Nec ullæ adolescéntem vitiárunt deliciárum illécebræ: qua enim ætáte júvenes indómita efferúntur voluptátum cupídine, is baptismálem innocéntiam jejúnio, flagéllis, cilício frequénti, frequéntius précibus et sénsuum moderatióne indesinénter tuebátur. Non erat álius cujus esset aut incéssus modéstior, aut familiáris hábitus condecéntior, aut orátio fervéntior, aut felícior studiósitas. Hinc illa linguárum græcæ et latínæ perítia, quas illi vernáculas díceres. Hinc illi quibus profécit divínis lítteris progréssus, quos laudárunt condiscípuli, quos miráti sunt magístri. Annum agens vigésimum, divína vocatióne venit ad Canonicórum Regulárium Ordinem, cujus hábitum suscépit, et vota solémnia édidit in abbátia Calmosiacénsi. Dóluit multum collápsam in eo Ordine disciplínam, sed suis in futúrum labóribus restituéndam. Nec dictu fácile quantas a falsis frátribus persecutiónes æquo sustinúerit animo; depravátis quippe homínibus probro erat Petri relígio. Quare, ex tribus paróchiis sibi oblátis, una Mussipónti honorífica, áltera Noménii commodióre, tértiam Mattincúriæ ínopem, præ ignorántia et vítiis quibus scatébat laboriosíssimam elégit, ejúsque proféctus est pastor. Formidolósa hábuit advérsus flagitiósos pópulos certámina, contuméliis sæpe, quandóque fústibus et pugnis impetítus. At inter tot rerum asperitátes non modo non elánguit; quin eo magis suis benéficus inimícis, largus in páuperes, oratióni et verbo Dei assíduus, óptimi pastóris offícia tanta fide præstitit, ut gregem suum Deo devotíssimum sibíque ipsi devínctum mirabíliter effécerit.

℟. Obtulit holocáustum Dómino, * Et clamávit ad Dóminum pro Israel, et exaudívit eum Dóminus. ℣. Plúrimam hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus. Et.

Lectio v.

Vocatur ínterim expugnatúrus grassántem in comitátu Salménsi hæresim: velox et animósus occúrrit; et quanquam inérmis pugnáret pro Deo, sacerdótis constántia pópulum erróribus calviniánis irretítum Ecclésiæ grémio restítuit, Deíque cultum in eo templo restaurávit, quod ántea hæréticis convéntibus fúerat pollútum. Nec minus se gessit fidéliter, cum ab Epíscopo diœcésim perlustratúrus, et incúltis Vosagórum móntium pó-

pulis præco míttitur. Ad suos revérsus, majóres sumit ánimos : apud se enim réputans quantum ad reformándos populórum mores profíceret óptima juventútis institútio, quamque sit periculósum utriúsque sexus púeros ad eásdem scholas conveníre, opus Ecclésiæ perútile futúrum existimávit, si prudéntibus virgínibus junióres puéllas commítteret edocéndas. Quasdam ígitur ad propósitum vocávit et instítuit vírgines, castitáte ac pietáte præcípuas, quas deínde in Moniálium Ordinem collégit, non sine labóre. Mirum enim quantis obícibus fúerit ab ópere sancto prohíbitus : sed constántem ánimum non movérunt iterátæ superiórum repúlsæ, non difficiles viárum áditus, non garriéntium hóminum ludíbria; donec exúrgeret, sub Episcopórum auctoritáte, religiósa Moniálium Congregátio, junióribus puéllis erudiéndis in perpétuum addícta, sapientíssimis quas elaborávit Constitutiónibus ordináta, a Románo Pontífice sub título beátæ Maríæ Vírginis erécta, et e Lotharíngia, ubi primum pródiit, in álias regiónes longe diffúsa.

℟. Juxta manum Dei sui bonam super se * Parávit cor suum, ut investigáret legem Dei, et fáceret, et docéret.
℣. Qui fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Parávit.

Lectio vj.

Nec exímiæ ejus charitáti satis fuit tanta rerum magnitúdo, Novis ardéscens consíliis, aggréditur Canonicórum Regulárium reformatiónem; perárduum quidem opus, tóties dimíssum quóties tentátum : quodque frustra conáti fúerant viri génere nóbiles, insígnes dignitáte, id felíci ádeo perfécit éxitu, ut Ordini eo usque ádmodum dissolúto prístinæ disciplínæ reguláris norma redíerit. Inde surréxit nova, sub nómine Salvatóris nostri, Canonicórum Regulárium sancti Augustíni Congregátio, quæ laudábili vitæ regímine, et zelo in procuránda animárum salúte assíduo, Ecclésiæ lumen et pópulis exémplum esse conspícitur. Hæc e cœlo dona obtínuit illa, quæ ad ómnia útilis est píetas; meruérunt illæ, quas dabat ex férvido caritátis sensu, lácrymæ; oratiónes illæ, in quibus pernóctans Deo adhærébat; súpplices illæ et quotidiánæ jejuniórum, cilícii, flagellórum exercitatiónes. Ita factus est iis qui in sodalítio vivunt legislátor, juventúti pædagógus, paupéribus pater, et ómnibus in omni virtútum génere exémplar : et cum tantus esset, Princípibus et Epíscopis carus, crescébat in dies cum méritis humílior ánimi sensus, et ad vilióra demíssio. Tandem perlustrátis summa cum sollicitúdine monastériis Congregatiónis suæ, cujus generálem Præpositúram invítus suscéperat, Grájum ad bonum commúne secédere coáctus, ibi febre corrípitur. Mox próximam sibi mortem præséntiens, devotíssime suscéptis Ecclésiæ sacraméntis, ob-

dormívit in Dómino, méritis dives, clarus miráculis, anno Dómini millésimo sexcentésimo quadragésimo, ætátis vero suæ septuagésimo sexto. Corpus ejus Gráio Mattincúriam delátum, in ecclésia parochiáli sepúltum est, unde, in prima ipsíus Beatificatiónis festivitáte, sacra illíus ossa solémniter levávit Tulléneis Epíscopus, éaque veneratióni públicæ propósuit anno millésimo septingentésimo trigésimo secúndo, die trigésima Augústi.

℟. Dómine, non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei, neque ambulávi in magnis, neque in mirabílibus super me. * Induébar cilício, humiliábam in jejúnio ánimam meam, quasi lugens et contristátus sic humiliábar. ℣. Quicúmque humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cœlórum. Induébar. Glória Patri. Induébar.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Quis, putas, est fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Et réliqua.

Homilía sancti Fulgéntii Epíscopi.

Quis est iste Dóminus, fratres? Christus, sine dúbio, qui suis discípulis ait : vos vocátis me, Magíster; sum étenim. Quæ est étiam hujus Dómini família? Nimírum illa est quam ipse Dóminus de manu inimíci redémit, et suo domínio mancipávit; hæc autem família sancta est Ecclésia cathólica, quæ per orbem terræ copiósa fertilitáte diffúnditur; Fílius enim hóminis, sicut ipse ait, venit non ministrári, sed ministráre et dare ánimam suam redemptiónem pro multis. Dispensátor vero quis sit, quem opórtet esse fidélem páriter et prudéntem, Paulus nobis osténdit Apóstolus qui, de se suísque sóciis loquens, ait : Sic nos exístimet homo ut minístros Christi, et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam quæritur inter dispensatóres ut fidélis quis inveniátur.

℟. Nomen ejus vivit in generatiónem et generatiónem :* Plácuit Deo et translátus est in Paradísum. ℣. Fidélis servus et prudens quem constítuit Dóminus super famíliam suam. Plácuit.

Lectio viij.

Servi ergo Patrisfamílias sumus, dispensatóres Dómini sumus; mensúram trítici, quam vobis erogámus, accépimus. Quæ vero sit ista trítici mensúra si quærámus, ipse quoque beátus Paulus Apóstolus osténdit, dicens : Unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Quam ergo mensúram trítici Christus núncupat, ipsam mensúram fídei Paulus appéllat; ut agnoscámus non áliud esse spirituále tríticum quam christiánæ fídei venerábile sacraméntum. Hujus trítici mensúram vobis in nómine Dómini damus, quóties illumináti dono grátiæ spirituális, secúndum

régulam veræ fídei disputámus; et eámdem trítici mensúram per Domínicos dispensatóres accípitis, cum quotídie per Dei fámulos verbum Dei audítis.

℟. Ambulávit servus tuus in conspéctu tuo, in veritáte et justítia, et recto corde tecum. * Custodísti ei, Dómine, misericórdiam tuam grandem. ℣. Bonum certámen çertávi, cursum consummávi, fidem servávi. Custodísti. Glória Patri. Custodísti.

Lectio ix.

De ipsa nunc ergo trítici mensúra loquámur. Ex ipsa, sicut Deus divísit, univérsi pascámur; inde aliménta bonæ vitæ sumámus, ut ad ætérnæ vitæ præmia perveníre possímus, in illum credéntes, in illo sperántes, illum præ ómnibus et in ómnibus diligéntes, qui se et aliméntum præstat, ne deficiámus in via, et præmium servat, ut gaudeámus in pátria Christus est aliméntum nostrum, Christus est cibus et consolátio curréntium viatórum ipse satíetas et exultátio quiescéntium Beatórum. Ad ipsam ítaque trítici mensúram pértinet quod Dóminus ait : Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Magnum bonum est, fratres caríssimi, valde cóngruum, valde cómmodum et máxime Christiánis ómnibus appeténdum, ut unusquísque defícere non delectétur in pejus, sed omnes profícere studeámus in mélius.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Hym. Nobis Voságí, in j. Vesp.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña.

Fuit gratus Deo, et erudítus omni sapiéntia, et erat potens in verbis et in opéribus suis.

Oratio.

Deus qui beáto Petro ardentíssima charitáte tibi conjúncto, ut némini obésset, et ómnibus prodésset inspiráre dignátus es : concéde propítius; ut ejúsdem précibus et exémplis, quæ tibi placent et nobis ac áliis vere prosunt constánter operémur. Per Dóminum.

Si hoc Officium transferatur, in ij. Vesp. omnia ut in primis. ℣. Justum, ut supra, ad Laud. Vesp. de seq. sine com.

DIE VIII. JULII.

S. Deodati, Conf. et Pont.

Diœc. præcipui Patroni.

Duplex j. Classis cum Oct.

In j. Vesperis, Psalm. Dixit Dóminus et cæteri de Domin. et loco ultimi, Laudáte Dóminum, omnes Gentes. Añæ et Capit. de Laudibus.

Hymnus.

Beate quo fugis, Pater?
Cur, ánxias linquens oves,
Honóre spreto, in móntibus
Celáre gestis glóriam?
Nil te movet cleri dolor,
Nil luctus orbáti gregis;
Humána quæque déseris
Ut tútius Deo vaces.
Mundi beátum tránsfugam
Vestris in antris ábditum,
Sæclis patrónum pósteris,
Fovéte, montes, hóspitem.
Huc Sanctus exul ádvenit,
Plenúsque Christi spíritu,
Crucis viam sectántibus

Normam simul dat et facem.
Sed ásperis amas tuos
Probáre mílites, Deus :
Gens obstináta péctore
Cœléste donum réspuit.
Mox immeréntem, ceu reum,
Probris lacéssunt et minis,
Et quem Deus dat íncolam
Suis fugant e fínibus.
Indúlgeas cæcis, Pater !
Et móntium per ínvia
Alsátiam petas : novæ
Hic te vocant fortem cruces.
Præsta, Parens cum Fílio
Simúlque sancto Spíritu,
Jungámur ut Deódato
In sempitérna sæcula. Amen.
℣. Stabit in loco sancto ejus.
℟. Innocens mánibus et mundo corde.

Ad Magnificat, Aña.
Salve, Præsulum gemma, Monachórum lux et forma, Deódate, olíva fructífera in rúpium prærúptis erúmpens, odoríferum lílium in Vosági solitúdine gérminans, florens ac spargens odórem suavitátis ; fac ut in ejus semper lætémur misericórdia in quo tu lætáris in glória.

Oratio.

Propitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deódati, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita gloriósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Ad Matutinum. Invit. Regem Confessórum Dóminum ✠ Veníte, adorémus.

Hymnus.

Præsul, movénte Spíritu,
Saltus Voságos tránsmeat:
Cumbérte felix ! quæ tuum
Manet coróna vérticem !
Murtham secus cellam struit :
Hic empta tot labóribus
Lasso datur tandem quies,
Haustúsque cœli plénior.
Junctis Patri mox frátribus,
Dicátur ædes Vírgini,
Urbis futúræ glória,
Munímen et solátium.
Annis gravis Deódatus
Duro jacens in strámine,
Post longa vitæ prælia
Mortem serénus áspicit.
Cœli monénte núntio
Mœrens Hydúlphus ádvolat,
Cibóque fórtium Patrem
Agóne firmat último.
Fausto migrans sic tránsitu,
Jam regnat in cœlis ovans ;
Hinc nos, apud Deum potens,
Tuébitur jugi prece.
Salve, coróna Præsulum.
Lux alma solitúdinis.
Ævi tui miráculum,
Amor suprémi Núminis.
Civem vocat te Néustria :
Te Præsulem Nivérnia,
Te glóriam Voságia:
Trinam tuére pátriam !
Præsta, Pater cum Fílio
Simúlque sancto Spíritu,
Jungámur ut Deódato
In sempitérna sæcula.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Beatus vir Deódatus tamquam lignum fructíferum plantátum est in desérto secus decúrsus aquárum. Psalmi Nocturn. ut in Communi.

Aña. Servívit Dómino in timóre, et jam sine tremóre exúltat ei.

Aña. Voce cordis ad Dóminum clamávit, et in glória suscéptus est angélica.

℣. Pro eo ut me dilígerent detrahébant mihi. ℟. Ego autem

orábam. Absol. Exáudi. Bened. Benedictióne perpétua.

De Epístola B. Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Lectio j. *Cap.* 3.

FRATRES, quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum ejus; configurátus morti ejus, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim; sequor autem, si quo modo comprehéndam in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

℟. Deódatus Póntifex pondus ángelis formidándum fúgiens, Deo ad tutióra vocánte, * Onere páriter et honóre cessit. ℣. Exui me stola pacis, índui autem me sacco obsecratiónis, et venit mihi gáudium a sancto. Onere.

Lectio ij.

FRATRES, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ sunt prióra exténdens meipsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu. Quicúmque ergo perfécti sumus, hoc sentiámus : et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervenímus, ut idem sapiámus et in eádem permaneámus régula.

℟. Régiæ paupertátis amátor, et memor verbi Dómini Jesu, * Véndidit quæ habébat, et in sinu páuperum collocávit. ℣. Si vis perféctus esse, vende quæ habes, et da paupéribus. Véndidit.

Lectio iij.

IMITATORES mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi; quorum finis intéritus; quorum Deus venter est, et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cœlis est, unde étiam expectámus Salvatórem Dóminum nostrum Jesum Christum qui reformábit corpus humilitátis nostræ configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem', qua étiam possit subjícere sibi ómnia.

℟. Abdicáto sæculo, secéssit in Vosági montes, et ibi inter feras cum suis * Vitam angélicam agébat. ℣. Erit tibi sémita et via, et via sancta vocábitur. Vitam. Glória Patri. Vitam.

In secundo Nocturno.

Aña. Vere a Deo datus est ille per quem exultávit solitúdo et flóruit sicut lílium.

Aña. Elige tibi viros, et vade, et líbera fratres tuos in Galilæa.

Aña. O desértum Christi flóribus vernans! O solitúdo quam beá-

tus Deódatus et vivens diléxit, et móriens decorávit.

℣. **Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.**

℟. **Pérfice gressus meos in sémitis tuis.**

Lectio iv.

Deodatus, virtúte non minus quam sánguine nóbilis, ad Nivernénsem Sedem commúni cleri et pópuli voto assúmptus, omnes Pastóris óptimi partes adimplévit, commíssam sibi plebem pascens verbis et exémplis, nec umquam sua quærens, sed quæ Jesu Christi. Secúndo Senonénsi Concílio intérfuit, anno sexcentésimo quinquagésimo séptimo, cum áliis trigínta Epíscopis, inter quos célebres visi sunt Præsules Audoénus Rotomagénsis, Elígius Noviomēnsis, et Amándus Trajecténsis. Post annos áliquot eo in múnere sanctíssime transáctos, vitæ solitáriæ desidério flagrans, abdicáto Episcopátu, Nivernénse solum deséruit, et ad Voságos Tulléensis Diœcésis montes véniens, mox ad Romónum, inde ad rívuli Arrentilléensis ripas cellam exstrúxit, annuénte sancto Bodóne Tulléensi tunc témporis Epíscopo, qui privilégium ei indúlsit, anno sexcentésimo septuagésimo subscríptum.

℟. **Passiónum Christi fervens æmulátor, * Castigábat corpus suum et in servitútem redigébat, ne réprobus efficerétur.** ℣. **Qui Christi sunt, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. Castigábat.**

Lectio v.

Incolarum invídia et injúriis inde coáctus discédere, Vosági montes et saltus pénetrans, vergit in Alsátiam, ubi, post vários ínviæ et anfractuósæ solitúdinis circúitus, apud Vilram, constrúcto sibi habitáculo, consédit, annis plúribus sanctos inter eremíticæ vitæ sectátores laudabíliter conversátus. Verum indócilis vulgi et nobílium contínuis lacessítus júrgiis et minis, per superióres Vosagórum móntium sylvas rémeat, et Murthæ lapsum secútus ad Cumbérti montis radíces cónstitit, ibíque, constrúcta sibi céllula, et erécto in memóriam sancti Martíni oratório, aliquándiu delítuit, soli Deo notus, herbis tantum et pomis agréstibus corpus ægre susténtans, ánimum vero suávi cœléstium meditatióne júgiter refíciens: donec e látebris erúmpens ejus fama tot ad ipsum collégit ásseclas ut, crescénte in dies discipulórum número, monastérium in valle Galilææ váriis cinctum céllulis constrúxerit, locum concedénte Tulléensi Epíscopo.

℟. Multa mala et exília ab iníquis perpéssus, possidébat in patiéntia ánimam suam ac * Semper in Dómino gaudébat. ℣. Nolíte timére oppróbrium hóminum; ego, ego ipse consolábor vos. Semper.

Lectio vj.

Dum informándis discípulis totus incúmbit, en adest idem Hydúlphus ejus amícus, vir pietáte illústris, qui, relícta Trevirórum Sede, ad Deódatum in partem solitúdinis et labóris ádvolat; futúrus ipsi, ex ínito sanctæ societátis fœdere, adjútor in procuránda animá-

rum salúte pérvigil. Undécimo autem ab ingréssu in vallem Galilææ anno, Deódatus sénio et pœniténtiæ labóribus conféctus, resolutiónis suæ tempus instáre præséntiens, ad priórem céllulam, ubi in honórem sancti Martíni ædículam constrúxerat, se récipit, qui ingeminátis oratiónibus et abstinéntiis ad mortem se accíngeret. Mox ut levi febre corréptus in léctulum decúbuit, ad eum convenére fratres última ex ejus ore collectúri salútis mónita. Adfuit quoque amíco moriénti Hydúlphus, cujus inter manus, post percéptam ab ipso sacram communiónem, lætus spíritum Deo réddidit. Corpus ejus ad monastérium, quod ipse condíderat, delátum, in ecclésia Deíparæ Vírginis ab Hydúlpho honorífice sepelítur. Ne quid autem pius hæres ex intestáti amíci bonis Hydúlphus non possidéret, Deódati túnicam sibi pro relíquiis servándam assúmpsit, quam ad ímbrium inundatiónem, pestiléntiam, aut altérius sæviéntis flagélli ímpetus averténdos, divínis solébat obtútibus objícere.

℟. Sapiéntiæ flúmina abundánter effúdit, et * Inter spinas desérti sacri Ordinis propágines sevit. ℣. Lætábitur desérta et ínvia, et exultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Inter. Glória Patri. Inter.

In tertio Nocturno.

Aña. In ore ejus perpétua laus, quia in corde ejus perpétua pax : non commovébitur in ætérnum.

Aña. Exaltáre, Dómine, qui facis mirabília in desérto : íbi psallémus virtútes tuas.

Aña. Mundo corde et mánibus Deódatus ínnocens, scándere montem Dómini alácriter proméruit.

℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi. ℟. Conscidísti saccum meum et circumdedísti me lætítia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lectio vij. *Cap.* 12.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi. 69 *in Matth.*

In mentem véniat memória Sanctórum, qui cilício induúntur, et erémum hábitant. Hi numquam oblátus púrpuras acceptárent ; sed quemádmodum Rex, si quis pannósa induménta páuperis ei induénda offérret, abominarétur atque repélleret, non áliter illi régiam púrpuram contémnunt. Hæc illis institúta ciliciórum usu, unde Régibus étiam ipsis excellentióres sunt. Nam si posses mentis eórum jánuas reseráre, et omnem interiórem ornátum conspícere, fulgóre percúlsus in terram concíderes, nec consciéntiæ lucem perférre posses. Nihil in tabernáculis eórum triste inveniétis, sed tamquam in cœlo tugúria fabricáti, sic longe a sæculi perturbatiónibus hábitant, advérsus diábolum militántes.

℟. O beáti viri sancta præcónia ! O inæstimábilis diléctio

caritátis! Sæculi pompam contémpsit, et * Ætérnæ vitæ conjúnctus est. ℣. Mihi vívere Christus est; et mori lucrum. Ætérnæ.

Lectio viij.

Ideirco enim in solitúdine domicílium constituérunt, célebri habitatióne hóminum omníno derelícta, quóniam qui bellum gerit, non potest domi sedére, sed necésse est, quasi súbito migratúrus, præparáto in diem domicílio hábitet. Quis enim umquam in exércitu domus fundaménta jecit? Quis in castris agri júgera emit? In pátria hæc, non in castris faciénda sunt: hæc tibi a me simíliter dicúntur. Cum in supérnam civitátem pervéneris, tunc ista fácito; hic satis est nobis fossam fácere, vallum fígere; ædificiórum constructióne opus non est.

℟. Hódie Deódatus divíni amóris víctima felíciter occúbuit: hódie per viam sanctæ disciplínæ secúrus ascéndens * Choris comitátus angélicis pervénit ad Deum. ℣. Euge, serve bone, in módico fidélis, intra in gáudium Dómini tui. Choris. Glória Patri. Choris.

Lectio ix.

Christianos advérsus diábolum pugnántes, ómnibus temporálibus negléctis, vívere opórtet. Cur ítaque magníficas ædes struis, o homo? An ut teípsum magis víncias, et ut diábolum advérsus ánimam tuam invítes? Cur mœnia condis? An ad cárceres tibi construéndos? Quod si hæc tibi difficília negléctu videántur, ad tabernácula Monachórum proficiscámur, ut reípsa fácile ista contémni posse perdíscas.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES.

Antiphonæ.

1. In desérto * beátus Deódatus quasi lampas accénsa super montes, angélicæ vitæ dedit splendórem.

2. Videt me * Dómini píetas cujus desidério pátriam réspui, et dedi me vastæ solitúdini.

3. Nolíte contristári, * fílii quóniam Dómino Jesu Christo bono Pastóri vos commendávi.

4. Benedíco te, * Dómine Jesu Christe, glória vállium et exultátio móntium, quia per te vici mundum.

5. O beáte Deódate, * qui vicísti mundum, intra in regnum sempitérnum.

Capitulum. *Philip.* 4.

Fratres, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte: quæ didicístis, et accepístis, et vidístis in me, hæc ágite, et Deus pacis erit vobíscum.

Hymnus.

Choris supérnis cœlitum
Se noster adjúngat chorus,
Novúmque, mixtis cántibus,
Devótus hymnum cóncinat.

In hac die Deódatus
Decóre virtútum nitens,
Carnis solútus vínculis,
Beáta scandit límina.

Illíus ossa nos piis
Templo verémur ósculis,
Almúsque cœlo spíritus
Corúscat inter Angelos.

Quam nostra felix cívitas
Cui, benígno númine,
Tam sæva per discrímina,
Tutor datur Deódatus!

Mundi Redémptor, quæsumus,
Audi Patrónum súpplicem,
Ex imminénti críminum
Nos líbera periculo;
Ut cum suprémus árbiter
In fine mundi véneris,
Hic Præsulis nos æmulos
Cœli corónes præmiis.
Fons sanctitátis vívide,
Tibi, Deus, sit glória;
Pax et salus sit ómnibus
Deódati cliéntibus. Amen.

℣. Spíritu magno vidit última. ℟. Et consolátus est omnes lugéntes.

Ad Benedictus, Aña.

O Pastor miríficе, te Sacerdótum chorus laudat, te Monachórum cœtus prædicat, te unánimi voce sancti Præsules Præsulem admirántur! O beáte Deódate! nos te quoque laudántes patérnis semper óculis intuére, allelúia.

Oratio.

Propitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deódati, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita glorió-sa; ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Ad Tertiam. Capit. Fratres, ut supra ad Laudes.

℟. br. Pro eo ut me dilígerent, * Detrahébant mihi. Pro. ℣. Ego autem orábam. Detrahébant. Glória Patri. Pro. ℣. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. ℟. Pérfice gressus meos in sémitis tuis.

Ad Sextam. Capitulum. *Philip.* 3.

Omnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo.

℟. br. Propter verba labiórum tuórum. * Ego custodívi vias duras. Propter. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis. Ego. Glória Patri. Propter. ℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi. ℟. Conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia.

Ad Nonam, Capitulum. *Philip.* 3.

Imitatores mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

℟. br. Convertísti planctum meum * In gáudium mihi. Convertísti. ℣. Conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. In gáudium. Glória Patri. Convertísti. ℣. Spíritu magno vidit última. ℟. Et consolátus est omnes lugéntes.

In ij. Vesp. Psalmi de Dñica et loco ultimi, Meménto, Dómine, David, Añæ, Capitulum, Hymnus et ℣. de Laud.

Ad Magnificat, Aña.

Fortis atque magnánimus Deódatus, senex bonus, Præsul sanctíssimus, post plúrima vitæ certámina Dómini sui gáudio donátus est, allelúia.

Commem. sequentis.

DIE IX. JULII.

Festum Prodigiorum B. M. V.

Duplex majus.

Omnia ut in Festis B. M.V. per annum.

Ad Laud. com. Octavæ S. Deodati et S. Auspicii, Episc. et Conf.

Aña. Euge, serve bone et fidé-

lis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constítuam.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus : ut beáti Auspícii, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

In Vesp. com. seq. et Oct.

DIE X. JULII.

SS. Septem Fratrum, ac Rufinæ et Secundæ, Virg. et Mart.

Semiduplex.

Ad Laudes com. Oct. Vesp. de seq.

DIE XI. JULII.

S. Hydulphi, Conf. et Pont.

Duplex.

Omnia de Communi, præter ea quæ seq.

In j. Vesperis. Hymnus.

Ore qui, Præsul, celebráris omni,
Omnium votis et honóre dignus,
Te piæ mentis júbilus perénnis
Canat, Hydúlphe.

Hujus in pectus pietátis ardor
Sponte se fundens, níveam juvéntam
Imbuit præceps, tenerísque sensim
Crevit ab annis.

Póntifex factus, sua seque totum
Lætus impéndit gregis in salútem
Ipse virtútum cumuláta cunctis
Factus imágo.

Infulas linquit, procul in remótas
Vósagi montis fúgiens latébras,
Solus ac pauper cupit esse nostris
Exul in antris.

Hic dapis parcum laticísque corpus
Cómprimens, duro dómuit cubíli;
Hic et insómnes dídicit precándo
Dúcere noctes.

Gáudiis cœli sólitus potíri,
Cœlitum dotes simul æmulátur;
Jure terrénis póterat vidéri
Angelus oris.

Plenus hinc annis meritísque dives,
Víllicus tandem Dómino fidélis
Sortes sanctórum fruitúrus altas
Migrat in arces.

Christe, Pastórum decus atque princeps,
Una laus Patri, Tibi Flaminíque;
Cujus impúlsu pétiit profúndum
Præsul erémum. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnificat, Aña.

Omni die defunctórum memóriam agébat, et exórans ut a peccátis solveréntur, salutárem quoque pro vivis hóstiam immolábat.

Oratio.

Deus tibi pie subditárum méntium frequentátor : præsta nos, quæsumus, beáti Hydúlphi,

Confessóris tui atque Pontíficis, patrocínio sublevári, cujus festum solémnibus celebrámus obséquiis. Per Dóminum.

Com. Septem Fratrum, Oct. et S. Pii, Papæ et Mart.

Oratio. Infirmitátem.

Ad Matutinum, Hymnus. Orbe qui, præsul, ut in j. Vesp.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hydulphus, in Bavária, illústri loco natus, a pueritia Ratisbónæ, in monastério sancti Emeriáni Mártyris, cum fratre suo Erárdo, qui póstmodum Ratisbonénsis fuit Epíscopus, pietáti ac bonis lítteris óperam dedit; tantámque sibi sanctitátis et doctrínæ famam comparávit, ut tandem, Milóne Archiepíscopo Trevirénsi defúncto, totíus Cleri et pópuli electióne et Pippíni Príncipis auctoritáte, quamvis invítus et multum reclámans, in ipsíus locum fúerit subrogátus. In quo múnere per áliquot annos tam præcláre se gessit, ut boni Pastóris omnes partes adimpléret, sermóne potens et ópere. Illud vero, præter cætera, ab eo factum memorátur, quod sancti Maximíni Archiepíscopi Trevirénsis insígne monastérium extrúxerit, in quo venerábile corpus ipsíus, cum trecéntis Thebææ legiónis corpóribus, honorífice recondíderit.

℟. Pastorálem Sedem deséruit Hydúlphus, * Et in loco Mediáno pauper Christi látuit. ℣. Fide obedívit in locum exíre. Et.

Lectio v.

Verum cum a téneris annis incredíbili solitáriæ vitæ stúdio semper exarsísset, tandem quod támdiu meditátus fúerat omníno éxequi státuit. Moxque relícto Pontificátu, et designáto sibi successóre Weómado, Vosági desérta pétiit, ubi, juxta fluvíolum qui Rubátus dícitur, monastérium constrúxit quod Médium monastérium appellávit, quia inter duo ália situm esse conspícitur, nempe Senónicum et Stivagiánum. Eum porro locum præcípue delegísse vidétur quia vicínus erat cœnóbio sancti Deódati, quem vivum et mórtuum plúrimum diléxit. Intérea cum tanti viri sánctitas longe latéque splendésceret, ad eum plúrimi confluxérunt, cœléstis amóre vitæ illécti, inter quos Spínulus, Erárdus frater jam Epíscopus, Joánnes et Benígnus, ipsíus secúndum carnem germáni; qui in spiritáli conversatióne eo doctóre in brevi omnes ita profecérunt, ut per eos Deus multa signa, in vita et post mortem, operári dignátus fúerit.

℟. Castitáte nítidus, caritáte férvidus, jejúniis et oratiónibus instábat assídue: * Et in lege Dómini meditabátur die ac nocte. ℣. Carnem suam domábat pœniténtia, ut digna Deo mererétur fíeri hóstia. Et.

Lectio vj.

Cum autem beátus Deódatus obdormísset in Dómino, eíque adhuc vivens gregem suum commendásset, illum una cum próprio grege summa fide ac

sollicitúdine rexit per octo et vigínti annos, quibus Deódato supérstes éxtitit. Peracto demum hujus vitæ stádio, et a beáto Deódato in visu admónitus ut utríque famíliæ rectórem idóneum providéret, lubénter fecit, utríque monastério Abbátum præfíciens. Mox autem convocátis frátribus, iisdémque sua benedictióne confirmátis, spíritum Deo réddidit, anno humánæ salútis septingentésimo séptimo, sui vero in solitúdinem ingréssus trigésimo sexto. Cum autem in vita sua quátuor ecclésias ædificásset, primámque beátæ Maríæ Vírgini, secúndam Apóstolis Petro et Paulo, tértiam beáto Joánni Baptístæ, et quartam sancto Gregório Papæ nuncupásset, in hac última sepelíri vóluit. Póstea tamen sacrum ejus corpus in ædem beátæ Maríæ translátum fuit, ubi ad hunc usque diem magna pópuli Christiáni devotióne cólitur.

℟. Devótus Dei fámulus et Póntifex precabátur in conspéctu Dómini die ac nocte, * Corpúsque suum jejúniis affligébat assídue. ℣. Ut vita Jesu manifestarétur in carne sua, mortificatiónem ejus júgiter in córpore suo circumferébat. Corpúsque. Glória Patri. Corpúsque.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 19.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te. Quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi.

In Psalm. 118.

Ecce nos dereliquimus ómnia, et secúti sumus te; hoc est, non quæsívimus quæ sæculi sunt, non quæsívimus partem de possessiónibus, sed te elégimus portiónem. Reliquísti ergo ómnia, Petre, quæ habébas: unde habes quod te habére dicis? Surgit claudus, et sono tui sermónis erígitur: sanitátem áliis donas qui indigébas ipse tuæ salútis auxílio. Reliquísti ergo quæ habébas, et cepísti quæ non habébas. Christus tibi pórtio, Christus tibi posséssio est.

℟. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, * Et pérmanens in innocéntia sua. ℣. Beátus qui non respéxit in vanitátes et insánias falsas. Et.

Lectio viij.

Habes, homo, inter multa propósita étiam hujúsmodi portiónem. Propósuit tibi Dóminus in portióne possessiónes, in portióne aurum, in portióne honóres, in portióne nobilitátem; propósuit étiam in portióne seípsum. Habes ígitur plúrimas portiónes, élige quam putas; non te númerus pertúrbet, sed éxcitet grátia: non te labor avértat, sed fructus invítet.

℟. Castígo corpus meum, et in servitútem rédigo, * Ne forte, cum áliis prædicáverim, ipse réprobus efficiar. ℣. Dómine, hic ure, hic seca, dúmmodo in ætérnum parcas. Ne forte. Glória Patri. Ne forte.

Lectio ix. de S. Pio Pap. et Mart.

AD LAUDES.

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

Ad Benedictus, Aña.

Tránsiit pauper ad regni sólium, dux ad sceptrum, victor ad præmium : mors in vitam, labor in ótium , præsens cedit luctus in gáudium.

Oratio.

Deus, tibi pie subditórum méntium frequentátor : præsta nos, quæsumus, beáti Hydúlphi, Confessóris tui atque Pontíficis, patrocínio sublevári cujus festum solémnibus celebrámus obséquiis. Per Dñum.

Com. Oct. et S. Pii.

In ij. Vesp. a Cap. de seq., com. præced., Oct. ac SS. Mart.

Commem. S. Hydulphi, Aña. **In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus, o beáte Hydúlphe, ora pro nobis, quæsumus.** ℣. **Justum...** ut supra ad Laud.

DIE XII. JULII.

S. Joannis Gualberti, Abbatis.

Duplex.

Ad Laud. com. Oct. ac SS. Naboris et Felicis.

In Vesp. com. seq. et Oct.

DIE XIII. JULII.

S. Anacleti, Papæ et Mart.

Semiduplex.

Ad Laud. com. Octavæ S. Deodati.

Vesp. de seq., com. Oct.

DIE XIV. JULII.

S. Bonaventuræ, Episc., Conf. et Doct.

Duplex.

Ad Laud. com. Oct.

In Vesp. a Cap. de seq., com. præced. ac S. Aproniæ Virg. Oratio. Exáudi.

DIE XV. JULII.

Octava S. Deodati.

Duplex.

Omnia ut in die, præter ea quæ sequuntur.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Epístola sancti Hierónymi ad Heliodórum.

Lectio iv.

Qui Episcopátum desíderat bonum opus desíderat, ait Apóstolus. Scimus ista; sed junge quod séquitur : Opórtet Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, pudícum, prudéntem, ornátum, hospitálem, doctórem; non vinoléntum, non percussórem : et cætera quæ sequúntur. Quod si ad eúmdem órdinem pia te fratrum blandiménta sollícitant, gaudébo de ascénsu, sed timébo de lapsu. Non enim omnes Epíscopi Epíscopi sunt. Atténdis Petrum, sed et Judam consídera; Stéphanum súspicis, sed et Nicoláum réspice, quem Dóminus in Apocalypsi sua damnat senténtia, qui tam túrpia et nefánda comméntus est, ut Nicolaitárum hæresis ex illa radíce nascátur. Non facit Ecclesiástica dígnitas Christiánum.

Lectio v.

Cui plus créditur, plus ab eo exígitur, et poténtes poténter torménta patiéntur. Nec sibi quisquam de córporis tantum mundi castitáte suppláudat; cum omne verbum otiósum

quodcúmque locúti fúerint hómines, redditúri sint pro eo ratiónem in die judícii; cum étiam convícium in fratrem homicídii sit reátus. Non est fácile stare loco Pauli, tenére gradum Petri, jam cum Christo regnántium; ne forte véniat Angelus qui scindat velum templi tui, qui candelábrum tuum de loco móveat. Ædificatúrus turrim futúri óperis sumptus súpputa. Infatuátum sal ad nihil est útile, nisi ut projiciátur foras et conculcétur ab homínibus. Mónachus, si cecíderit, rogábit pro eo Sacérdos: pro Sacerdótis lapsu quis rogatúrus est?

Lectio vj.

O desértum Christi flóribus vernans! O solitúdo in qua illi nascúntur lápides de quibus in Apocalypsi cívitas magni Regis extrúitur! O erémus familiárius Deo gaudens! Quid agis, frater, in sæculo, qui major es mundo? Paupertátem times? Sed beátos páuperes Christus appéllat. Labóre terréris? At nemo athléta sine sudóre coronátur. De cibo cógitas? Sed fides famem non timet. Super nudam métuis humum exésa jejúniis membra collídere? Sed Dóminus tecum jacet. Squálidi cápitis horret incúlta cæsáries? Sed caput tuum Christus est. Infiníta erémi vástitas te terret? Sed tu Paradísum mente deámbula. Quotiescúmque illuc cogitatióne conscénderis, tóties in erémo non eris. Alióqui, ut inquit Apóstolus, non sunt condígnæ passiónes hujus sæculi ad futúram glóriam quæ revelábitur in nobis.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Sint lumbi vestri, ut in die Festi.

De S. Apronia.

Lectio ix.

Apronia in subúrbio Augústæ Trecórum, vico qui dícitur Tranquíllus, præséntis vitæ sumpsit exórdium, Beáti Apri Tulléensium Epíscopi soror fuit, cujus étiam suásu piísque cohortatiónibus virginitátem suam Deo consecrásse, omniúmque virtútum ornaméntis instrúctam fuísse refértur. Exácto tandem in ea morum integritáte vitæ suæ currículo, cœléstis eam Sponsus córporis vínculis solvit, ut ætérno sibi fœdere jungerétur in cœlis.

Ad Laudes com. S. Aproniæ.

Vesp. de seq., com. præced.

SUFFRAGIUM S. DEODATI,

PRO ECCLESIA CATHEDRALI.

In semiduplicibus et infra.

In Vesp. Aña. Hic est fratrum amátor et pópuli Israel, hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.

℣. Beátus quem elegísti et assumpsísti. ℟. Inhabitábit in átriis tuis.

Ad Laudes, Aña. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

℣. Dabis eum in benedictiónem.
℟. In sæculum sæculi.

Oratio.

Propitiare, quæsumus, Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deódati, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita glorió-

sa : ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

DIE XX. JULII.

S. Hieronymi Æmil., Conf.

Duplex.

Vesp. a Cap. de seq., com. S. Praxedis, Virg. per Añam e Laudibus.

DIE XXI. JULII.

S. Veronicæ de Julianis, Virg.

Duplex.

(Dies fixa ex 27 hujus.)

Officium ut in Supplemento Lectio ix. et com. ad Laud. S. Praxedis per Añam e j. Vesp.

Vesp. a Cap. de seq., com. præced.

DIE XXIII. JULII.

S. Apollinaris, Episc. et Mart.

Duplex.

In ij. Vesp. a Cap, de seq., com. præced. ac S. Christinæ, Virg. et Mart.

DIE XXIV. JULII.

S. Arnulphi, Conf. et Pont.

Duplex. m. t. v.

(Dies fixa ex 18 hujus.)

Omnia de Communi præter seq.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Arnúlphi, Confessóris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius, ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Ad Matutinum, Hymnus.

Arnulphe Præsul, cæteri quantum ínfulas
Primósque fasces ámbiunt, tantum fugis;
Abitúrus, urbem régiam, objéctu crucis,
Jam sæviénte líberas incéndio.
Vix missióne Regis extórta, áb dicas :
Ad vasta erémi tendis : et sanctus licet
Episcopáli Sede succéssor manet,
Vix te orbus a se pópulus avélli sinit.
Hic Romárico fidus assístis comes;
Hinc te beátis cœlitum jungis choris;
Mirátur horrens Voságus tantum hóspitem,
Novúmque própriis Elíam illátum jugis.
Quin et fluéntes tabe, lepráque hórridos
Eádem erémo cólligis, tectis foves;
Christúmque in ipsis luce divína íntuens,
Fámulas miséllis ipse submíttis manus.
O quantus exis! Poscis ut móriens opem :
Te Romáricus ecce luctántem juvat,
Puráque amíci spíritum excéptum manu
Súperis locándum sédibus Christo éxhibet.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas, atque jubilátio
In unitáte quæ gubérnat ómnia,
Æternitátis totíus per sæcula.
Amen.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Arnulphus, gente Francus, génere claríssimus, Impera-

tóris Cároli Magni ábavus, primum in castris virtúte béllica, subínde in regéndis sex províncils et aula régia, sapiéntia enítuit. Ad Meténsem Sedem, invítus licet et lácrymans, ómnium votis raptus, christiánas virtútes óptimi Pastóris virtútibus cumulávit. Verum cum multos jam annos non Ecclésiæ solum Meténsi, sed étiam consíliis régiis præfuísset, stúdio incénsus vitæ solitáriæ, vix tandem obténta a Dagobérto Rege licéntia, Episcopátum abdicávit. Delégerat ad secéssum Habendénsi monastério próximum collem, quo facílius Romárici, véteris necessárii sui, consuetúdine fruerétur. Itaque Romáricus, céllulis idóneis eo loco præparátis, óbviam illi Metas usque prodívit. Ea nocte quæ ipsíus advéntum consecúta est, perpenárias régiæ cellas grassátus ignis, suprémum univérsæ civitáti exítium minabátur. Evocátus Arnúlphus, signo crucis objécto sæviéntem flammam moménto représsit, et a quodam e frátribus cœlitus audíta vox est: Hac nocte Arnúlphus Epíscopus per signum crucis totam civitátem istam ab incéndio liberávit.

Léctio v.

Paucis post diébus, magno sui desidério apud Meténses relícto, in erémum ábiit, ubi meditatióne divinárum rerum, cultúsque ac victus asperitáte novum Elíam Voságo intulísse visus est. Adjúnxerat autem sibi hinc Mónachos áliquot, inde lepró sos, domicílio discrétos, in quibus Christum vidélicet intuerétur. His ómnibus vir tantus, singulári christiánæ vel caritátis, vel demissiónis exémplo, suis mánibus famulabátur; nam et cibos parábat atque apponébat, ipse ut plúrimum esúriens; et cálceos ipsis eximébat atque extergébat, et cápita pedésque persæpe abluébat, et lectos étiam statis diébus sternébat.

Lectio vj.

His disténtum labóribus última dies occupávit. Animam agénti ádfuit cum sóciis beátus Romáricus, quem intúitus sanctus Póntifex: Bone vir, inquit, et amábilis Dómino, óbsecra Christum pro me. Jamque adest dies in quo Júdici meo præsentándus apparébo. Quid fáciam? Nihil boni gessi in sæculo, ómnibus sceléribus et peccátis vallátus coárctor, pro quibus Dóminum, ut véniam mérear, óbsecro, supplicáto. Ita vir justus semper accusátor sui, tantum confídens Christo quantum sibi ipsi diffídens, décimo séptimo Kaléndas septémbris ad justórum præmia evolávit. Extíncto parentávit Romáricus, cum suis, egrégia pompa; corpúsque ejus in castéllum Habéndum delátum, lapídeo túmulo recónditum est.

In iij. Nocturno Homilia in Evangelium, Homo péregre profícíscens, ut in Communi j. loco.

Lectio ix. de Homilia Vig., cujus et S. Christinæ, com. ad Laud.

Vesp. de S. Jacobo, com. præced.

DIE XXVI. JULII.
S. Annæ, Matris B. M. V.
Duplex majus.
In ij. Vesperis com. seq. et S. Pantaleonis, Mart.

DIE XXVII. JULII.
S. Elisabeth, Portugalliæ Reginæ, Viduæ.
Semiduplex.
(Dies fixa ex 8 hujus.)
Lectio ix. de S. Pantaleone, cujus ad Laud. com.
In Vesp. a Cap. de S. Nazario, com. præced.

DIE XXIX. JULII.
S. Marthæ, Virginis.
Semiduplex.
In ij. Vesp. a Cap. de seq.
Oratio. Da, quæsumus, com. præced. et SS. Abdon et Sennen, Mart. ut in Brev.

DIE XXX. JULII.
S. Lupi, Conf., Pont.
Semid. ad libit.
Omnia de Communi præter seq.
In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente
In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Lupus, cui natále solum nostra Tullénsis cívitas, paréntes nobilitáte conspícui, uxórem duxit Pæmeníolam, sancti Hilárii Arelaténsis sorórem; qui cum séptimo conjúgii anno réliquum vitæ in continéntia dégere decrevíssent, toti Deo vacatúri pii cónjuges, Lupus cunctis solútus mundánæ cupiditátis néxibus, Evangélicæ perfectiónis æmulátus exémpla, ad beátum Honorátum monastérii Lirinénsis Abbátem se cóntulit : cujus magistério cervíce subjécta, ad Domínicæ servitútis jugum assíduis vigíliis, oratiónibus et jejúniis institútus est. Inde cum Matiscónem venísset, ut quod sibi de facultátibus supérerat, paupéribus erogáret, improvíso ad Trecénsem Episcopátum raptus est : in quo ita se gessit, ut mérito Gallicanórum Præsulum fácile princeps ab ómnibus haberétur, ingénio pollens, clarus elóquio, sanctitáte præcípuus.

Lectio v.

Ex illa autem summa, quam apud omnes obtinúerat, doctrínæ et sanctitátis opinióne, biénnio post a synodo Gallicána eléctus est, qui cum Germáno Autissiodorénsi ad expugnándam in Británnia majóri grassántem Pelágii hæresim proficiscerétur. Quo in negótio, uno spíritu juncti Præsules ambo, pari voluntáte concórdes, verbis poténtes et opéribus, cunctis admiratióni fuére. Hinc redux cum triúmpho Lupus, ab Hunnis in Gállias effúsis, flammáque ac ferro cuncta vastántibus, Trecórum urbem suis précibus servávit incólumem; ipsum Attilam, eórum ducem, in sui veneratiónem sic flexit, ut inter Hunnos mílites illud adágium inoléret : Attilam a duóbus feris, Lupo et Leóne, victum fuísse.

Lectio vj.

Annis círciter vigínti tábula pro lecto usus est, ac cilício pro interióre túnica, in oratióne altérnis nóctibus pérvigil, in jejúniis assíduus, in aléndis paupéribus et rediméndis captívis ómnia sua impéndere só-

litus. **Discípulos hábuit sanctos Epíscopos Polichrónium Virdunénsem, Sevérum Trevirénsem, Alpínum Catalaunénsem, et Cameliánum Trecénsem. Cum autem annis quinquagínta duóbus Sacerdótio digníssime functus fuísset, plúribus éditis in vita miráculis, ábiit in cœlum, signis étiam post mortem gloriósus.**

In iij. Nocturno Homilia in Evang. **Homo péregre**, ut in Communi j. loco.

Lectio ix. de SS. Abdon et Sennen, quorum et commem. ad Laudes; Vesp. de seq., com. præced.

FESTA AUGUSTI.

DIE VIII. AUGUSTI.

SS. Cyriaci et Soc., Mart.

Semiduplex.

In ij. Vesp. a Capit. de seq., com. præced. et S. Romani, Mart. ut in Brev.

DIE IX. AUGUSTI.

S. Henrici, Imperatoris, Confessoris.

Semiduplex.

(Dies fixa ex 15 Julii.)

Lectio ix. de Homilia Vig. cujus et S. Romani com. ad Laud. Vesp. de seq.

DIE X. AUGUSTI.

S. Laurentii, Mart.

Duplex ij. classis.

In ij. Vesp. com. seq. ac SS. Tiburtii et Suzannæ, Mart.

DIE XI. AUGUSTI.

S. Philumenæ, Virg., Mart.

Duplex.

Officium in Supplemento.

Lectio ix. de SS. Mart., quorum, post Oct., com. ad Laud.

In Vesp. a Capit. de seq., com. Octavæ.

DIE XV. AUGUSTI.

Assumptio B. M. V.

Duplex j. classis.

In ij. Vesp. com. seq.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. Rochi, Confessoris.

Duplex.

Officium in Supplemento.

Ad Laud. com. Octavarum.

In Vesp. a Capit. de seq., com. præced. et Octav. Assumpt.

DIE XVII. AUGUSTI.

Octava S. Laurentii, Mart.

Duplex.

In Vesp. a Capit. de seq., com. præced., Octav. et S. Agapiti, Mart.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. Hyacinthi, Confessoris.

Duplex. m. t. v.

(Ex 16. hujus.)

Lectio ix. et ad Laud., post Oct., com. S. Agapiti.

In Vesp. com. Oct.

DOM. POST OCT. ASSUMPT.

Purissimi Cordis B. M. V.

Duplex majus.

Novum Officium ex concessione ut in Brev.

Lectio ix. Hom. Dom. cujus com. in utrisque Vesp. et Laud.

DIE XXV. AUGUSTI.

S. Ludovici, Regis.

Duplex.

DIE XXIX. AUGUSTI.

Decollatio S. Joannis Baptistæ.

Duplex majus.

In ij. Vesp. com. SS. Felicis et Adaucti, Mart. ut in Brev., deinde S. Fiacrii, Anach. Aña. Similábo. Oratio. **Deus qui nos.**

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Rosæ, Virg. Limanæ.

Duplex.

De SS. Mart. ut in Brev. et

de S. Fiacrio (duabus in unam junctis.)

Lectio ix.

Fiacrius, qui et Fefrus in Hibérnia, quam véteres Scótiam appellábant, nóbili natus génere, Meldas ad sanctum Farónem, solitáriæ vitæ desidério, cum áliquot sóciis venit : cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum procul a tumúltu et sylvis circumtéctum e património suo nómine Brógilum, illi concéssit. Ibi Fiácrius, evúlsis arbóribus, monastérium in honórem sanctíssimæ Vírginis constrúxit, in quo peregrínos et hóspites excipiébat, exígua sibi seórsim ædificáta domo. Cum autem virtútum ejus fama longe diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infírmi, quos sola manus impositióne sanitáti restituébat. Fuit ei sánguine conjúnctus beátus Chillénus, a sancto Faróne póstea missus ad Atrébates : quem Romána peregrinatióne reverténtem suscépit Fiácrius, et apud se retínuit aliquámdiu, cum ipso divínis collóquiis vacatúrus. Miráculis illústris, labénte sæculo séptimo, vita functus est. Corpus ejus, multis inde sæculis, ad ecclésiam cathedrálem Meldénsem translátum est, ne in illud Calviniáni, pro more suo, ímpie desævírent : locus tamen sancti Anachorétæ vestígiis et conversatióne consecrátus, magno populórum concúrsu frequentári non désiit.

Ad Laudes commemor. SS. Mart. et S. Fiacrii, Conf.; Vesp. de seq.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. Mansueti, Conf., Leucorum Primi Episc.

Duplex ij. classis cum Oct.

In j. Vesperis, Ps. ut in Fest. Añæ de Laud.

Capitulum. 1. *Cor.* 4. *et* 9.

Opus meum vos estis in Dómino, nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui; etsi áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum.

Hymnus.

**Regnator orbis præpotens,
Qui luce vanas méntium
Depéllis umbras, et fera
Qui corda Christo súbjicis,
Nostri misértus, déviis
Apóstolum tu déstinas :
Fœcúndas Sanctis ínsula
Patrem jubárque prótulit.
Freménte multa dæmone,
Nostram vetérno críminum
Turpíque pressam sub jugo
Gentem benígnus éripit.
Nostris procul de fínibus
Erróris umbras dépulit;
Et qui manébant ímpios
Ritus deórum sústulit.
Fundo mixta flétibus
Spargébat olim sémina
Mansuétus; at nunc géstiens
Intrat supérnam régiam.
Quos prædicándo méssuit
Labóre partos plúrimo,
Deo fidélis víllicus
Lætus maníplos éxhibet.
Quam nempe plantávit fides,
Ingéntis instar árboris,
Ætérna, ramos éxplicans,
Umbrábit usque Voságos.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ.
Amen.**

℣. Pópulus quem ignóro sérviet mihi. ℟. Filii aliéni audítu auris obédient mihi.

Ad Magnificat, Aña.

O pátriæ nostræ * lampas præfúlgida, sancte Mansuéte, qui Leucis Evangélium Christi annuntiásti! Semper pius exorátor adsis pro nobis apud Deum, qui te elégit.

Oratio.

Deus, qui beáti Mansuéti, Confessóris tui atque Pontíficis, prædicatióne de incredulitátis ténebris nos vocásti in admirábile Evangélii lumen: fac, ut ejus intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui. Qui tecum vivit.

Ad Matutinum, Invitator.

Regem Confessórum Dóminum, * Veníte adorémus.

Hymnus.

Junctum sibi dum cœlites
Te, Pastor alme, cóncinunt,
Plaudámus et nos nóbili
Patris triúmpho fílii.
Te nostra tellus prædicat
Apóstolus non ímparem,
Mansuéte, qui nos ad novi
Lucem vocásti fœderis,
Virtútis almæ sémitam
Nobis reclúdens pérditis,
Puri lavácri múnere
Vitam dedísti cœlicam.
Beáta tellus quam Pater,
Sudóre fœcúndans suo,
Fructus perénnes cómpulit
Sinu ferácì fúndere!
Regnántis Agni nunc comes
Mansuéte, ne nos déseras;
Audi rogántes nos tui
Partem gregis supérstitem.
Qua providébas síngulis
Pater pius cleméntia,
Hanc tu Deo jam próximus
Impénde cunctis lárgius.
Da, Christe, tanti Præsulis
Pugnáre terris æmulos:
Da, quod supérnis sédibus.
Tenet, meréri præmium.
Sit Trinitáti glória,
Poténte dextra quæ suos
Gaudet tuéri Præsules,
Jugíque Palma cíngere.
Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Factum est * verbum Dómini ad eum dicens: Vade in civitátem, et prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Ps. de Communi Conf. Pont.

Aña. Fide * obedívit in locum exíre quem acceptúrus erat in hæreditátem.

Aña. Surréxit, * et ábiit juxta verbum Dómini, et cœpit introíre in civitátem.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésia magna. ℟. Lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. 1. *Thess.* 1.

Gratias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram: quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in

vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa cum gáudio Spíritus sancti ; ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. Laudémus virum gloriósum et Paréntem nostrum Mansuétum in generatióne sua : * Multam enim glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua. ℣. Imperávit in Leucórum pópulo, et nuntiávit ei virtúte prudénti sanctíssima verba. Multam.

Lectio ij. *Cap.* 1. *et* 2.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est ; ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos ; et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit.

℟. Egréssus in salútem pópuli nostri, Leucórum fugávit ténebras et crímina : * Verbi calóre cœlici frígida inflammávit péctora. ℣. Virtúte magna præditus, culpæ destrúxit impérium ; et mente semper férvidus, curam gessit fidélium. Verbi.

Lectio iij.

Fiduciam habúimus in Deo, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia ; neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium ; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli ; sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

℟. Suscitávit sibi Dóminus sacerdótem fidélem, qui juxta cor ejus et ánimam ejus fecit : * Et ambulávit coram Christo Dómini * Cunctis diébus. ℣. Mansuétus et pátiens, cum modéstia corripiébat eos qui resistébant veritáti. Et ambulávit. Glória Patri. Cunctis.

In secundo Nocturno.

Aña. Locútus est * ómnia verba quæ díxerat Dóminus; et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus.

Aña. Deseréntes * cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt.

Aña. Dóminus vóluit * ut sanctificáret pópulum suum, et magnificáret legem, et extólleret.

℣. Veníte, fílii, audíte me. ℟. Timórem Dómini docébo vos.

Lectio iv.

Mansuetus, natióne Scotus, adoléscens, relícta pátria, Romam perréxit, témpore, ut verisimíllime créditur, Constantíni Magni imperatóris, vel filiórum ejus. Ibi Apostólicæ institutiónis magistério formátus, de hoc sacro fonte accépit quod veríssimis testimóniis póstmodum pópulis propináret. Exúto cum véteri hómine prióri vocábulo, Mansuéti nomen est consecútus, ab agni, quam præferébat, mansuetúdine. Tum in Gálliam Bélgicam ad prædicándum missus, ac Pontificális auctoritátis præmunítus privilégio, Leucórum urbis cívibus se íntulit, ad ómnia suppliciórum génera parátus. Tullum ítaque ingréssus, et bárbaram multitúdinem nil véritus, fidei sacraméntum et Christiánæ religiónis cultum Leucánis prædicáre cœpit, iísque viam salútis aperíre. Beátus autem Póntifex in prospéctu urbis, umbrósis sylvárum fróndibus contéctum locum delégerat, in quo soli Deo vacans atténtius, sanctum opus votis assíduis commendábat.

℟. Ad gentem Leucórum missus, multos ad Christi fidem verbo atque exémplo perdúxit: * Non martyrio volúntas, sed voluntáti martyrium défuit. ℣. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. Non.

Lectio v.

Erat autem Mansuétus decórus aspéctu, móribus lenis, allóquio suávis, constántia fortis, castitáte præcípuus, egenórum misériis pronus, in oratióne assíduus, in lectióne devótus, in lácrymis profúsus, in bonis dénique áctibus probátus atque perféctus. Quem inter arma bárbaræ gentis et mores ferocíssimos divína virtus servábat illæsum, ut erudíret plebem fidélium, et urbem fæcibus idolórum pénitus expiáret. Verum ita infándis idolórum rétibus pópulus adhærébat, ut voce et exémplis vir sanctus parum profecísset, nisi Dómini bónitas verbum pietátis promovísset admirábili ópere. Cum enim Præfécti fílius e spécula ludos equéstres spectáret atténtius, áccidit ut e superióri tabuláto præceps in terram rúeret exánimis, donec quæsítus per tríduum Mansuétus tandem advénit, fusísque ad Deum de more précibus, mórtuum púerum vitæ restítuit magno ómnium stupóre. Hinc factum est ut tota Præfécti família, copiósa cívium turma, et mox pleríque regiónis íncolæ Domínico gregi adjungeréntur.

℟. O virum mirábilem, quem tanta signórum potestáte Dóminus decorávit, * Ut étiam unigénitum patris ad vitam revocáverit. ℣. Erat enim magnus in ópere et sermóne, et rerum mirabílium patrátor. Ut.

Lectio vj.

Alta ígitur pace potítus Mansuétus, templum Deo uni et trino eréxit et sacrávit, clerum ordinávit, compositóque ad omnem pietátem pópulo, plácido mortis sopóre corréptus,

ad Christum, quem únice sitiébat, migrávit, anno, ut créditur, suæ prædicatiónis quadragésimo. In suburbána Príncipis Apostolórum ecclésia sepúltus est sanctíssimus Póntifex qui, secúndum beáti Pauli dictum, etsi áliis non fúerit Apóstolus, huic tamen plebi vere Apóstolus éxtitit; et quamvis móribus nostris multa deésse sentiámus, signa tamen Apostolátus ejus nos omnes in Dómino sumus, quos per Evangélium in Christo génuit.

℟. Vir iste in pópulo mitíssimus appáruit, sanctitáte et grátia plenus éxtitit, * Et a ténebris patres nostros revocávit. ℣. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Aña. Scitis * intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit. Mémores enim estis labóris nostri, allelúia.

Aña. Desiderántes vos, * cúpide volebámus trádere vobis, non solum Evangélium, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis, allelúia.

Aña. Evangélium * nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, allelúia.

℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.*. 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Apostoli ea quæ prædicárunt numquam prædicatúri fuíssent, nisi divína movénte grátia. Eam rem excutiámus, ostendamúsque non potuísse eos id suscípere, vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent: non quia imbecílli advérsus fortes; non quia indócti contra sapiéntes áciem instruébant : sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius esse véteris consuetúdinis tyránnide, máxime cum de cultu religiónis et de Dei glória ágitur.

℟. Annuntiávit in Géntibus et audítum fecit; levávit signum crucis in pópulis, confúsa sunt sculptília, * Superáta sunt idóla eórum. ℣. Quod ergo tu signum facis, ut videámus et credámus tibi? Superáta.

Lectio viij.

Aliud erat majus impediméntum, quod non modo consuetúdo tam antíqua mutarétur, sed étiam quod mutátio illa cum perículo fíeret. Credéntem statim accidébat publicári, pelli, a pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse et suis et aliénis... Ad consuetúdinem et ad perícula id addas, quod hæc præcépta onerosióra essent, et ea a quibus abducébant, lévia et facília. Nam a fornicatióne ad castitátem vocábant, ab amóre vitæ ad mortem, ab

ebrietáte ad jejúnium, a risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítia ad paupertátem... Quid ergo illos inducébat? An non virtus ejus qui prædicabátur, ut palam est?

℟. Talis decébat ut nobis esset Pastor et Póntifex * Qui oves suas contra lupos defénderet, et errántes húmeris suis ad ovíle reportáret. ℣. Convérsi estis nunc ad Pastórem et Epíscopum animárum vestrárum. Qui. Glória Patri. Qui.

Lectio ix.

Magnum est miráculum, quod bárbaris homínibus persuáserint ut talem fidem suscíperent, et bonam de futúris spem habérent; ut, depósita priórum peccatórum sárcina, cum magna ánimi alacritáte, deínde pro virtúte labóres suscíperent; ut ómnibus corpóreis rebus superióres effécti, spirituália accíperent dona.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Antiphonæ.

1. Jurávit Dóminus * servo suo Mansuéto, et non pœnitébit eum: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

2. Virtútem * óperum Dómini annuntiávit pópulo suo, ut daret illis hæreditátem filiórum Dei.

3. Prædicávit * verbum Dei in Leucórum pópulo, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus in remissiónem peccatórum.

4. Sacerdótes Dei, * benedícite Dómino, quia Mansuétus hæreditávit terram, et delectábitur in multitúdine pacis.

5. Meménto, * Dómine, Pastóris nostri, et omnis mansuetúdinis ejus.

Capitulum.

Opus meum vos estis in Dómino, nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui; et si áliis non sum apóstolus, sed tamen vobis sum.

Hymnus.

Audi tuo quæ nómini,
Mansuéte, vota fúndimus;
Fac quam dedísti, férveat
Fides apud nos íntegra.
Tui sumus nos; ínsiti
Tuo labóre créscimus;
Dignáre larga désuper
Nos irrigáre déxtera.
Oves tibi nos débiles
Pastor suprémus crédidit:
Arce lupos, et pínguibus
Da nutriámur páscuis.
Quos parturísti fílios
Ad alta tránsfer sídera:
Juncti tibi perénnibus
Ut perfruámur gáudiis.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Compar tibi laus Spíritus;
Da eum suis Pastóribus
Uni tibi grex sérviat.
Amen.

℣. Annuntiávi et locútus sum.
℟. Multiplicáti sunt super númerum.

Ad Benedictus, Aña.

O Mansuéte, * vir amánde, Pastor benigníssime, fac nos audíre vocem tuam, et ne dimíttas oves gregis tui, ut, sicut unus est Pastor sic fiat unum ovíle.

Oratio.

Deus, qui beáti Mansuéti, Confessóris tui atque Pontíficis, prædicatióne de incredulitátis ténebris nos vocásti in admirábile Evangélii lumen:

fac, ut ejus intercessióne, crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi filii tui. Qui tecum.

Ad Tertiam, Capit. Opus meum, ut in Laud.

℟. br. Annuntiávi justítiam tuam * In Ecclésia magna. Annuntiávi. ℣. Lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. In Ecclésia. Glória Patri. Annuntiávi. ℣. Veníte, fílii, audíte me. ℟. Timórem Dómini docébo vos.

Ad Sextam, Capitulum. *Philip*. 4.

FRATRES mei caríssimi et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea, sic state in Dómino.

℟. br. Veníte, fílii, * Audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini docébo vos. Audíte. Glória Patri. Veníte. ℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Ad Nonam, Capitulum. 1. *Thess*. 4.

SCITIS quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum Christum: hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra.

℟. br. Non fecit táliter * Omni natióni. Non. ℣. Et judícia sua non manifestávit eis. Omni. Glória Patri. Non. ℣. Annuntiávi et locútus sum. ℟. Multiplicáti sunt super númerum.

In ij. Vesperis, Psalmi de Dñica et loco ultimi, Meménto Dómine, David. Añæ et Capit. de Laudibus; Hymn. de j. Vesp.

℣. Annuntiávi et locútus sum.
℟. Multiplicáti sunt super númerum.

Ad Magnificat, Aña.
O pátriæ nostræ * lampas præfúlgida, sancte Mansuéte, qui Leucis Evangélium Christi annuntiásti! Semper pius exorátor adsis pro nobis apud Deum, qui te elégit.

Oratio ut supra.

Commemoratio sequentis, deinde S. Ægidii, Abbatis, per Añam et ℣. e Laudibus. Oratio. Intercéssio, Postea SS. XII Fratrum Martyrum, ut in Breviario.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Raymundi Nonnati, Conf. non Pont.
Duplex. m. t. v.
(Dies fixa ex 31 Aug.)

Lectio ix. S. Ægidii, Abbatis, cujus post Octavam commemoratio ad Laudes per Añam et ℣. e j. Vesperis, deinde SS. XII. Fratrum Martyrum, ut in Breviario.

In ij. Vesp. com. seq. et Oct.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. Stephani, Regis et Conf.
Semiduplex.

Ad Laudes, com. Oct.

In ij. Vesperis a Capitulo de Octava, commemoratio præcedentis ac S. Gauzelini, Conf. et Pont. Oratio. Da, quæsumus.

DIE III. SEPTEMBRIS.

De Octava S. Mansueti.
Semiduplex.
De S. Gauzelino.
Lectio ix.

GAUZELINUS, nobilíssimis Francórum natálibus ortus, et inter regni próceres óptime educátus, Drogóni Leucórum Epí-

scopo succéssit, non minus amor quam sui gregis pastor. Póntifex ordinátus, urbem et Ecclésiam rebus auxit, sapiéntia decorávit et providénti dispensatióne munívit. Nec in iis stetit sancti Antístitis zelus. Cónscius enim quantum ad Ecclésiæ splendórem et pietátis increméntum conférret, recta monasteriórum institútio, lapsam in plúrimis Ecclésiæ suæ cœnóbiis disciplínam, sanctíssimis accersítis viris, restaurávit. Plúribus intérfuit consíliis, ac inter cætera Virdunénsi et Mosoménsi. Tandem post multos in Christi milítia labóres, quadriennáli, quem patientíssime sústulit, languóre probátus, plenus diérum ac bonórum óperum óbiit, plusquam mediánte sæculo décimo, anno pontificátus sui quadragésimo quarto.

SUFFRAGIUM S. DEODATI

PRO ECCLESIA CATHEDRALI.

In Semid. et infra.

In Vesp. Aña. **Hic est fratrum amátor et pópuli Israel, hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.**

℣. **Beátus quem elegísti et assumpsísti.** ℟. **Inhabitábit in átriis tuis.**

Ad Laud. Aña. **Non recédet memória ejus et nomen ejus requirétur a generatióne, in generatiónem.**

℣. **Dabis eum in benedictiónem.**
℟. **In sæculum sæculi.**

Oratio.

Propitiare, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis, per sancti Deódati, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita glorlósa: ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

KALENDARIUM

PROPRII SANCTI-DEODATI.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria v. non impedita. **Offic. SS. Sacramenti,** semid.

Quolibet Sabbato non impedito, **Offic. Immaculatæ Conceptionis B. M. V.,** semid.

FESTA MOBILIA.

Dom. iij. post Pentec. **SS. Cordis Jesu,** dup. ij. classis.

Dom. post Octav. **Assumptionis, Purissimi Cordis B. M. V.** dupl. maj.

PROPRIUM SANCTORUM.

MAIUS.

11 **S. Francisci de Hieronymo, Conf.,** semid. ad libitum.
15 **S. Isidori Agricolæ, Conf.,** semid. ad libit.
17 **S. Joannis Nepomuceni, Mart,** semid. ad libit.
21 **S. Felicis a Cantalicio, Conf.** semid. ad libit.
22 **S. Paschalis Baylon, Conf.,** dupl. (Dies fixa ex 17 hujus.)
24 **B. M. V. sub titulo Auxilium Christianorum,** dup. maj. **com. S Vincentii Lirinensis.**
31 **S. Angelæ Mericiæ, Virg.,** dupl. **com. S. Petronillæ, Virg.**

JUNIUS.

2 **SS. Photini, Episc. et Soc., Mart.,** semid. ad libit. **com. SS. Marcellini et Soc., Mart.**
3 **S. Hunnæ, Viduæ,** semid. ad libit. **Com. S. Clotildis, Reginæ.**
5 **S. Bonifacii, Episc. et Mart.,** semid. ad libit.
8 **S. Medardi, Episc. et Conf.,** semid. ad libit.
16 **SS. Ferreoli, Presbyt., et Ferrutionis, Mart.,** semid. ad libit.
17 **S. Joannis Francisci Regis, Conf.,** dupl.
23 **S. Jacob, Episc. et Conf,** semid. ad libit. **com. Vigiliæ.**

JULIUS.

7 **B. Petri Forerii, Conf.,** dupl. maj.
8 **S. Deodati, Conf. Pont.,** dup. i. cl. cum Oct.
9 **Prodigiorum B. M. V.,** dupl. maj. **com. Oct. S. Deodati et S. Auspicii, Episc. et Conf.**
10 **SS. Septem Fratrum Mart. ac SS. Rufinæ et Secundæ, Virg. et Mart.,** semid. **com. Octavæ.**
11 **S. Hydulphi, Episc. et Conf.,** dupl. **com. Oct. et S. Pii, Papæ et Mart.**
12 **S. Joannis Gualberti, Abb.,** dupl. **com. Oct. et SS. Naboris et Felicis, Mart.**
13 **S. Anacleti, Papæ Mart.,** semid. **com. Octavæ.**
14 **S. Bonaventuræ, Episc., Conf. et Doct.,** dupl **com Octavæ.**
15 **Octava S. Deodati,** dupl. **com. S. Aproniæ, Virg.**
21 **S. Veronicæ de Julianis, Virg.,** dupl. (Dies fixa ex 27 hujus.) **com. S. Praxedis, Virg.**
24 **S. Arnulphi, Conf. et Pont.,** dupl. (Dies fixa ex 18 hujus.) **com. Vigiliæ et S. Christianæ, Mart.**
27 **S. Elisabeth, Portugalliæ Reginæ, Viduæ,** semid. (Dies fixa ex 8 hujus.) **com. S. Pantaleonis, Mart.**
30 **S. Lupi, Conf. Pont,** semid. ad libit. **com. SS. Abdon et Sennen, Mart.**

AUGUSTUS.

9 **S. Henrici, Imperat., Conf.,** semid. (Dies fixa ex 15 Julii.) **com. et Vigiliæ S. Romani, Mart.**
11 **S. Philumenæ, Virg. et Mart.,** dupl. **com. Oct. et SS. Tiburtii et Susannæ, Mart.**
16 **S. Rochi, Conf.,** dupl. **com. Octavarum.**
18 **S. Hyacinthi, Conf.,** dupl. (Dies fixa ex 16 hujus.) **com. Octav. et S. Agapiti, Mart.**
25 **S. Ludovici, Regis et Conf.,** dupl.
30 **S. Rosæ, Virginis Limanæ,** dupl. **com. S. Fiacrii.**
31 **S. Mansueti, Episc. et Conf.,** dupl. ij. classis. **com. Octav.**

SEPTEMBER.

1 **S. Reymundi Nonnati, Conf.** (Dies fixa ex 31 Augusti.) **com. Octav. S. Ægidii, Abb ac SS. XII Fratrum, Mart.**
2 **S. Stephani, Regis et Conf.,** semid. **com. Octav.**
3 **De Octava S Mansueti,** semid. **com. S. Gauzelini, Conf. et Pont.**

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXVI.

4

OFFICIA PROPRIA

DIOECESIS SANCTI-DEODATI.

PARS AUTUMNALIS.

PROPRIUM SANCTORUM.

FESTA AUGUSTI.

DIE XXVII. AUGUSTI.

S. Josephi Calasanctii a Matre Dei, Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

In Hymn. Iste Confessor, mutatur tertius versus.

Oratio.

Deus, qui per sanctum Josephum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es : præsta, quæsumus; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fácere, et docére, ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Josephus Calasánctius a Matre Dei, Petráltæ in Arragónia nóbili génere natus, a téneris annis futúræ in púeros charitátis, et eórum institutiónis indícia præbuit. Nam adhuc párvulus eos ad se convocátos in mystériis fidei, et sacris précibus erudiébat. Humánis divinísque lítteris egrégie doctus, cum stúdiis theológicis Valéntiæ óperam daret, nóbilis potentísque féminæ illécebris fórtiter superátis, virginitátem, quam Deo vóverat, inofféńsam insígni victória servávit. Sacérdos ex voto factus, a complúribus Epíscopis in Castéllæ Novæ, Arragóniæ, et Cataláuniæ regnis in partem labóris adscítus, expectatiónem ómnium vicit, pravis ubíque móribus emendátis, ecclesiástica disciplína restitúta, inimicítiis cruentísque factiónibus miríifice extínctis. At cœlésti visióne, et Dei voce frequénter admónitus, Romam proféctus est.

Lectio v.

In Urbe summa vitæ asperitáte, vigíliis, et jejúniis corpus afflígens, in oratiónibus et cœléstium rerum contemplatióne dies noctésque versabátur, septem ejúsdem Urbis Ecclésias síngulis fere nóctibus obíre sólitus : quem inde morem complúres annos servávit. Dato piis sodalitátibus nómine, mirum, quanto ardóre páuperes, infírmos potíssimum, aut carcéribus

detentos, eleemósynis omníque pietátis offício subleváret. Lue Urbem depopulánte, una cum sancto Camíllo, tanto fuit actus ímpetu charitátis, ut præter subsídia ægrótis paupéribus large colláta, ipsa étiam defunctórum cadávera suis húmeris tumulánda transférret. Verum cum divínitus accepísset, se ad informándos intelligéntiæ, ac pietátis spíritu adolescéntulos, præcípue páuperes, destinári: OrdinemClericórum regulárium páuperum MatrisDei scholárum piárum fundávit, qui peculiárem curam circa puerórum eruditiónem ex próprio institúto profiteréntur: ipsúmque Ordinem a Cleménte Octávo, a Paulo Quinto, aliísque summis Pontifícibus magnópere probátum, brevi témpore per plúrimas Európæ províncias et regna mirabíliter propagávit. In hoc autem tot labóres perpéssus est, ac tot ærúmnas invícto ánimo tolerávit, ut ómnium voce, miráculum fortitúdinis, et sancti Jobi exémplum dicerétur.

Lectio vj.

Quamvis Ordini univérso præésset, totísque víribus ad animárum salútem incúmberet, numquam tamen intermísit púeros, præsértim paupe-rióres, erudíre quorum scholas vérrere, eósque domum comitári consuévit. In eo summæ patiéntiæ ethumilitátis múnere, valetúdine étiam infírma, duos et quinquagínta annos perseverávit: dignus proptérea, quem crebris Deus miráculis coram discípulis illustráret, et cui beatíssima Virgo cum púero Jesu, illis orántibus benedicénte, apparéret. Amplíssimis ínterim dignitátibus repudiátis, prophetía, ábdita córdium, et abséntia cognoscéndi donis, et miráculis clarus, Deíparæ Vírginis, quam singulári pietáte et ipse ab infántia cóluit, et suis máxime commendávit, aliorúmque Cœlitum frequénti apparitióne dignátus, cum óbitus sui diem, et Ordinis tunc prope evérsi restitutiónem atque increméntum prænuntiásset, secúndum et nonagésimum annum agens, Romæ obdormívit in Dómino, octávo Kaléndas Septémbris, anno millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo. Ejus cor et lingua post sæculum íntegra et incorrúpta repérta sunt. Ipse vero multis post óbitum quoque signis a Deo illustrátus, primum a Benedícto Décimo quarto Beatórum cultu decorátus fuit, ac deínde a Cleménte Décimo tértio inter Sanctos solémniter est relátus.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 18.

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cœlórum? Et réliqua.

Homília S. Joánnis Chrysóstomi.

Hom. 60. *in cap.* 18. *Matth.*

Vidéte, ne áliquem istórum contempséritis parvulórum, quia eórum Angeli Patris mei fáciem semper aspíciunt: et quia ego propter eos veni, et hæc Patris mei volúntas est. Ad tuéndos conservandósque pusillos diligentióres nos reddit. Pér-

spicis quam ingéntia in tutélam tenúium mœnia eréxerit, et quantum stúdium, curámque hábeat, ne perdántur, tum quia suprémas despiciéntibus eos pœnas státuit, tum quia summam pollicétur mercédem his qui curam eórum suscípiunt, idque tam suo, quam Patris exémplo corróborat.

Lectio viij.

Dominum ígitur étiam nos imitémur, et nihil pro frátribus omittámus, étiam eórum quæ humília vilíaque nímium videntur: sed si administratióne nostra étiam opus fúerit, quamvis ténuis atque abjéctus quidem, cui administrándum sit, fúerit, quamvis árdua nobis res, atque labóris plena esse videátur, ómnia hæc pro fratris salúte tolerabilióra facilióraque, oro, videántur: tanto enim stúdio, tantáque cura Deus dignam esse ánimam osténdit, ut neque Fílio suo pepércerit.

Lectio ix.

Si non est nobis satis ad salútem, quod virtuóse ipsi vivámus, sed opórtet aliórum salútem re ipsa desideráre; cum neque nos recte vivámus, neque álios hortémur, quid respondébimus? Quæ nobis spes salútis réliqua erit? Quid majus, quam ánimis moderári, quam adolescentulórum fíngere mores? Omni certe pictóre, omni certe statuário, ceterísque hujúsmodi ómnibus excellentiórem hunc duco, qui júvenum ánimos fíngere non ignóret.

Te Deum laudámus.

In ij. Vesp. fit a Capit. de seq., com. præc., et S. Hermetis, Mart.

DIE XXVIII. AUGUSTI.

S. Augustini, Episc., Conf. et Eccl. Doct. Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pont. præter seq.

Ad Magnificat, Aña.

O Doctor óptime, Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Augustíne, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei.

Oratio.

Adesto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno, Confessóre tuo atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus effécum. Per Dóminum.

Fit com. S. Josephi Calasanctii, Aña. Hic vir. ℣. Justum. Oratio. Deus, qui.

Deinde S. Hermetis, Mart. Aña. Iste Sanctus. ℣. Glória.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne, tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dñum.

In j. Nocturno Lectiones, Sapiéntiam, de Comm. Doct.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Augustinus, Tagáste in Africa honéstis paréntibus natus, ac puer docilitáte ingénii æquáles longe súperans, brevi ómnibus doctrína antecélluit. Adoléscens dum esset Carthágine, in Manichæórum hæresim íncidit. Póstea Romam proféctus, inde Mediolánum missus ut Rhetóricam docéret, cum ibi

frequens Ambrósii Epíscopi esset audítor, ejus ópera incénsus stúdio Cathólicæ fidei, annos natus trigínta tres ab ipso baptizátur. Revérsus in Africam, cum religióne vitæ sanctimóniam conjúngens, a Valério notæ sanctitátis Epíscopo Hipponénsi présbyter factus est. Quo témpore famíliam instítuit Religiosórum, quibúscum victu commúni, eodémque cultu utens, eos ad apostólicæ vitæ doctrinæque disciplínam diligentíssime erudiébat. Sed cum vigéret Manichæórum hæresis, veheméntius in illam ínvehi cœpit, Fortunatúmque hæresiárcham confutávit.

Lectio v.

Hac Augustíni pietáte commótus Valérius, eum adjutórem adhíbuit episcopális officii. Nihil illo fuit humílius, nihil continéntius. Lectus ac vestítus moderátus, vulgáris mensa, quam semper sacra vel lectióne, vel disputatióne condiébat. Tanta benignitáte fuit in páuperes, ut cum non esset ália facúltas, sacra vasa fríngeret, ad eórum inópiam sustentándam. Feminárum, et in eis soróris, et fratris filiæ, contubérnium familiaritatémque vitávit: quippe qui díceret, Etsi propínquæ mulíeres suspéctæ non essent, tamen quæ ad eas ventitárent, posse suspiciónem effícere. Nullum finem fecit prædicándi Dei verbum, nisi gravi morbo oppréssus. Hæréticos perpétuo insectátus et coram, et scriptis, ac nullo loco passus consístere, Africam a Manichæórum, Donatistárum, Pelagianórum, aliorúmque prætérea hæreticórum erróre magna ex parte liberávit.

Lectio vj.

Tam multa pie, subtíliter, et copióse scripsit, ut christiánam doctrínam máxime illustrárit. Quem in primis secúti sunt, qui póstea theológicam disciplínam via et ratióne tradidérunt. Wándalis Africam bello vastántibus, et Hippónem tértium jam mensem obsidéntibus, in febrim íncidit. Itaque cum discéssum e vita sibi instáre intellígeret, Psalmos David, qui ad pœniténtiam pértinent, in conspéctu pósitos profúsis lácrymis legébat. Solébat autem dícere, néminem, etsi nullíus scéleris sibi cónscius esset, commíttere debére, ut sine pœniténtia migráret e vita. Ergo sénsibus íntegris, in oratióne defíxus, astántibus frátribus, quos ad charitátem, pietátem, virtutésque omnes erat adhortátus, migrávit in cœlum. Vixit annos septuagínta sex, in Episcopátu ad trigínta sex. Cujus corpus primum in Sardíniam delátum, deínde a Luitprándo Longobardórum rege magno prétio redémptum, Ticínum translátum est, ibíque honorífice cónditum.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vos estis sal terræ, de Comm. Doct. j. loco.

In Laud. fit com. S. Hermetis, Mart. Aña. Qui odit. ℣. Justus. Oratio. Deus, qui.

Vesp. de seq. cum com. ut inf.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. Rosæ, Virg. Limanæ.

Duplex.

Com. SS. Felicis et Adaucti.

Mart. ut in Brev., deinde S. Fiacrii Anach. Aña Similábo. ℣. Amávit. Oratio. Deus qui nos.

Lectio ix.

De SS. Mart. et S. Fiacrio, (duabus in unam).

Fiacrius, qui et Fefrus, in Hibérnia, quam véteres Scótiam appellábant, nóbili natus génere, Meldas ad sanctum Farónem, solitáriæ vitæ desidério, cum áliquot sóciis venit: cujus votis ánnuens beátus Póntifex, locum procul a tumúltu et sylvis circumtéctum, e património suo, nómine Brógilum, illi concéssit. Ibi Fiácrius, evúlsis arbóribus, monastérium in honórem sanctíssimæ Vírginis constrúxit, in quo peregrínos et hóspites excipiébat, exígua sibi seórsim ædificáta domo. Cum autem virtútum ejus fama longe diffunderétur, undequáque ad eum adducebántur infírmi, quos sola manus impositióne sanitáti restituébat. Fuit ei sánguine conjúnctus beátus Chilénus, a sancto Faróne póstea missus ad Atrebátes: quem Romána peregrinatióne reverténtem suscépit Fiácrius, et apud se retínuit aliquándiu, cum ipso divínis collóquiis vacatúrus. Miráculis illústris, labénte sæculo séptimo, vita functus est. Corpus ejus, multis inde sæculis, ad ecclésiam cathedrálem Meldénsem translátum est, ne in illud Calviniáni, pro more suo, ímpie desævírent: locus tamen sancti Anachorétæ vestígiis et conversatióne consecrátus, magno populórum concúrsu frequentári non désiit.

Ad Laud. com. SS. Mart. ut in Brev., deinde S. Fiacrii, Conf. Aña. Euge.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. Mansueti, Conf. Leucorum Primi Episc.

Duplex ij. cl. cum Oct.

In j. Vesperis, Psalmi ut in Festis. Añæ et Capit. de Laud.

Hymnus.

Regnator orbis præpotens,
Qui luce vanas méntium
Depéllis umbras, et fera
Qui corda Christo súbjicis,
Nostri misértus, déviis
Apóstolum tu déstinas:
Fœcúnda sanctis ínsula
Patrem jubárque prótulit.
Freménte multa dæmone,
Nostram vetérno críminum
Turpíque pressam sub jugo
Gentem, benígnus éripit.
Nostris procul de fínibus
Erróris umbras dépulit;
Et qui manébant ímpios
Ritus deórum sústulit.
Fúndo mixta flétibus
Spargébat olim sémina
Mansuétus; at nunc géstiens
Intrat supérnam régiam.
Quos prædicándo méssuit
Labóre partos plúrimo,
Deo fidélis víllicus
Lætus maníplos éxhibet.
Quam nempe plantávit fides,
Ingéntis instar árboris,
Ætérna, ramos éxplicans,
Umbrábit usque Voságos.
Uni sit et trino Deo
Supréma laus, summum decus,
De nocte qui nos ad suæ
Lumen vocávit glóriæ. Amen.

℣. Pópulus quem ignóro sérviet mihi. ℟. Fílii aliéni audítu auris obédient mihi.

Ad Magnificat, Aña.

O pátriæ nostræ * lampas præfúlgida, sancte Mansuéte, qui Leucis Evangéliũ Christi annuntiásti! Semper pius exorátor adsis pro nobis apud Deũ, qui te elégit.

Oratio ut ad Laudes.

Ad Matutinum, Hymnus.

Junctum sibi dum Cœlites
Te, Pastor alme, cóncinunt,
Plaudámus et nos nóbili
Patris triúmpho filii.
Te nostra tellus prædicat
Apóstolis non ímparem,
Mansuéte, qui nos ad novi
Lucem vocásti fœderis,
Virtútis almæ sémitam
Nobis reclúdens pérditis,
Puri lavácri múnere
Vitam dedísti cœlicam.
Beáta tellus quam Pater,
Sudóre fœcúndans suo,
Fructus perénnes cómpulit
Sinu feráci fúndere!
Regnántis Agni nunc comes
Mansuéte, ne nos déseras;
Audi rogántes nos tui
Partem gregis supérstitem.
Qua providébas síngulis
Pater pius, cleméntia,
Hanc tu Deo jam próximus
Impénde cunctis lárgius.
Da, Christe, tanti Præsulis
Pugnáre terris æmulos:
Da, quod supérnis sédibus
Tenet, meréri præmium.
Sit Trinitáti glória,
Poténte dextra quæ suos
Gaudet tuéri Præsules,
Jugíque palma cíngere. Amen.

In primo Nocturno.

Aña. Factum est * verbum Dómini ad eum, dicens: Vade in civitátem, et prædica in ea prædicatiónem quam ego loquor ad te. Ps. de Comm. Conf. Pont.

Aña. Fide * obedívit in lócum exíre quem acceptúrus erat in hæreditátem.

Aña. Surréxit, * et ábiit juxta verbum Dómini, et cœpit introíre in civitátem.

℣. Annuntiávi justítiam tuam in Ecclésia magna. ℟. Lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

Lectio j. 1. *Thess.* 1.

Gratias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fidei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: sciéntes, fratres dilécti a Deo, electiónem vestram: quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus sancti; ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus.

℟. Laudémus virum gloriósum et Paréntem nostrum Mansuétum in generatióne sua: * Multam enim glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua. ℣. Imperávit in Leucórum pópulo, et nuntiávit ei virtúte prudénti sanctíssima verba. Multam.

Lectio ij. *Cap.* 1. *et* 2.

In omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est; ita ut non sit nobis necésse

quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos; et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et expectáre Fílium ejus de cœlis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra. Nam ipsi scitis, fratres, intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit.

℟. Egréssus in salútem pópuli nostri, Leucórum fugávit ténebras et crímina: * Verbi calóre cœlici frígida inflammávit péctora. ℣. Virtúte magna præditus, culpæ destrúxit impérium; et mente semper férvidus, curam gessit fidélium. Verbi.

Lectio iij.

Fiduciam habúimus in Deo, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium; ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis: neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli; sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

℟. Suscitávit sibi Dóminus sacerdótem fidélem, qui juxta cor ejus et ánimam ejus fecit: * Et ambulávit coram Christo Dómini * Cunctis diébus. ℣. Mansuétus et pátiens, cum modéstia corripiébat eos qui resistébant veritáti. Et ambulávit. Glória Patri. Cunctis.

In secundo Nocturno.

Aña. Locútus est * ómnia verba quæ díxerat Dóminus; et fecit signa coram pópulo, et crédidit pópulus.

Aña. Deseréntes * cæremónias patrum suórum quæ in multitúdine deórum erant, unum Deum cœli coluérunt.

Aña. Dóminus vóluit * ut sanctificáret pópulum suum, et magnificáret legem, et extólleret.

℣. Veníte, fílii, audíte me. ℟. Timórem Dómini docébo vos.

Lectio iv.

Mansuetus, natióne Scotus, adoléscens, relícta pátria, Romam perréxit, témpore, ut verisimíllime créditur, Constantíni Magni imperatóris, vel filiórum ejus. Ibi Apostólicæ institutiónis magistério formátus, de hoc sacro fonte accépit quod veríssimis testimóniis póstmodum pópulis propináret. Exúto cum véteri hómine prióri vocábulo, Mansuéti nomen est consecútus, ab agni, quam præferébat, mansuetúdine. Tum in Gálliam Bélgicam ad prædicándum missus, ac Pontificális auctoritátis præmunítus privilégio, Leucórum urbis cívibus se íntulit, ad ómnia suppliciórum génera parátus. Tullum ítaque ingréssus, et bárbaram multitúdinem nil véritus, fídei sacra-

méntum et Christiánæ religiónis cultum Leucánis prædicáre cœpit, iísque viam salútis aperíre. Beátus autem Póntifex in prospéctu urbis, umbrósis sylvárum fróndibus contéctum locum delégerat, in quo soli Deo vacans atténtius, sanctum opus votis assíduis commendábat.

℟. Ad gentem Leucórum missus, multos ad Christi fidem verbo atque exémplo perdúxit: * Non martyrio volúntas, sed voluntáti martyrium défuit. ℣. Cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras. Non.

Lectio v.

Erat autem Mansuétus decórus aspéctu, móribus lenis, allóquio suávis, constántia fortis, castitáte præcípuus, egenórum miseriis pronus, in oratióne assíduus, in lectióne devótus, in lácrymis profúsus, in bonis dénique áctibus probátus atque perféctus. Quem inter arma bárbaræ gentis et mores ferocíssimos divína virtus servábat illæsum, ut erudíret plebem fidélium, et urbem fæcibus idolórum pénitus expiáret. Verum ita infándis idolórum rítibus pópulus adhærébat, ut voce et exémplis vir sanctus parum profecísset, nisi Dómini bónitas verbum pietátis promovísset admirábili ópere. Cum enim Præfécti filius e spécula ludos equéstres spectáret atténtius, áccidit ut e superióri tabuláto præceps in terram rúeret exánimis; donec quæsítus per tríduum Mansuétus tandem advénit, fusísque ad Deum de more précibus, mórtuum púerum vitæ restítuit magno ómnium stupóre. Hinc factum est ut tota Præfécti família, copiósa cívium turma, et mox pleríque regiónis íncolæ Domínico gregi adjungeréntur.

℟. O virum mirábilem, quem tanta signórum potestáte Dóminus decorávit, * Ut étiam unigénitum patris ad vitam revocáverit. ℣. Erat enim magnus in ópere et sermóne, et rerum mirabílium patrátor. Ut.

Lectio vj.

Alta ígitur pace potítus Mansuétus, templum Deo uni et trino eréxit et sacrávit, clerum ordinávit, compositóque ad omnem pietátem pópulo, plácido mortis sopóre corréptus, ad Christum, quem única sitiébat, migrávit, anno, ut créditur, suæ prædicatiónis quadragésimo. In suburbána Príncipis Apostolórum ecclésia sepúltus est sanctíssimus Póntifex qui, secúndum beáti Pauli dictum, etsi áliis non fúerit Apóstolus, huic tamen plebi vere Apóstolus éxtitit; et quamvis móribus nostris multa deésse sentiámus, signa tamen Apostolátus ejus nos omnes in Dómino sumus, quos per Evangélium in Christo génuit.

℟. Vir iste in pópulo mitíssimus appáruit, sanctitáte et grátia plenus éxtitit;* Et a ténebris patres nostros revocávit. ℣. Beáti mites, quóniam ipsi possidébunt terram. Et. Glória Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Aña. Scitis * intróitum nostrum ad vos, quia non inánis fuit. Mémores enim estis labóris nostri, allelúia.

Añt. **Desiderántes vos, * cúpide volebámus trádere vobis, non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis, allel.**
Añt. **Evangélium * nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed in virtúte, et in Spíritu sancto, et in plenitúdine multa, allelúia.**
℣. **Non fecit táliter omni natióni.** ℟. **Et judícia sua non manifestávit eis.**

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Apostoli ea quæ prædicárunt numquam prædicatúri fuíssent, nisi divína movénte grátia. Eam rem excutiámus, ostendamúsque non potuísse eos id suscípere, vel cogitáre, nisi Christum secum habuíssent : non quia imbecílli advérsus fortes; non quia indócti contra sapiéntes áciem instruébant : sed quia præjudicátæ opiniónis magna vis erat. Scitis enim nihil apud hómines valídius esse véteris consuetúdinis tyránnide, máxime cum de cultu religiónis et de Dei glória ágitur.

℟. **Annuntiávit in Géntibus et audítum fecit; levávit signum crucis in pópulis; confúsa sunt sculptília, * Superáta sunt idóla eórum.** ℣. **Quod ergo tu signum facis, ut videámus et credámus tibi. Superáta.**

Lectio viij.

Aliud erat majus impediméntum, quod non modo consuetúdo tam antíqua mutarétur, sed étiam quod mutátio illa cum perículo fíeret. Credéntem statim accidébat publicári, pelli, a pátria excídere, ab ómnibus ódio habéri, commúnem hostem esse et suis et aliénis... Ad consuetúdinem et ad perícula id addas, quod hæc præcépta onerosióra essent, et ea a quibus adducébant, lévia et facília. Nam a fornicatióne ad castitátem vocábant, ab amóre vitæ ad mortem, ab ebrietáte ad jejúnium, a risu ad lácrymas et compunctiónem, ab avarítia ad paupertátem... Quid ergo illos inducébat? An non virtus ejus qui prædicabátur, ut palam est?

℟. **Talis decébat ut nobis esset Pastor et Póntifex * Qui oves suas contra lupos defénderet, et errántes húmeris suis ad ovíle reportáret.** ℣. **Convérsi estis nunc ad Pastórem et Epíscopum animárum vestrárum. Qui. Glória Patri. Qui.**

Lectio ix.

Magnum est miráculum, quod bárbaris homínibus persuáserint ut talem fidẽ susciperent, et bonam de futúris spem habérent; ut, depósita priórum peccatórum sárcina, cum magna ánimi alacritáte deinde pro virtúte labóres suscíperent; ut ómnibus corpóreis rebus superióres effécti, spirituália accíperent dona. Te Deum laudámus.

AD LAUDES,

Antiphonæ.

1. **Jurávit Dóminus * servo suo**

Mansuéto, et non pœnitébit eum : Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.
2. Virtútem * óperum Dómini annuntiávit pópulo suo, ut daret illis hæreditátem filiórum Dei.
3. Prædicávit * verbum Dei in Leucórum pópulo, ad dandam sciéntiam salútis plebi ejus in remissiónem peccatórum.
4. Sacerdótes * Dei, benedícite, Dómino, quia Mansuétus hæreditávit terram, et delectábitur in multitúdine pacis.
5. Meménto, * Dómine, Pastóris nostri, et omnis mansuetúdinis ejus.

Capitulum.

Opus meum vos estis in Dómino, nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui; et si áliis non sum Apóstolus, sed tamen vobis sum.

Hymnus.

Audi tuo quæ nómini,
Mansuéte, vota fúndimus;
Fac quam dedísti, férveat
Fides apud nos íntegra.
Tui sumus nos; ínsiti
Tuo labóre créscimus;
Dignáre larga désuper
Nos irrigáre déxtera.
Oves tibi nos débiles
Pastor suprémus crédidit :
Arce lupos, et pínguibus
Da nutriámur páscuis.
Quos parturísti fílios
Ad alta transfer sídera :
Juncti tibi perénnibus
Ut perfruámur gáudiis.
Sit laus Patri, laus Fílio,
Compar tibi laus Spíritus;
Da cum suis Pastóribus
Uni tibi grex sérviat. Amen.

℣. Annuntiávi et locútus sum. ℟. Multiplicáti sunt super númerum.

Ad Benedictus, Aña.

O Mansuéte, * vir amánde, Pastor benigníssime, fac nos audíre vocem tuam, et ne dimíttas oves gregis tui, ut, sicut unus est Pastor, sic fiat unum ovíle.

Oratio.

Deus, qui beáti Mansuéti, Confessóris tui atque Pontíficis, prædicatióne de incredulitátis ténebris nos vocásti in admirábile Evangélii lumen; fac, ut ejus intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui. Qui tecum vivit.

Ad Tertiam, Capit. Os meum, ut in Laud.

℟. br. Annuntiávi justítiam tuam * In Ecclésia magna. Annuntiávi. ℣. Lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. In. Glória Patri. Annuntiávi. ℣. Veníte, fílii, audíte me. ℟. Timórem Dómini docébo vos.

Ad Sextam, Capitulum. *Philip. 4.*

Fratres mei caríssimi et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea, sic state in Dómino.

℟. br. Veníte, fílii, * Audíte me. Veníte. ℣. Timórem Dómini docébo vos. Audíte. Glória Patri. Veníte. ℣. Non fecit táliter omni natióni. ℟. Et judícia sua non manifestávit eis.

Ad Nonam, Capitulum. *1. Thess. 4.*

Scitis quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum Christum : hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra.

℟. br. **Non fecit táliter * Omni natióni. Non. ℣. Et judícia sua non manifestávit eis. Omni. Glória Patri. Non. ℣. Annuntiávi et locútus sum. ℟. Multiplicáti sunt super númerum.**

In ij. Vesp. Ps. de Domin. et loco ultimi, Ps. **Meménto, Dómine, David**, Añæ, Cap. de Laud., Hymn. de j. Vesp.

Ad Magnificat, Aña.

O Pátriæ nostræ * lampas præfúlgida, sancte Mansuéte, qui Leucis Evangélium Christi annuntiásti! semper pius exorátor adsis pro nobis apud Deum qui te elégit.

Oratio ut supra.

Com. seq. Deinde S. Ægidii, Abb. per Añam et ℣. de Laud. Oratio. **Intercéssio**, postea SS. XII. Fratrum Mart., ut in Brev.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. Raymundi Nonnati, Conf. non Pont.

Duplex. **m. t. v.**

(Dies fixa ex 31 Aug.)

Lectio ix. S. Ægidii, Abbatis, cujus, post Oct. com. ad Laud. et SS. XII. Fratrum Mart.

In Vesp. com. seq. et Oct.

DIE II. SEPTEMBRIS.

S. Stephani, Regis et Conf.

Semiduplex.

Ad Laud. com. Oct. In ij. Vesp. com. Oct. et S. Gauzemi, Conf. Pont. Oratio. **Da, quæsumus.**

DIE III. SEPTEMBRIS.

De Octava S. Mansueti.

Semiduplex.

Omnia de Festo, except. quæ seq.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro Enarratiónum sancti Augustíni Epíscopi, super Psalmos.

Lectio iv. *Ps.* **96. 2.**

Illi pro quibus non frustra (Christus) díxerat : Pater, ignósce illis, nésciunt enim quid fáciunt, commóti quæsiérunt salútem, consílium accepérunt ut in eum créderent : credidérunt uno die tria míllia. Cœpit fervére per Judæam Ecclésia Christi, ubi ferbúerat oppróbrium Christi. Sed quia díxerat ipse : hábeo álias oves quæ non sunt ex hoc ovíli, opórtet me eas addúcere, ut sit unus grex et unus pastor; étiam ad gentes, ad quas Prophétæ missi non erant, Apóstoli missi sunt.

Lectio v.

Quæsiti sunt qui non quæsíerant, invénti sunt qui nihil expectábant; quem non tenébant Deum pollicitatórem, invenérunt Redemptórem; jam enim Judæi tenébant Deum pollicitatórem, quia ibi Prophétæ Christum prædicáverant, ibi Christum promíserant; sic quem promíssum audíerant, præséntem non cognovérunt; illis autem promíssum nihil erat, sed tamen in Prophétis étiam de fide ipsórum dictum erat. Non dictum erat ipsis, sed dictum erat de ipsis.

Lectio vj.

Missum est et ad illos, et audístis ex dispensatióne Dei. Ipsa enim vobis léctio lecta est quómodo centúrio Cornélius crédidit. Cornélius enim centúrio non erat de gente Judæó-

rum. Orábat, jejunábat, eleemósynas faciébat. Non illum deséruit Deus, quamvis in Géntibus constitútum, et missus est ei Angelus qui illi nuntiáret quod eleemósynæ et oratiónes ipsíus accéptæ fuíssent apud Deum : crédidit, advocáto ad se Petro. Numquid non póterat eum docére Angelus ? Misit illum ad Petrum, ut magis per hóminem illi fides fieret, quia hómines dignátus erat Dóminus visitáre, nec dedignabátur docére per hóminem qui dignátus est esse homo.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ. *Hom.* 29.

Dicitur : prædicáte omni creatúræ, ut scílicet a Judæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adjutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit ? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide. Neque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent.

Lectio viij.

Sequitur : qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse apud semetípsum dicet : Ego jam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de falsis fidélibus Paulus dicit : Qui confitétur se Deum nosse, et mandáta ejus non custódit, mendax est. Cum enim ita sit, fídei nostræ veritátem in vitæ nostræ consideratióne debémus agnóscere. Tunc enim veráciter fidéles sumus si quod verbis promíttimus, opéribus complémus.

De S. Gauzelino. Lectio ix.

Gauzelinus, nobilíssimis Francórum natálibus ortus, et inter regni próceres óptime educátus, Drogóni Leucórum Epíscopo succéssit, non minus amor quam sui gregis pastor. Póntifex ordinátus, urbem et ecclésiam rebus auxit, sapiéntia decorávit, et providénti dispensatióne munívit. Nec in iis stetit sancti Antístitis zelus. Cónscius enim quantum ad Ecclésiæ splendórem et pietátis increméntum conférret recta monasteriórum institútio, lapsam in plúrimis Ecclésiæ suæ cœnóbiis disciplínam, sanctíssimis accersítis viris, restaurávit. Plúribus intérfuit concíliis, ac inter cætera Virdunénsi et Mosoménsi. Tandem post multos in Christi milítia labóres, quadriennáli, quem patientíssime tulit, languóre probátus, plenus

diérum ac bonórum óperum óbiit, plusquam mediánte sæculo décimo, anno Pontificátus sui quadragésimo quarto.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. com. S. Gauzelini, Vesp. de seq., com. Oct.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

S. Rosæ Viterbiensis, Virg. Duplex.

Officium in supplemento.

Ad Laud. com. Oct. In Vesp. com. seq. et Oct.

DIE V. SEPTEMBRIS.

S. Laurentii Justiniani, Ep. Conf. Semiduplex.

Com. Oct. in Laud. In Vesp. Capit. de seq., com. præced.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

De Octava S. Mansueti. Semiduplex.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

Sermo S. Joánnis Chrysóstomi.

Lectio iv.

***Ex Hom.* VIII, *in Ep.* 11, *ad Cor. c.* 4.**

Dei vis máxime elúcet cum per viles et abjéctos res ingéntes patrat. Eo ítaque modo missis solum duódecim viris de orbe victóriam adéptus est; duódecim, idque cum ipsi infésta ómnia habérent, ac bello ab ómnibus vexaréntur. Dei ergo poténtiam admirémur et adorémus : sciscitémur ex Judæis, sciscitémur ex Gentílibus, quisnam univérso terrárum orbi persuáserit ut a pátriis institútis abscéderet, atque ad álteram vivéndi ratiónem se conférret? Piscátor, an tentoriórum efféctor? Publicánus, an litterárum expers? Quam autem hoc ratiónem habéret, nisi vis divína fuísset, quæ per illos ómnia confecísset?

Lectio v.

Unde ígitur, quæso, vis persuadéndi in his sermónibus? Non aliúnde quam a Dei poténtia. Primum enim nóvitas ipsa ómnium ánimos offendébat : cum autem in ejúsmodi rebus quíspiam ínnovat, tunc grávior res efficitur, ut cum priscórum rítuum fundaménta effríngit, ac leges radícitus evéllit. Huc accédit quod præcónes non fide digni videréntur; nam et ex ea natióne erant quæ ómnibus odiósa erat, et ipsi tímidi ac doctrínæ expértes erant. Unde ígitur orbem subegérunt? An non liquet eos Deum secum habuísse? Neque enim tam præclára facínora in humánam poténtiam cadunt, sed in divínam quamdam et ineffábilem.

Lectio vj.

Unde perspícuum est Christi vim fuísse, quæ hoc totum ubíque fécerit, vim, inquam, illam ubíque lucéntem, ac fulgóre quovis celérius hóminum mentes illustrántem. Hæc ígitur ómnia cogitántes, atque apértum promissiónis futurórum bonórum arguméntum ex iis quæ facta sunt capiéntes, invíctam illam Crucifíxi poténtiam nobíscum adoráte; ut et intolerándos cruciátus effugiátis, et sempitérnum regnum assequámini.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in

mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Lib. adv. Jud. et Gent. cap. 12.

COGITA quantum sit totum orbem tam brevi témpore Ecclésiis replevísse, tantas convertísse gentes, pópulis persuasísse ut, patérnis solútis légibus, radicátam consuetúdinem evéllerent, voluptátis tyránnidem, nequítiæ vim, ceu púlverem ejícerent; aras, templa, idóla, mystéria, profánas solemnitátes, impurúmque nidórem quasi fumum quemdam delérent, ubíque altária excitárent. Verbum illud, quod tunc ille prótulit, in ómnium ánimis plantátum est, per ómnium ora fertur; et terra, ut ita dicam, univérsa, spinis repléta, emundáta est; ager purus efféctus est, pietatísque sémina suscépit.

Lectio viij.

MAGNA sane res est, magna, inquam, imo summæ magnitúdinis et divínæ virtútis arguméntum: némine turbas movénte, pace summa, licet multi conturbárent et nemo reluctarétur, potuísse totum orbem conféstim a prava tanti óperis consuetúdine liberári, in áliam vero consuetúdinem longe difficiliórem tradúci. Neque tantum consuetúdo adversabátur, sed étiam volúptas detinébat: duo tyránnici óbices. Nam quæ multórum annórum currículo a pátribus, avis, abávis, majóribus accéperant, ea respúere, quæ res ádmodum difficilis erat, docebántur, et novam accípere consuetúdinem, eámque, quod grávius erat, valde duram et moléstam.

Lectio ix.

ABDUXIT a voluptáte, et indúxit in jejúnium: abdúxit ab amóre pecuniárum, et indúxit in paupertátem; abdúxit a lascívia, et indúxit in temperántiam; abdúxit ab ira, et indúxit in mansuetúdinem; abdúxit ab invídia, et indúxit in benignitátem; abdúxit a via lata et spatiósa, et indúxit in angústam, arctam et prærúptam, indúxit, inquam, assuétos viæ latæ. Non enim álios hómines assúmpsit extra mundum et hanc consuetúdinem vivéntes; sed eos ipsos qui jam in ea computrúerant, et luto molliores erant, hos jussit in angústa, áspera et arcta incédere via, et id persuásit eis.

Te Deum laudámus.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

Octava S. Mansueti.

Duplex.

Omnia de Festo, præter seq.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex libro Enarratiónum S. Augustíni, Epíscopi, super Psalmos.

Lectio iv. *Psalm.* 96, n. 4-7.

ILLE qui stetit ante júdicem, ille qui álapas accépit, ille qui flagellátus est, ille qui conspútus est, ille qui spinis coronátus est, ille cui pendénti in ligno insultátum est, ille qui in cruce mórtuus est, ille qui láncea percússus est, ille qui sepúltus est, ipse resurréxit, Dóminus regnávit. Sæviant quantum possunt regna; quid

factúra sunt Regi regnórum, Dómino ómnium regum, Creatóri ómnium sæculórum? An ídeo contémnitur, quia tam submíssus et tam húmilis appáruit? Misericórdia est, non impoténtia: ille enim húmilis appáruit, ut eum caperémus.

Lectio v.

Sed jam videámus: Dóminus regnávit; exúltet terra, læténtur ínsulæ multæ. Est quidem, quia verbum Dei non in sola continénti terra prædicátum est, sed étiam in ínsulis quæ constitútæ sunt in médio mari. Et ipsæ plenæ christiánis, plenæ sunt servis Dei. Non enim súperat mare eum qui fecit mare. Quo naves accédere possunt, verba Dei non possent?

Lectio vj.

Exarserunt hómines credéntes in Christum, accepérunt flammam caritátis, proptérea et ipse Spíritus sanctus, cum missus esset Apóstolis, sic appáruit. Visæ sunt illis linguæ divísæ velut ignis, qui et insédit super unumquémque illórum. Isto igne inflammáti, cœpérunt ire per mundum, et inflammáre, et incéndere in circúitu inimícos ejus. Quos inimícos ejus? Qui, desérto Deo a quo facti erant, adorábant simulácra quæ fécerant. Ipsi incendebántur, si mali erant, ad consumptiónem; si boni ad reparatiónem.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vij. *Cap.* 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homilía S. Joánnis Chrysóstomi.

Expos. in Ps. 46. *Cap.* 3.

Erat ítaque Dóminus étiam ántea Rex magnus, sed ignorabátur: mundus enim per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. Nunc autem hoc quoque præcláre gessit, quod nos sibi familiaritáte jungéndo Rex magnus efféctus est. Quidni étiam magnus qui páuperes piscatóres, illitterátos, idiótas, número úndecim, obscúros, peregrínos, magis mutos quam pisces, únicam túnicam habéntes, cálceis caréntes, nudos, per univérsum orbem terrárum misit, et véluti mandáto omnes cepit? Hoc est vere esse Regem magnum qui univérsum orbem terræ erróre liberávit, et diáboli tyránnidem sústulit.

Lectio viij.

Magnus est Rex qui univérsum orbem terræ, cœlum fecit, et tu bárbari philósophi essent, et Angelos imitaréntur curávit. Pópulos nobis subjécit, et Gentes sub pédibus nostris. O miráculum! His qui crucifíxerant adoráre persuásit; eos qui contumélia afficiébant, qui insectabántur maledíctis, dócuit vel ánimas suas perfúndere ad ipsíus plácitum. Non enim hæc ab Apóstolis gerebántur, sed ab eo qui illos præcedébat, et movébat eórum ánimam. Quómodo enim piscátor, vel tabernaculórum constrúctor, tantum terræ habitábilis orbem ita mutásset, nisi illíus verba impediménta ómnia sustulíssent.

Lectio ix.

Hæc ómnia autem fecit verbum illud quod dixit, cum eos mítteret : Ego vobíscum sum. Ipse impediménta ómnia removébat, ante eos ámbulans; ipse plana ómnia faciébat, ac difficília facília reddébat. Atqui erant ómnia plena bellis, ómnia scópulis et præcipítiis, et nusquam licébat pedem fígere nec sístere; obstrúcti erant omnes portus, omnis domus clausa, ómnium aures obturátæ : et tamen cum primum ingréssi et locúti fuíssent, diruébant ómnia hóstium propugnácula, ut ipsas ánimas profúnderent, et innumerabília perícula sustinérent. Te Deum laudámus.

Vesp. de seq., com. præced. tantum.

DIE IX. SEPTEMBRIS.

De Oct. Nativit. Semid.

Vesp. de seq., com. Oct. et S. Adelphii, Abbatis.

Aña. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui beátum Adélphium ab infántia tibi consecrátum, exímiis ornásti charísmatum donis : ejus, quæsumus, intercessióne,nosmetípsos tibipérfice munus ætérnum.PerDñum.

DIE X. SEPTEMBRIS.

S. Nicolai de Tolentino, Conf. Duplex.

De S. Adelphio. Lectio ix.

Adelphius, beáti Romárici ex Asselbérga fília nepos, patrem hábuit Bethílinum natióne Sicámbrum, virum nobilitáte insígnem. Is recens in lucem éditus, ad avum a matre transmíssus est; quo ille múnere magnópere delectátus, infántulum divíno déstinans obséquio, aquis salutáribus initiári jussit, et Adélphium appellári. Excépit illum de fonte sanctus Amátus Abbas, felíci ómine. Mox ut adolévit, Arnúlpho Pontífici in disciplínam tráditus, eo magístro tantum profécit, ut nihil terrénum sáperet, nec modo præstánti forma egregiáque índole, sed étiam móribus integérrimis, avi sui expréssa esset effígies. In convéntu fratrúmque consuetúdine, usque ádeo suas probávit exímii ánimi dotes, ut Romárico Abbáte ad Beatórum præmia evocáto, ipse, non tam avi stúdio aut sánguinis prærogatíva quam virtútis mérito sufficerétur. Triénnio círciter ante óbitum, Habéndi collis ábditos quosque recéssus quæritans, sólito uberióribus lácrymis ad cœléstem pátriam anhelábat. Cum autem ex última ægritúdine gravíssime cruciarétur, ánimi noxis per confessiónem rite expiátis, Luxóvium se dedúci flagitávit, quo plúrium précibus accingerétur ad extrémam luctam. Ibi ab Ingofrédo Abbáte, omníque fratrum cœtu, tamquam Dei munus accéptus, post dies áliquot, in illis verbis: Christe, ádjuva, Christe, ádjuva, beátum spíritum Deo réddidit.
Te Deum laudámus.

Ad Laudes com. Oct. et S. Adelphii. Aña. Similábo eum

viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram. ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

De Octava Nativitatis.

Semiduplex.

Vesp. de seq., com. Oct.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

S. Amati, Abb. et Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pont. præter seq.

In j. Vesperis. Hymnus.

Amate, natálem domum
Adhuc puer dum déseris,
Claustris in Agaunénsium
Vitæ supérnæ násceris.
Reclúsus excélso specu,
Mundi procéllas déspicis :
Totóque mentis ímpetu
Cœlis amóre júngeris.
De rupe cellæ próxima,
Virga poténte quam feris,
Virtúte Mosis ínsita
Aquas perénnes élicis.
Ne delitéscat ómnibus
Lucérna splendens ángulo,
Eustásius pertránsiens
Prodúcit hanc Luxóvio.
Hinc Romarícum Príncipem
De vanitáte sæculi
Ad sanctitátis trámitem
Tradúcis arte nóbili.
Deo Patri sit glória,
Ejúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula. Amen.

Oratio ut ad Laudes.

Com. Oct. Nativitatis.

Ad Matut. Hymnus. Amáte, ut in j. Vesp.

In j. Nocturno Lectiones, Justus si morte, ut in Communi Conf. non Pont. j. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Amatus, Gratianópoli nobílibus et piissimis paréntibus natus, adhuc adoléscens Deo sanctóque Mauríclo apud Agáunum a patre Heliodóro oblátus est. Ibi vitam proféssus monásticam, cum trigínta fere annos in cœnóbio egrégia virtútis laude, exegísset, in antrum se ábdidit, haud procul a monastério, ac pene inaccéssum. Qua in erémo pane tantum hordeáceo et aqua víctitans, nudis pédibus, veste utens ex péllibus vervécum contéxta, divínæ contemplatiónis assiduïtátem labóre mánuum temperábat. Cum autem eam céllulam triénnio inhabitásset, a sancto Eustásio Abbáte, illuc transeúnte, Luxóvium addúctus est. Haud multo post ad prædicándum Dei verbum in Austrásiam emíssus, cum ad Romáricum, primæ nobilitátis maximæque apud Regem grátiæ virum, divertísset, id effécit ut quod hic jam olim ánimo concéperat de abdicándo sæculo, tandem parturíret, ac Luxóvii e sancti Columbáni régula Mónachus fieret.

Lectio v.

Postea Amátus, cum Romárico e Luxóvio egréssus, in hujus fundo, qui Romárici mons appellátur, monastérium puellárum cóndidit, cui Macteflédem, exímiæ sanctitátis Moniálem, Amátus præfécit. Exínde in castrum Habéndum, ab hóminum frequéntia remótum, novum puellárum collégium dedúxit; ibíque, adjuvánte Dómino, multis colléctis Virgíni-

bus, psalléntium instítuit septem turmas, in unaquáque duodénis die noctúque concinéntibus. Non longe a Vírginum domicílio, Amátus in castéllo eódem Monachórum quoque cœnóbium seórsim excitávit; ipse autem in rupe cóncava céllulam sibi parávit, lectulúmque excídit ad statúræ suæ mensúram. Ibi latitánti frústulum panis et aqua ad omnem victum, statis intervállis, e prominénte saxo per funem supérne demittebántur. Nec inde exíbat, nisi Domínicis diébus, fratres ac soróres divíni verbi pábulo refectúrus. Tum vero et sententiárum gravitáte, et hilaritáte vultus, et lácrymis ubértim manántibus, sensum pietátis incredíbilem auditóribus infundébat; et dictis auctoritátem crebra miràcula, ac prophética arcanórum cognítio, et virtútum máxime exémpla conciliábant.

Lectio vj.

Cœlitus tandem præmónitus de óbitu intra annum sibi imminénte, cilicínam cúlcitram cínere oppléri jussit, qua deínceps uterétur; paucísque post diébus, accítis frátribus, in cínere et cilício prostrátus, prætéritæ vitæ noxas públice conféssus est. Deínde in ipso límine basílicæ sanctæ Maríæ parári sibi túmulum mandávit, titulúmque in eo inscríbi ex quo humílitas sanctíssimi viri exímie prælucébat. Dénique mane, absúmpto córpore, Idibus Septémbris, cum sancti Leónis Papæ ad Flaviánum Epístolam coram se recitári jussísset, inter suórum lácrymas áltaque suspíria, beátam efflávit ánimam. Corpus ejus, eo quo jússerat loco sepúltum, támdiu ibi jácuit, donec, transácto anno, ipsa die óbitus anniversária, divíno admónitu, in interiórem ædem beátæ Maríæ translátum est.

In tertio Nocturno.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Lectio vij. *Cap.* 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ.

Audiamus cuncti quod magístra Véritas docet, dicens: Díscite a me quia mitis sum, et húmilis corde. Ad hoc namque unigénitus Dei Fílius formam infirmitátis nostræ suscépit; ad hoc invisíbilis non solum visíbilis, sed étiam despéctus appáruit; ad hoc contumeliárum ludíbria, irrisiónum oppróbria, passionúmque torménta tolerávit; ut supérbum non esse hóminem docéret húmilis Deus. Quanta ergo humilitátis virtus est, propter quam solam veráciter edocéndam, is qui sine æstimatióne magnus est, usque ad passiónem factus est parvus.

Lectio viij.

Quia enim oríginem perditiónis nostræ supérbia præbuit diáboli, instruméntum redemptiónis nostræ invénta est humílitas Dei; hostis quippe noster, magnus inter ómnia cónditus, vidéri super ómnia vóluit elátus. Redémptor autem

noster, magnus manens super ómnia, fieri inter ómnia dignátus est parvus. Sed mélius et elatiónis causam detégimus, et fundaménta humilitátis apérimus, si brevi commemoratióne perstríngimus quid mortis auctor, quid vitæ cónditor dicat. Ille namque ait: in cœlum ascéndam. Iste autem per Prophétam dicit: vita mea inférno appropinquávit.

Lectio ix.

Ille nihil áliud mentes sibi súbditas docet quam celsitúdinis culmen appétere, cuncta æquália mentis tumóre transcéndere, societátem ómnium hóminum alta elatióne transíre, ac sese et contra poténtiam Conditóris erígere, sicut de iísdem per Psalmístam dícitur: transiérunt in dispositiónem cordis; cogitavérunt et locúti sunt nequítias; iniquitátem in excélso locúti sunt. Iste ad sputa, ad palmas, ad cólaphos, ad spíneam corónam, ad crucem, ad lánceam, usque ad mortem véniens, membra sua ádmonet, dicens: Si quis mihi minístrat, me sequátur.

Te Deum laudámus.

Ad Laudes,

Hymnus.

Per te, magne Pater, vértice Habéndico
Surgit sancta domus, grex ubi Vírginum,
Terréni thálami posthábita face,
Christo se pius ímmolat.
Has tu nempe piis légibus ímbuis
Exemplísque doces, et précibus juvas:
Ornatásque sacris corda monílibus,
Christo prónubus exhibes.
Tot dives méritis, tu cíneri tamen
Prostrátus moréris, víctima pœnitens;
Calcaríque tuum corpus ad óstium
Templi Virgínei jubes.
Hospes, parce, precor, qui sacra límina
Oratúrus adis; et penetrálibus
Condéndas ádytis relíquias cave
Ne cæco pede próteras.
Te trina, o Déitas, únaque póscimus,
Ut Sancti précibus, nos quoque súpplices
Cœlésti fácias psállere pátria
Ætérnis tibi cánticis. Amen.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ad Benedictus, Aña.

Euge, serve bone et fidélis; quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam.

Oratio.

Spiritum nobis, Dómine, pœniténtiæ salutáris obtíneat beáti Amáti Abbátis orátio, qui crucis mortificatiónem júgiter in suo Córpore, pro tui nóminis honóre, portávit. Per Dóminum.

Com. Oct. Nativ.

Vesp. de seq., com. præced. et Oct.

Si hoc Offic. transferatur, in ij. Vesp. omnia ut in primis.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

S. Josephi a Cupertino, Conf.

Duplex.

In ij. Vesp. a Capit. de seq.,

com. præc. et S. Goerici, Ep. et Conf. Oratio. Da, quæsumus.

DIE XIX. SEPTEMBRIS.

SS. Januarii et Soc. Mart.

Duplex.

De S. Goerico. Lectio ix.

Goericus, qui et Abbo, Aquitánus, virtútum ómnium stúdio non minus quam natálium splendóre illústris, vices régias in sua província laudabíliter gessit. Quo in múnere tum pietáte, tum prudéntia política, tum béllica glória ínclytus, duas filias Préciam et Victorínam Christo Vírginum Sponso addíxit. Deo ínterim volénte, utróque orbátus óculo, christiánæ patiéntiæ singuláre exémplum fuit. Aliquánto post cum Dei jussu ad sancti Stéphani Meténsem basílicam precátum accessísset, de consílio sancti Arnúlphi consanguínei sui, prius æde Petro Apostolórum príncipi Metis excitáta, beáti Protomártyris intervéntu visum recépit. Arnúlpho autem Episcopátum abdicánte, et in Vosági solitúdinem recedénte, in ejus locum ómnium votis Goéricus sufficitur. Quo in múnere sanctos mores sui decessóris in seipso expréssit. Tantum témporis jactúram abhórruit, ut ne mínimam quidem ejus partem lúdicris concéderet; cibi aliúnde parcíssimus, et in tali versátus abstinéntia, ut, bíduo nonnúmquam triduóve, nullum prorsus cibum súmeret. Tránstulit in urbem Meténsem corpus Arnúlphi antecessóris sui, quem quoque, post annos áliquot, in cínere et cilício decúmbens, more majórum, ad cœléstem pátriam secútus est. Sanctíssimi Præsulis corpus, olim ad Spinalénse castrum a Deodárico Meténsi Epíscopo deportátum, nunc étiam in parochiáli hujus civitátis ecclésia asservátur.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. com. S. Goerici.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

B. V. Mariæ de Mercede.

Duplex majus.

In ij. Vesp. com. seq.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. Apri, Conf. et Pont.

Duplex. m. t. v.

(Dies fixa ex 16. hujus.)

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio. Da, quæsumus.

In j. Nocturno Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Aper, in subúrbio Trecénsi, vico qui Tranquíllus dícitur, nobílibus et christiánis paréntibus natus, ab iis ad omnem pietátem est erudítus. Inter álias quibus adhuc puer virtútes enítuit, innátam erga páuperes hábuit propensiónem: quæ certe talis fuit, ut ex útero matris ejus egréssa cum eo misericórdia viderétur. Crevit étiam cum ætáte in ipso miserátio et liberálitas in páuperes, quippe qui orbátus paréntibus ac sui juris factus, patérnæ hæreditátis ánnuos provéntus egénis et órphanis commúnes fécerit. Pastóre ínterim orbáta Leucórum Ecclésia, cum Apri sánctitas et fama nóminis illíus longe latéque diffúsa Tullum pervenísset, unánimi cleri et pópuli suffrágio ínscius et ab-

sens in Epíscopum elígitur; factáque ad eum legatióne, invítus et nolens ad Tullénses ínfulas pertráhitur.

Lectio v.

Continentiam, humilitátem, abstinéntiam, pietátem ac justítiam, cæterásque virtútes quas degens in sæculo semper excolúerat, in Episcopátu non modo retínuit, sed et iis máximum splendórem et grátiam cóntulit. Imo iis ómnibus indeféssam in disseminándo verbo Dei óperam, in causis ecclesiásticis judicándis æquitátem, sédulum in visitándo grege stúdium adjúnxit. Cumque remotióra suæ Diœcésis loca perlústrans, pópulos rudes et incúltos, vanæ religiónis superstitiónibus déditos comperísset, iis bellum indíxit eo succéssu, ut sublátis paganísmi rítibus ac spurcítiis, illos ad legítimum Dei cultum revocárit. Magnum étiam in dæmones exércuit impérium, vexatósque a spirítibus immúndis solo crucis signo liberávit.

Lectio vj.

Cabillonum iter agens, cum ibi tres reos neci addíctos in cárcere detinéri accepísset, sólita permótus pietáte, júdicem Adriánum ádiit, ut iis indulgéntiam precarétur; a quo íterum repúlsam passus, quod ab hómine non potúerat exoráre, mox ab omnipoténte Deo impetrávit; nam et damnatórum víncula contínuo disrúpta sunt, et cárceris óstia cœlitus reseráta abeúndi securitátem vinctis præbuére. His et plúribus áliis, quibus elúxit Aper, clarus virtútibus, ad labórum prǽmia vocátur. In cujus tránsitu cœli apérti sunt, et ab ejus ore colúmba nive candídior visa est ad cœlum eroláre. Sepúltus est in suburbána quam ipse ædificáverat ecclésia: quæ jamjam titulári ipsíus patrocínio gaudet, ac pretiósis ejus relíquiis exornátur.

In iij. Noct. Hom. Evang. in Homo péregre, j. loco.

In Vesp. com. seq.

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

S. Hieronymi, Presb. Conf.

Duplex.

In ij. Vesp. a Capit. de seq., com præcedentis.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I. OCTOBRIS.

S. Remigii, Episc. et Conf.

Duplex.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE II. OCTOBRIS.

SS. Angelorum Custodum.

Duplex.

In ij. Vesp. com. seq.

DIE III. OCTOBRIS.

S. Mennæ, Virginis.

Semid. ad libitum.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio.

Deus, qui nos, per ineffábilem misericórdiam, ánnua beátæ Mennæ Vírginis solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut cujus laudes celebrámus, étiam piæ devotiónis consolémur afféctu. Per Dóminum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Menna, Solimaríacæ in Barrénsi Ducátu, nobilíssimo génere et claríssimis paréntí-

bus orta, circa médium quarti sæculi, a téneris annis bene multa futúræ sanctitátis indícia præbuit. A patre Báccio Cataláunum missa, hujus urbis sanctíssimo Præsuli erudiénda tráditur. Non multo post, divínis christiánæ religiónis imbúta præcéptis, et sacris ablúta fóntibus, patérnam répetit domum. Mox Cataláunum revérsa, ab eódem Antístite sacris Virgínibus custodiénda tráditur. Pia illárum exercítia tam jucúnde ei sapiébant, ut jam tum virginitátem suam Deo devovére statúerit.

Lectio v.

Interea a paréntibus in pátriam íterum revocátur. Ipsi a sancto consílio puéllam dimovére quotídie tentant : sed fortis et propósiti tenax, nec précibus flecti, nec capi blandítiis, nec minis terréri potest. Sponsa Christi incorrúptam ei servávit fidem, constantérque mortálem réspuit sponsum, ut sortirétur ætérnum. Declinándæ autem causa hujuscémodi persecutiónis et Deo serviéndi libérius, cum fidis ancíllulis e patérna domo sese subrípiens, ad Catalaunénsem Antístitem iter instítuit, ad cujus pedes supplex prócidens, ut quod præ mánibus gerébat virgíneum velámen, cápiti suo imponerétur, eníxe, effúsis lácrymis efflagitábat. Voti compos facta, mirum quantum in omni virtútum génere enitúerit.

Lectio vj.

In prædíolo, quod a patre obtinúerat, una cum ancílla obscúram vitam degens, negléctis terrénis ópibus, cœléstia meditabátur. Cándida móribus, hábitu et sermóne simplex, corde húmilis, ánimo constans, jejúniis, oratiónibus, aliísque piis exercitatiónibus indeféssa, diu noctúque vacábat. Tandem matúra cœlo, ac bonis opéribus dives, plácide obdormívit in Dómino, atque in Fontaníaca ecclésia sepúlta fuit. Inde ejus relíquiæ a Brunóne Tulléensi Epíscopo, qui póstea summus Póntifex, sub Leónis Noni nómine, creátus est, edúctæ, in Abbatiálem Portus-Suávis et nobilissimárum Canonicárum ecclésiam, anno reparátæ salútis millésimo trigésimo tértio, translátæ sunt.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Símile erit, j. loco.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE VI. OCTOBRIS.

S. Brunonis, Conf.

Duplex.

In ij. Vesp. com. seq., S. Marci, Papæ Conf., SS. Sergii Bacchi, et Soc. Mart.

DIE VII. OCTOBRIS.

S. Libariæ, Virg. et Mart.

Semid. ad libit.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio. **Deus, qui inter cætera.**

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Tempore Juliáni Imperatóris, floruérunt in Lotharíngia nobilíssimæ sanctíssimæque tres soróres, Libária, Menna et Susánna; quæ quidem ex hoc plúrimum commendántur apud omnes, quod a prima ætáte virginitátem suam Christo devóverint, magnóque pietátis ac

fidei zelo ad extrémum vitæ spíritum illibátam serváverint. Sed soróribus eo celébrior habétur Libária, quod ad virginitátis cúmulum martyrii palmam adjúnxerit.

Lectio v.

Cum enim Grandi Libária dégeret, atque coram Præside sisterétur, jussa áuream Apóllinis státuam procúmbens adoráre, constantíssime recusávit, cumque promíssis ac blandítiis urgerétur, addúci non pótuit ut deos cóleret, ásserens se malle vita quam Christo privári. Quamóbrem váriis afféctam supplíciis, hanc decollári præcépit judex; et sic ad dúplicem virginitátis et martyrii láuream pervénit, octávo Idus Octóbris. Fratres hábuit Euchárium et Elíphium, qui étiam pro Christo sánguinem profudérunt.

Lectio vj. Quóniam hódie, ut in Communi.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Simile erit, j. loco.

Lectio ix. de S. Marco, Papa et Conf., ut in Brev.

Ad Laudes com. S. Marci et SS. Sergii et Bacchi.

Vesp. de seq., commem. S. Libariæ.

DIE XV. OCTOBRIS.

S. Teresiæ, Virginis.

Duplex.

In ij. Vesp. com. seq.

DIE XVI. OCTOBRIS.

S. Eliphii, Martyris.

Semid. ad libitum.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio. Præsta, quæsumus.... ut qui.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eliphius, in Diœcési Tulléns natus, vitæ sanctitáte et martyrii glória natále solum illustrávit. Quod enim contrítis ad flúvium Veram idolórum simulácris, plebem ad sacrílega thura convocátam ab ímpio cultu avocáret, comprehénsus, et christiánam Religiónem constánter proféssus, prope Solimaríacam urbem, ubi nunc vicus nómine Solóssa, tempóribus Juliáni Imperatóris, cápite truncátus fuísse tráditur. Corpus ejus in monte vicíno sepúltum, in extrúcta super ejus túmulum capélla pérdiu veneráti sunt fidéles, donec crebrescéntibus ad illíus sepúlchrum miráculis, major et decéntior sub ejus nómine et patrocínio erécta est ecclésia. Ex religiósa in beátumMártyrem devotióne sanctus Gerárdus, Tulléns Epíscopus, sacras ípsius relíquias tránstulit, quarum partem non mínimam, majóra scílicet ossa, Brunóni Coloniénsi Epíscopo, Magni Ottónis germáno, concéssit: quæ digna cum veneratióne Colóniam advécta sunt, ubi célebris est sancti Elíphii memória.

Lectio v. Príncipes persecúti sunt, ut in Communi ij. loco.

Lectio vj. Vere frustra impugnátur, ut in Comm. ij. loco.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Nolíte arbitrári, ut in Communi iij. loco.

In Vesp. a Cap. de S. Hedwige, com. S. Eliphii.

DIE XXII. OCTOBRIS.

S. Eucharii, Mart. Semid.

Omnia de Comm. præter seq.

Oratio. Præsta, quæsumus.... ut qui.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Eucharius, sancti Eliphii Mártyris frater, ipse quoque, Juliáni Apóstatæ tempóribus, sub Salústio Galliárum Præfécto, pro Christi fide secúri percússus fuísse fertur, prope vicum nómine Pompéium, ubi Murtha Moséllæ illábitur; unde corpus ejus a Christiánis delátum, in Liberdunénsi castro sepúltum est. Cui quidem loco tutíssimum fuísse præsídium sacrum hoc pignus, his testátur verbis Dagobértus Primus, Francórum Rex, in diplómate Ecclésiæ Tullénsi concésso : Locus, inquit, in quo sanctus Euchárius venerátur, obséssus a Vándalis, remánsit indestrúctus; ubi Deus, excitándo poténtiam suam, salvos fecit multos, et Vándali, passi ruínam magnam, periérunt propter iniquitátes suas.

Lectio v.

Duodecimo autem sæculo, cum Petrus de Brixéio Liberdúnum antiquíssimum Tullénsis Ecclésiæ castrum instaurásset, ad loci muniméntum, máxime vero, ut ait, ad honoránda gloriósi Mártyris Euchárii ibídem quiescéntis ossa, sub illíus nómine ecclésiam constrúxit. Sacræ beáti Mártyris relíquiæ sexagínta post annos ab Ægídio de Sorcéio, Tullénsi Epíscopo, translátæ et in pretiosióri theca repósitæ, a Lutheránis confrácta arca, décimo sexto sæculo concremátæ sunt.

Lectio vj. Triumphális beáti Mártyris, ut in Comm. j. loco.

In iij. Noct. Hom. in Evang. Nolíte arbitrári, iij. loco.

Te Deum laudámus.

Vesp. de seq., com. præced.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

SS. Redemptoris Jesu Nazareni.

Duplex majus.

Officium in Supplemento com. seq.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. Raphaelis, Archangeli.

Duplex majus.

Officium in Supplemento com. seq.

DIE XXX. OCTOBRIS.

SS. Reliquiarum quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur.

Duplex.

Officium in Supplemento.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE IV. NOVEMBRIS.

S. Caroli, Episc. Conf.

Duplex.

In ij. Vesp. com. Oct. et S. Spinuli, Conf. Oratio. Adésto.

DIE V. NOVEMBRIS.

De Octava OO. Sanctorum.

Semiduplex.

De S. Spinulo. Lectio ix.

Spinulus, sancti Hydúlphi discípulus, inter tanti magístri alúmnos exímia virtútis laude primus enítuit. Qui a viro Dei in cellam, tunc Begónis, póstmodum autem sancti Blásii nuncupátam emíssus, ibi fidéliter Deo sérviens, post multíplices in Christi agóne labóres, ac plúrima miraculórum insígnia, beátam ánimam efflávit Dómino, et in Mediáno monastério tumulátus est. Ut autem sepúltum in terris apud se vívere Deus demonstráret in cœ-

lis, ómnibus infírmis sepúlchrum Spínuli adeúntibus vóluit subveníre. Tantus ígitur cœpit ibi fieri pópuli concúrsus, ut regiónis illíus íncolæ nundinárium forum in hac solitúdine constitúere decréverint. Sed venerábilis Pater Hydúlphus, suórum quiéti consúlere cúpiens, ad túmulum obedientíssimi quondam discípuli accéssit, defunctúmque quasi vivéntem allocútus, rogávit ut propter fratrum spirituália perícula concurréntes turbas comprímeret. Tunc vero vidére fuit spíritum carne solútum, et perénnis vitæ jam potítum, obedíre mortáli, ac si ipse mortalitátis hujus vínculis adhuc tenerétur. Unde, cessántibus ámodo signis, frequéntia supplicántium quoque desívit. Beatíssimi viri relíquiæ duodécimo sæculo ad cellam Bellæ-Vallis delátæ, in ecclésiis parochiálibus sanctæ Maríæ apud Mediánum monastérium, et sanctíssimæ Crucis de Portieux religióse asservántur.

Te Deum laudámus.

Ad Laud. com. Oct. et S. Spinuli.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. Stanislai Kostkæ, Conf.

Duplex.

Officium in Supplemento.

In ij. Vesp. com. seq.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

S. Didaci, Conf.

Semiduplex.

(Dies fixa ex heri.)

Vesp. de seq., com. præced.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. Felicis de Valois.

Duplex.

Vesp. de seq., com. præc. et S. Columbani, Abb. Aña. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petrã. ℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus, Dómine, beáti Columbáni Abbátis comméndet: ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

DIE XXI. NOVEMBRIS.

Præsentatio B. M. V.

Duplex majus.

De S. Columbano.

Lectio ix.

Columbanus Hibérnus, adhuc adoléscens Psalmos expósuit, múltaque de divína psalmódia et pietáte christiána utíliter scripsit. Cum per plures annos vitam monásticam in cœnóbio Bencorénci sub sancto Comogállo egísset, venit in Gállias. Ibi, accépta a Sigebérto Rege licéntia, Luxoviénse monastérium in Burgúndia extrúxit; quo tanta monachórum conflúxit multitúdo, ut, succedéntibus sibi vicíssim choris, in decantándis Dei láudibus dies nóctibus continuaréntur. Ædificáto póstea Fontanénsi cœnóbio, régulam monásticam primus Francis trádidit. Luxóvio pulsum a Theodórico Rege, eo quod dissolútos ejus mores líbere argúeret, Clotárius humániter excépit, cui prædíxit Columbánus post tres annos futúrum ut Theodebérti ac Theodórici regna ditióni ejus accéderent. In Itáliam profécius, Medioláni Ariános voce et

48

scriptis expugnávit, et in ea regióne Ebobiénse monastérium eréxit, ubi, anno verténte, ex hac vita ad cœléstem pátriam éxitu felíci translátus est.

T**e Deum laudámus.**

Ad Laud. com. S. Columbani. Aña. **Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.**

℣. **Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.** ℟. **Et osténdit illi regnum Dei.**

Oratio ut supra.

SUFFRAGIUM S. DEODATI

PRO ECCLESIA CATHEDRALI.

In semidupl. et infra.

In Vesp. Aña. **Hic est fratrum amátor et pópuli Israe, hic est qui multum orat pro pópulo et univérsa civitáte.**

℣. **Beátus quem elegísti et assumpsísti.** ℟. **Inhabitábit in átriis tuis.**

Ad Laud. Aña. **Non recédet memória ejus et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.**

℣. **Dabis eum in benedictiónem.** ℟. **In sæculum sæculi.**

Oratio.

PROPITIARE, quæsumus Dómine, nobis fámulis tuis per sancti Deódati, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita gloriósa ut ejus pia intercessióne ab ómnibus semper protegámur advérsis.

KALENDARIUM

PROPRII SANCTI DEODATI.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria v. non impedita, **Officium SS. Sacramenti**, semid.

Quolibet Sabbato non impedito, **Officium Immac. Concept. B. M. V.**, semid.

FESTA MOBILIA.

Dominica ij. Octobris, **Maternitatis B. M. V.**, dup. majus.

Dominica iij. Octobris, **Puritatis B. M. V.**, dup. majus.

Dominica iv. Octobris, **Patrocinii B. M. V.**, dup. majus.

PROPRIUM SANCTORUM.

AUGUSTUS.

30 **S. Rosæ, Virg. Limanæ**, dup. **com. SS. Felicis et Adaucti, Mart., et S. Fiacrii.**

31 **S. Mansueti, Leucorum primi Episc.**, dup. ij. cl. cum Octava.

SEPTEMBER.

1 **S. Raymundi Nonnati, Conf. non Pont.**, dupl. (dies fixa ex 31 Augusti.) **com Oct. S. Ægidii, Abb. ac SS. XII. Fratrum, Mart.**

2 **S. Stephani, Regis et Conf.**, semiduplex. **com. Oct.**

3 **De Oct. S Mansueti**, semid. **com. S. Gauzelini, Conf. Pont.**

4 **S. Rosæ Viterbiensis, Virg.**, dup. **com. Oct.**

5 **S. Laurentii Justiniani, Episc. et Conf.**, semid. **com Oct.**

6 **De Octava**, semid.

7 **Octava S. Mansueti**, dup.

10 **S Nicolai de Tolentino, Conf.**, dup. **com Oct. Nat. et S Adelphii, Abbatis.**

13 **S. Amati, Abb. et Conf.**, dup. **com. Octavæ Nativitatis.**

19 **SS. Januarii et Soc., Mart.**, dup. **com. S. Goerici, Episc. et Conf.**

25 **S. Apri, Conf. et Pont.**, dup. (dies fixa ex 16 hujus).

OCTOBER.

1 **S. Remigii, Ep. Conf.**, dup.

3 **S. Mennæ, Virg.**, semid. ad libitum.

7 **S. Liberiæ, Virg. et Mart.**, semid. ad libitum. **com. S Marci, Papæ et SS. Sergii et Soc., Mart**

16 **S. Eliphii, Mart.**, semid. ad libitum.

22 **S. Eucharii, Mart.**, semid. ad libitum.

23 **SS. Redemptoris Jesu Nazareni**, dup. maj.

24 **S. Raphaelis Archangeli**, dup. maj.

30 **SS. Reliquiarum quæ in Eccl. Diœcesis asservantur**, dup.

NOVEMBER.

5 **De Octava**, semid. **com. S. Spinuli, Conf.**

13 **S. Stanislai Kostkæ, Conf.**, dup.

14 **S. Didaci, Conf.**, semid. (dies fixa ex heri)

21 **Præsentatio B. M. V.**, dup. maj. **com. S. Columbani, Abbatis.**

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXVI.

PROPRIUM MISSARUM
IN USUM
DIŒCESIUM ANGLIÆ.
(Adjunctis Missis novis, ex Decr. S. Rituum Congr. 14. Aug. 1883.)

DIE XXIX. NOVEMBRIS.

S. WILLIBRORDI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam, beátum Willibrórdum Confessórem tuum atque Pontíficem míttere dignátus es; ejus méritis et intercessióne concéde, ut quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

Et fit com. Vigiliæ S. Andreæ et S. Saturnini Mart. ut in Missali, et in Adventu com. Feriæ ante com. Vigiliæ. In fine legitur Evangelium Vigiliæ.

DIE V. DECEMBRIS.

S. BIRINI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont.

Et fit com. Feriæ Adventus et S. Sabbæ Abbatis, ut in Missali eadem die.

DIE XVIII. DECEMBRIS.

EXSPECTAT. PARTUS B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE V. JANUARII.

IN OCTAVA

S. THOMÆ CANTUARIENSIS.

Missa ut in Festo die xxix. Decembris cum com. Vigiliæ Epiphaniæ et S. Telesphori Papæ et Mart. et legitur Evangelium Vigiliæ in fine Missæ.

DIE XIX. JANUARII.

S. WOLSTANI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Spiritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, intercedénte beáto Wolstáno, Confessóre tuo atque Pontífice, tuam mereámur dulcédinem in ætérna felicitáte gustáre. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, súpplicis famíliæ tuæ munus oblátum: et quod rea non audèt speráre consciéntia, intercedénte beáto Wolstáno, tua nobis largiátur indulgéntia. Per Dóminum.

Postcommunio.

Salutaris tui, Dómine, mystério satiáti súpplices implorámus cleméntiam tuam: ut pro nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti gubernári patrocínio. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIII. JANUARII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Et fit com. S. Joseph Sponsi et S. Emerentianæ Virg. et Mart. ut ibidem.

FERIA VI. POST DOM. SEPTUAG.

ORATIONIS D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis Feria iij. post Dom. Septuag.

FERIA VI. POST DOM. SEXAGES.

SS. PASSIONIS D. N. JESU CHR.

Omnia ut in Missali inter festa pro aliquibus locis Feria iij. post Dom. Sexag.

DIE III. FEBRUARII.

S. LAURENTII EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE XI. FEBRUARII.

S. GILBERTI CONFESSORIS.

Missa. **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

DIE XII. FEBRUARII

S. BENEDICTI BISCOPI ABBATIS ET CONFESSORIS.

Missa. **Os justi,** de Communi Abbatum.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Benedíctus Abbas, ut perféctus esset, ómnia relíquit; da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis, ut nec retro respíciant, nec hæreant in via; sed ad te sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per Dóminum.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. ÆTHELBERTI REGIS ET CONFESSORIS.

Missa. **Os justi,** de Communi Conf. non Pont. j. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum regem Æthelbértum Confessórem tuum æternitátis glória coronásti; fac nos quæsumus ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cœlis. Per Dóminum.

FERIA VI. POST DOM. QUINQUAG.

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis Feria vj. post Cineres.

FERIA VI. POST DOM. I. QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

FERIA VI. POST DOM. II. QUADRAG.

SACR. SINDONIS D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

FERIA VI. POST DOM. III. QUADRAG.

SS. QUINQUE PLAGARUM D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

FERIA VI. POST DOM. IV. QUADRAG.

PRETIOS. SANGUINIS D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem Feria.

DIE I. MARTII.

S. DAVID EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont.

Oratio.

Concede nobis, omnípotens Deus, ut beáti David, Confessóris tui atque Pontíficis, pia intercéssio nos prótegat, et dum ejus solémnia celebrámus, in cathólica tuénda fide firmitátem imitémur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit com. Feriæ cum ejusdem Evangelio in fine.

DIE II. MARTII.

S. CEADDÆ EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos beáti Ceáddæ, Confessóris tui atque Pontíficis, hodiérna festivitáte lætíficas: tuam súpplices exorámus cleméntiam; ut cujus solémnia devótis officiis venerámur, ejus piis suffrágiis vitæ ætérnæ remédia consequámur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit com. Feriæ cum ejusdem Evangelio in fine.

Secreta.

Propitiare, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercedénte pro nobis beáto Ceádda, Confessóre tuo atque Pontífice, tuis sacraméntis cœléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde; ut purificánte nos tua grátia, eísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus Dómine Deus noster, ut divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Ceádda, Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

DIE III. MARTII.

S. ÆLREDI ABB. ET CONF.

Missa. **Os justi,** de Comm. Abbat.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui ecclésiæ tuæ fílios sicut non cessas erudíre, ita non désinis adjuváre; da fidélibus tuis intercessióne beáti Ælrédi Abbátis, quem eis ætérnæ salútis minístrum tribuísti, ut sciéntiam, te miserénte, recta faciéndi et possibilitátem cápiant exsequéndi. Per Dñm.

DIE VIII. MARTII.

S. FELICIS EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont. in Quadrag. fit com. Feriæ cum ejusdem Evangelio in fine.

DIE XVIII. MARTII.

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die, j. loco.

DIE XX. MARTII.

S. CUTHBERTI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orat. sequentes.

Oratio.

Deus, qui per inæstimábile munus grátiæ tuæ sanctos tuos gloriósos facis esse: præsta quæsumus; ut interveniénte beáto Cuthbértho, Confessóre tuo atque Pontífice, mereámur ad culmen virtútum perveníre. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit com. Feriæ et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Secreta.

Suscipe, Dómine quæsumus, hóstiam redemptiónis humánæ: et intercessióne beáti Cuthbérti, Confessóris tui atque Pontíficis, salútem nobis mentis et córporis placátus operáre. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Sancta tua, quæsumus Dómine, quæ súmpsimus, nos sua virtúte tueántur, et intercedénte beáto Cuthbérto, Confessóre tuo atque Pontífice, cujus vita gloriósa effúlsit, in pace nos et sanctitáte custódiant. Per Dóminum.

DIE XXII. MARTII.

(In Diœcesi Plymuthensi.)

S. EDUARDI REGIS ET MART.

Missa. **Lætábitur,** de Comm. unius Mart. non Pont. ij. loco.

Oratio.

Deus, ætérne triumphátor impérii, famíliam tuam beáti Eduárdi Regis et Mártyris tui memóriam celebrántem, propítius réspice: ejúsque méritis et intercessióne concéde; ut cujus gloriátur triúmphis, assequátur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Evangelium. **Si quis vult,** ex Missa. **Sacerdótes Dei,** de Communi unius Mart. Pont. ij. loco.

DIE III. APRILIS.

S. RICARDI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam méritis beáti Ricárdi, Confessóris tui atque Pontíficis, fecísti miráculis coruscáre gloriósis : concéde nos fámulos tuos, ipsíus intercessióne, ad ætérnam beatitúdinis glóriam perveníre. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit com. Feriæ cum ejusdem Evangelio in fine.

Secreta.

CONCEDE quæsumus misericors Deus, ut intercedénte beáto Ricárdo, Confessóre tuo atque Pontífice, óculis tuæ majestátis munus oblátum et grátiam nobis bene vivéndi obtíneat, et glóriam sempitérnam acquírat. Per Dóminum.

Postcommunio.

HÆC sacrosáncta sumpta mystéria nobis efféctum, Dómine, cónferant salutárem : quorum beátus Ricárdus, Conféssor tuus atque Póntifex, devótus éxstitit dispensátor. Per Dóminum.

DIE XVII. APRILIS.

S. STEPHANI ABB. ET CONF.

Missa. Os justi, de Comm. Abbat.

Oratio.

DEUS, cujus múnere beátus Stéphanus Abbas, ut perféctus esset, ómnia relíquit ; da cunctis evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis, ut nec retro respíciant nec in via hæreant, sed ad te sine offensióne curréntes vitam ætérnam, ad quam vocáti sunt, apprehéndant. Per Dóminum.

DIE XIX. APRILIS.

S. ÆLPHEGI EPISC. ET MART.

Missa. Protexísti, de Comm. Mart temp. Pasch.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ælphégum devotíssimum tui nóminis Confessórem sacerdotáli dignitáte et martyrii palma decorásti : concéde propítius ; ita nos apud te ejus intercessiónibus adjuvári, ut cum eo possímus in ætérna felicitáte lætári. Per Dóminum.

Epist. Omnis Póntifex, de Comm. Conf. Pont. iij. loco.

DIE XXIII. APRILIS.

S. GEORGII MARTYRIS.

Missa ut in Missali eadem die, et dicitur Credo per totam Octavam.

DIE XXIV. APRILIS.

PRO COMMEMORATIONE

S. MELLITI EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta et Postcom. ex Missa. Statuit, de Comm. Conf. Pont. j. loco.

DIE XXVII. APRILIS.

S. EGBERTI CONFESSORIS.

Missa. Os justi, de Comm. Conf. non Pont. j. loco.

Oratio

DEUS, cujus spíritu beátus Egbértus salútem sítiens, vários fídei præcónes in opus evangélicum destinávit ; dírige quæsumus, ejus intercedéntibus méritis, ad te tuórum corda servórum ; ut Spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles et in ópere effícáces. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Evangelium. Designávit, ex Missa Evangelistarum.

DIE I. MAJI.

PRO COMMEMORATIONE

S. ASAPHI EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta et Postcommunio ex Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. ij loco.

DIE XIII. MAJI.

S. WALBURGÆ VIRGINIS.

Missa. Dilexísti, de Comm Virg.

Oratio.

DEUS, qui inter innúmera grátiæ tuæ dona, étiam in sexu frá-

gili tua operáris magnália : concéde propítius; ut beátæ Walbúrgæ, Vírginis tuæ, apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XVI. MAJI.

S. SIMONIS CONFESSORIS.

Missa. Os justi, de Communi Conf. non Pont. j. loco.

Oratio.

Plebs tibi, Dómine, Virginíque Matri dicáta, beáti Simónis solemnitáte lætétur; et sicut per eum tantæ protectiónis signum obtínuit, ita prædestinatiónis ætérnæ múnera consequátur. Per Dóminum.

DIE XIX. MAJI.

S. DUNSTANI EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Communi Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Dunstánum, Pontíficem tuum, ad regna transtulísti cœléstia: da nobis per gloriósa ejus mérita ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

Et fit com. S. Pudentianæ. Virg. ut in Missali, eadem die.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ, quæ tibi in beáti Dunstáni, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus, precántes: ut ejus patrocínio venerándo adjúti, deféndi mereámur ab ómnium inimicórum insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beati Dunstáni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, precatióne nos ádjuva, in cujus veneratióne tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

DIE XXIII. MAJI.

S. JOANNIS BAPTISTÆ DE ROSSI CONFESSORIS.

Missa. Os justi, de Communi Conf. non Pont. j. loco.

Oratio.

Deus, qui sanctum Joánnem Baptístam Confessórem tuum in evangelizándis paupéribus caritáte et patiéntia decorásti: concéde, quæsumus; ut cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Secreta.

Oblatum tibi munus, quæsumus Dómine, in odórem suavitátis adscéndat: et, sancto Joánne Baptísta Confessóre tuo intercedénte, nos córpore et mente puríficet. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Cœlestis, Dómine, percéptio sacraménti, sancti Joánnis Baptístæ Confessóris tui suffragántibus méritis, fidéles tuos mundet et múniat: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

DIE XXIV. MAJI.

B. MARIÆ VIRG. TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

DIE XXV. MAJI.

S. ALDELMI EPISC. ET CONF.

Missa. Statuit, de Communi Confessoris Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die sanctum tuum Pontíficem Aldélmum ad ætérna sublimásti gáudia: illíus quæsumus méritis et précibus illuc nos tua perdúcat misericórdia. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. S. Urbáni, Papæ et Mart. ut in Missali, eadem die.

Secreta.

HUJUS tibi Dómine précibus nostra quæsumus grata reddátur oblátio, pro cujus est festivitáte immoláta. Per Dóminum.

Postcommunio.

SOLEMNITATEM, quæsumus Dómine, beáti Pontíficis Aldélmi celebrántibus adésto propítius, et nobis ejus méritis concéde gáudia cœléstia. Per Dóminum.

DIE XXVI. MAJI.

S. AUGUSTINI EPISC. ET CONF.

ANGLIÆ APOSTOLI.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui beátum Augustínum Pontíficem primum Doctórem pópulo concessísti Anglórum : tríbue nobis quæsumus; ut cujus mérita prædicámus in terris, ejus suffrágia sentiámus in cœlis. Per Dóminum.

Evang. **Designávit Dóminus,** ut in Festo S. Marci, die xxv. Aprilis.

Secreta.

GRATA tibi sint, quæsumus Dómine obláta múnera : quibus beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita venerámur, et nostræ páriter recólimus insígnia libertátis et vitæ. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

SANCTA tua, quæsumus Dómine, quæ pro beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte libávimus, nos fóveant : quibus júgiter satiémur et semper desiderémus expléri. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIX. MAJI.

S. ELEUTHERII PAPÆ ET MART.

Missa. **Státuit,** de Communi Mart. Pont. j. loco. Temp. Pasch. Missa. **Protexísti,** de eodem Communi.

DIE XXX. MAJI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI MART.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, die xvj. Maji, j. loco.

DOM. POST OCT. SS. CORP. CHRISTI.

IN FESTO SS. CORDIS JESU.

Missa. **Miserébitur,** ut in Missa i ad finem Maji.

Et fit com. Dominicæ iij. post Pentecosten, et legitur ejusdem Evang. in fine.

DIE VIII. JUNII.

S. GULIELMI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Guliélmi Confessóris tui atque Pontíficis, méritis et intercessióne lætíficas : concéde propítius ; ut, qui ejus benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

MUNERA Dómine obláta sanctífica : et intercedénte beáto Guliélmo, Confessóre tuo atque Pontífice, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogámus, omnípotens Deus, ut quos tuis réficis sacraméntis, intercedénte beáto Guliélmo, Confessóre tuo atque Pontífice, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum nostrum.

DIE IX. JUNII.

(*In Diœc. Portsmuthensi.*)

TRANSL. S. EDMUNDI EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa. **Gaudeámus,** ut in festo die xvj. Novembris; sed non dicitur **Credo.**

Oratio.

DEUS, qui nos concédis beáti Edmúndi Confessóris tui atque

Pontíficis translatiónem cólere: da nobis ejus méritis et précibus ; ut a peccáti servitúte solúti, ad regni cœléstis gáudia transíre valeámus. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Mart. Primi et Feliciani, ut in Missali.

Secreta.

Hæc múnera, Dómine, in benedictióne sanctífica, et præsta: ut beáti Edmúndi Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne nobis salutária reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refecti Dómine, córporis et sánguinis tui mystériis te súpplices exorámus, ut sicut beátum Edmúndum Confessórem tuum atque Pontíficem, de hoc sæculo ad cœléstem glóriam transtulísti, ita nos ejus translatiónem recoléntes, ejúsdem glóriæ partícipes esse mereámur: Qui vivis et regnas.

DIE XVII. JUNII.

S. BOTULPHI ABBAT. ET CONF.

Missa. **Os justi,** de Comm. Abbat.

DIE XXII. JUNII.

S. ALBANI MARTYRIS.

Missa. **In virtúte tua,** de Communi unius Mart. non Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beáti Albáni martyrio consecrásti: tríbue quæsumus ; ut cujus ánnuo gratulámur officio, ejus contínuo foveámur auxílio. Per Dóminum.

Et fit com. S. Paulini Episc. et Conf. ut in Missali eadem die.

Evangelium. **Si quis vult post me veníre,** ex Missa. **Sacerdótes Dei,** de Comm. unius Mart. Pont.

Secreta.

Sicut in beáti Albáni, Mártyris tui, veneratióne te mirábilem prædicámus: sic apud cleméntiam tuam Dómine, per hæc piæ placatiónis offícia pro nobis, quæsumus, ipse pius interventor exsístat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Ut tua nos Dómine sacraménta purgent a crímine, et in caritátis tuæ fervóre consérvent: sanctam majestátem tuam, quæsumus, beátus Martyr Albánus semper exóret. Per Dóminum.

DIE XXIII. JUNII.

S. ETHELDREDÆ VIRGINIS.

Missa. **Dilexísti,** de Communi Virginum.

Oratio.

Deus, qui nos beátæ Etheldrédæ Vírginis tuæ ánnua solemnitáte lætíficas ; concéde propítius, ut cujus integritátis irradiámur exémplis, ejus méritis adjuvémur. Per Dóminum.

DOM. ANTE DIEM OCTAVUM KALENDAS JULII.

(*In Diœc. Loidensi et Medioburgensi.*)

BEATÆ MARIÆ VIRG. SUB TITULO DE PERPETUO SUCCURSU.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui dedísti nobis beatíssimæ Genitrícis tuæ Imáginem de Perpétuo Succúrsu speciáli título venerári: concéde propítius ; ita nos inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes contínua ejúsdem Immaculátæ sempérque Vírginis Maríæ protectióne muníri, ut ætérnæ tuæ redemptiónis præmia cónsequi mereámur: Qui vivis et regnas.

Et fit com. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminі. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Cant. 6. Tota formósa et suávis es, fília Sion, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta. ℣. Judith 13. 23. Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 1. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19.

In illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei ut loquáris pro nobis bona ; et ut advértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Vírginis et Matris Maríæ intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

Deinde fit com. Dominicæ.

Præfatio. Et te in Festivitáte.

Communio. Regína mundi digníssima, Mater Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium.

Postcommunio.

Adjuvet nos quæsumus Dómine, Immaculátæ Genitrícis tuæ semperque Vírginis Maríæ intercéssio veneránda; ut, quos perpétuis cumulávit benefíciis, a cunctis perículis absolútos sua fáciat pietáte concórdes. Qui vivis.

Deinde fit com. Dominicæ.

In fine Missæ legitur Evangelium ejusdem Dominicæ.

DIE VII. JULII.

TRANSLAT. S. THOMÆ CANTUAR.

EPISC. ET MART.

Missa ut in Missali, die XXIX Decembris sine Credo præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui nobis translatiónem beáti Thomæ, Mártyris tui atque Pontíficis, celebráre concédis : te súpplices exorámus; ut ejus méritis et précibus a vítiis ad virtútes, et a cárcere transferámur ad regnum. Per Dñum.

Secreta.

Deus, qui panem et vinum in corpus tuum et sánguinem cœlésti benedictióne convértis : concéde nobis per mérita beáti Thomæ, Mártyris tui atque Pontíficis ; ut ad tuam misericórdiam reverténtes, tuo beneplácito conformémur : Qui vivis et regnas.

Præfatio communis.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Thomam, Mártyrem tuum atque Pontíficem, a supplíciis ad gáudia transtulísti : trí-

bue quæsumus; ut qui translatiónem ejus venerámur in terris, per ejus patrocínium ad cœléstia transferámur. Per Dóminum.

DOMINICA II. JULII.

SACRARUM RELIQUIARUM.

Missa. Multæ tribulatiónes, ut in fine Missalis pro aliquibus locis, Dom. v. Octobris, cum com. Dom. currentis et ejus Evangelium in fine.

DIE IX. JULII

S. WILLIBALDI EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE XV. JULII.

S. SWITHUNI EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus: qui hodiérnam diem honorábilem nobis in beáti Swithúni, Confessóris tui atque Pontíficis, festivitáte fecísti: da Ecclésiæ tuæ in hac celebritáte lætítiam; ut cujus solemnitátem venerámur in terris, ejus intercessióne sublevémur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Respice, quæsumus Dómine, pópulum tuum ad tua sacraménta curréntem, in præsénti festivitáte beáti Swithúni, Confessóris tui atque Pontíficis: et concéde; ut ipso intercedénte, quod in honóre tui nóminis obtulérunt, cunctis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Pignus vitæ ætérnæ capiéntes, Dómine, humíliter implorámus; ut intercedénte beáto Swithúno, Confessóre tuo atque Pontífice, quod in imágine contíngimus sacraménti, manifésta participatióne sumámus. Per Dóminum.

DIE XVII. JULII.

S. OSMUNDI EPISC. ET CONF.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos beáti Osmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, hodiérna festivitáte lætíficas: tuam súpplices exorámus clementiam; ut cujus solémnia devótis officiis venerámur, ejus piis suffrágiis, ætérnæ vitæ glóriam consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera nostra, quæsumus Dómine, méritis et intercessiónibus muníſici Confessóris tui Osmúndi sanctífica: ut in Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi corpus et sánguinem convertántur, et ad nostrárum profíciant salútem animárum. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, munéribus sacris te súpplices deprecámur: ut eórum virtúte roboráti, beáti Osmúndi Confessóris tui atque Pontíficis, imitémur exémpla, et ad gáudia perveniámus ætérna. Per Dóminum.

DIE XXIV. JULII.

S. ALEXII CONFESSORIS.

Missa ut in Missali die xvij. Julii, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Aléxium, Confessórem tuum, in mundi contémptu mirábilem effecísti: præsta quæsumus; ut intercessiónis ejus auxílio, fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper adspírent. Per Dóminum.

Et fit com. Vigiliæ S. Jacobi Apost. et S. Christinæ Virg. et Mart. ut in Missali die xxiv. Julii, cum Evangelio Vigiliæ in fine Missæ.

DIE XXX. JULII.

S. GERMANI EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Communi Conf. Pont. ij. loco.

DIE IX. AUGUSTI.

S. OSWALDI REGIS ET MART.

Missa. **In virtúte,** de Comm. Mart.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui hujus diéi jucúndam sanctámque lætítiam in beáti Oswáldi Regis martyrio consecrásti ; da córdibus nostris tuæ caritátis augméntum, ut cujus gloriósum fídei certámen admirámur, constántiam ad mortem imitémur. Per Dóminum.

DIE XVIII. AUGUSTI.

S. HELENÆ VIDUÆ.

Missa. **Mihi autem,** ut in fine Missalis pro aliquibus locis eadem die.

Et fit com. Octavæ Assumpt. B. Mariæ Virg.

DIE XXXI. AUGUSTI.

S. AIDANI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Comm. Conf. Pont.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

(In Diœc. Hagulstad et Novic.)

TRANSLATIONIS S. CUTHBERTI, EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

Oratio.

Præsta nobis quæsumus omnípotens et misericors Deus, ut qui beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis translatiónis diem venerámur, per ipsíus suffrágia pietátis tuæ semper benefícia consequámur. Per Dñm.

Secreta.

Hæc múnera, quæsumus, Dómine, beáti Cuthbérti Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne sanctífica, et nos fámulos tuos a peccatórum ómnium máculis cleménter emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio.

Ut hæc commúnio nos, Dómine, tibi dignos effíciat beátus Cuthbértus Conféssor et Póntifex tuus cujus translatiónis diem venerámur, suffrágiis quæsumus suæ intercessiónis obtíneat. Per Dóminum nostrum.

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

S. NINIANI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE XXVI. SEPTEMBRIS.

S. THEODORI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont j loco.

Et fit commem. SS. Cypriani et Justinæ, ut in Missali.

DIE XXX. SEPTEMBRIS.

PRO COMMEMORAT. S. HONORII EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta et Postcommunio ex Missa. **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. j. loco.

DIE III. OCTOBRIS.

S. THOMÆ HEREFORDIENSIS EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationem sequent.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Pontíficis Thomæ angélica puritáte et virtútum glória decorásti : concéde nobis fámulis tuis ; ut ejus suffragántibus méritis angelórum cum ipso mereámur agmínibus sociári. Per Dñm.

DOMINICA II. OCTOBRIS

MATERNITATIS B. MARIÆ VIRG.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, eadem Dominica.

DIE X. OCTOBRIS.

S. PAULINI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Confessoris Pontificis j. loco.

DIE XII OCTOBRIS.

S. WILFRIDI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequent.

Oratio.

Deus, cujus grátia beátus Wilfrídus Póntifex lúcidis meritórum signis excellénter effúlsit : præsta nobis propítius : ut ejus semper patrocínio muniámur, cujus doctrína ad appeténda cœléstia informámur. Per Dóminum.

Secreta.

Purifica, quæsumus omnípotens Deus, mentem famíliæ tuæ sancti Spíritus tui illustratióne ; ut per suffrágia beáti Wilfrídi, Confessóris tui atque Pontíficis, accépta reddántur præséntia múnera nostræ devotiónis. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus.

Postcommunio.

Redemptionis ætérnæ pábulo satiáti, súpplices Dómine tuam cleméntiam deprecámur : ut beáti Wilfrídi, Confessóris tui atque Pontíficis, intercedéntibus méritis, ætérna capiámus dona salútis. Per Dóminum nostrum.

DIE XIII. OCTOBRIS.

S. EDUARDI CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, eadem die.

DOMINICA III. OCTOBRIS.

PURITATIS B. MARIÆ VIRG.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, eadem Dominica.

DIE XXI. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ ET SOC. VIRG. ET MARTYRUM.

Missa. **Loquébar**, de Comm. Virg. et Mart. Orationes ut in Communi plurim. Virg. et Mart. et fit commem. S. Hilarionis Abbat. ut in Missali, eadem die.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

PATROCINII B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, Dominica ij. Novembris.

DIE XXIII. OCTOBRIS.

SANCTISSIMI REDEMPTORIS.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXIV. OCTOBRIS.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis, eadem die.

DIE XXV. OCTOBRIS.

S. JOANNIS DE BEVERLACO EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequent.

Oratio.

Deus, qui præséntem diem beáti Joánnis, Confessóris tui atque Pontíficis, festivitáte consecrásti : da Ecclésiæ tuæ digne de ejus solemnitáte gaudére ; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus adjuvémur et méritis. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart. ut in Missali, eadem die.

Secreta.

Suscipiat cleméntia tua, Deus, de mánibus nostris munus oblátum ; et per sancti Confessóris tui Joánnis Epíscopi oratiónes ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctificati, Dómine, salutáribus mystériis, quæsumus; ut pro nobis beáti Joánnis, Confessóris tui atque Pontíficis, non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

DIE XXIX. OCTOBRIS.

S. BEDÆ CONFESSORIS.

Missa. **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ, Confessóris tui atque Doctóris, eruditióne claríficas: concéde propítius fámulis tuis, ejus semper illustrári sapiéntia, et méritis adjuvári. Per Dóminum.

DIE III. NOVEMBRIS.

S. WINEFRIDÆ VIRG. ET MART.

Missa. **Me exspectavérunt,** de Comm. Virg. et Mart. præter sequent.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátam Winefrídam virginitátis præmio donásti: fac nos, quæsumus, ejus intercessióne mundi hujus blandiménta postpónere, et cum ipsa perénnis glóriæ sedem obtinére. Per Dóminum.

Commem. Octavæ omnium Sanctorum, ut in Missali.

Evangelium ex Missa. **Loquébar,** de Communi Virg.

Secreta.

Hostias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius réspice: et intercedénte beáta Winefrída, Vírgine tua et Mártyre, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Postcommunio.

Placeant tibi, quæsumus misericors Deus, nostræ servitútis obséquia, ut mystéria sacrosáncta, quæ súmpsimus, intercedénte beáta Winefrída, Vírgine tua et Mártyre, et tuam grátiam nobis concílient, et ætérnæ felicitátis gáudium subminístrent. Per Dóminum.

DIE X. NOVEMBRIS.

PRO COMMEMORATIONE

S. JUSTI EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta et Postcommunio ex Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

S. ERCONWALDI EPISC. ET CONF.

Missa. **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequent.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos beáti Erconwáldi, Confessóris tui atque Pontíficis, hodiérna festivitáte lætíficas: tuam súpplices exorámus cleméntiam; ut cujus solémnia devótis officiis venerámur, ejus piis suffrágiis ætérnæ vitæ remédia consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Propitiare, quæsumus Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercedénte beáto Erconwáldo, Confessóre tuo atque Pontífice, tuis sacraméntis cœléstibus serviéntes ab omni culpa líberos esse concéde: ut, purificánte nos grátia tua, eísdem quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus Dómine Deus noster, ut divínis mystériis expiáti, intercedénte beáto Erconwáldo, Confessóre tuo atque Pontífice, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta tendámus. Per Dóminum.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

S. EDMUNDI EPISC. ET CONF.

Missa. **Státuit,** de Communi Conf. Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui largíflue bonitátis consílio Ecclésiam tuam beáti Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, præcláræ vitæ méritis decorásti, et gloriósis lætificásti miráculis: concéde propítius nobis fámulis tuis; ut et ipsíus in mélius reformémur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta

Beati Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, précibus múnera tibi offerénda compláceant, et obláta nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, suscéptis róbora sacraméntis: ut sicut eas beáti Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, novis dignátus es

confortáre miráculis, sic étiam juváre suffrágiis, et illustráre dignéris exémplis. Per Dóminum.

DIE XVI. NOVEMBRIS.

(*In Diœc. Portsmuthensi.*)

IN SOLEMNITATE

S. PATRONI N. EDMUNDI

EPISC. ET CONF.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beáti Edmúndi : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32. Exsultáte justi in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui largífluæ bonitátis consílio Ecclésiam tuam beáti Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, præcláræ vitæ méritis decorásti, et gloriósis lætificásti miráculis : concéde propítius nobis fámulis tuis ; ut et ipsíus in mélius reformémur exémplis, et ab ómnibus ejus patrocínio protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

ECCE sacérdos magnus qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis, et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans et cyprèssus in altitúdinem se extóllens. In accipiéndo ipsum stolam glóriæ et vestíri eum in consummatióne virtútis.

Graduale. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Allelúia, allelúia. ℣. Hic Edmúndus pauper et módicus cœlum dives ingréditur, hymnis cœléstibus honorátur. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium Dómini tui. Credo, et per Octavam.

Offertorium. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Beati Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, précibus múnera tibi offerénda compláceant, et obláta nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Mentes nostras, quæsumus Dómine, suscéptis róbora sacraméntis : ut sicut eas beáti Edmúndi, Confessóris tui atque Pontíficis, novis dignátus es confortáre miráculis, sic étiam juváre suffrágiis, et illustráre dignéris exémplis. Per Dóminum nostrum.

DIE XVII. NOVEMBRIS.

S. HUGONIS EPISC. ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. præter Orationes sequent.

Oratio.

Deus, qui beátum Hugónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, eminéntia meritórum et claritáte signórum excellénter ornásti : concéde propítius ; ut ejus exémpla nos próvocent, et virtútes illústrent. Per Dñm.

Secreta.

Oblata, quæsumus Dómine, múnera beátus Hugo, Conféssor tuus et Póntifex, prosequátur : ut méritis ejus adjúti, grátiam et glóriam consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Nostræ servitútis obséquia, quæsumus Dómine, beátus Hugo, Conféssor tuus et Póntifex, tibi reddat accépta : ne sacraménti cœléstis efféctum reátus noster a nobis exclúdat. Per Dóminum.

DIE XX. NOVEMBRIS.

S. EDMUNDI REGIS ET MART.

Missa. In virtúte tua, de Communi unius Mart. non Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus ineffábilis misericórdiæ, qui beatíssimo Regi Edmúndo tribuísti inimícum pro tuo nómine moriéndo víncere : concéde propítius huic famíliæ tuæ ; ut eo interveniénte mereátur in se antíqui hostis incitaménta superándo exstínguere. Per Dóminum.

Secreta.

Hoc Sacrifícium redemptiónis nostræ, quæsumus omnípotens Deus, cleménter réspice, et intercedénte beáto Edmúndo, Rege et Mártyre tuo, pro hac família tua placátus assúme. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sint tibi, omnípotens Deus, grata nostræ servitútis obséquia : ut hæc sancta quæ súmpsimus, intercedénte beáto Edmúndo, Rege et Mártyre tuo, prosint nobis ad capesénda præmia vitæ perpétuæ. Per Dóminum nostrum.

INDEX ALPHABETICUS.

ANGLIÆ.

In Proprio Officiorum ac Missarum ex Apostolicæ Sedis concessione in Angliæ Diœcesibus hucusque adhibito, quum nonnulla desiderarentur Festa Sanctorum, qui insignem eam regionem vitæ sanctimonia et miraculorum splendore mirifice illustrarunt, Rmi earundem Diœcesium Antistites consilium iniverunt supplementum adornandi, quod Officia cum Missis de eisdem Sanctis propria complecteretur. Hinc ejusmodi supplementum ab ipsis eximio studio elucubratum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII. humillime exhibuerunt, expostulantes, ut illud suprema auctoritate sua approbare dignaretur.

Placuit vero eidem Sanctissimo Domino Nostro præfati supplementi examen committere Sacrorum Rituum Congregationi, quæ, omnibus sedulo expensis, supplementum ipsum a se emendatum atque ordinatum, prouti superiori in exemplo prostat, probari posse censuit. Quam porro Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente infrascripto Secretario, ratam habens, Officia cum Missis in suprascripto supplemento contenta, in usum Cleri cunctarum Angliæ Diœcesium tam Sæcularis quam Regularis Diœcesano Kalendario utentis, approbavit ac concessit; attamen injuncto onere ut, postquam hæc omnia fuerint typis cusa, duplex eorum authenticum exemplar ad ipsam Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14. Augusti 1883.

Præsens Duplicatum expeditum fuit hac die 11. Martii 1884.

D. CARDINALIS BARTOLINIUS
S. R. C. Præfectus.

L. † S.

LAURENTIUS SALVATI
S. R. C. Secr.

Imprimi possunt.

Mechliniæ, die 24 Januarii 1885.

† PETRUS LAMBERTUS, ARCHIEP. MECHLINIEN.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN, — MDCCCLXXXV.

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

DIŒCESIS APPAMIENSIS

A SS. DD. NOSTRO PIO PAPA IX.

APPROBATÆ,

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. JOANNIS ANTONII AUGUSTI BÉLAVAL,

EPISCOPI APPAMIENSIS,

EDITÆ.



PARISIIS

ADRIANUS LE CLERE ET SOCII,

SS. DD. N. ~~PAPÆ ET ARCHIEPI~~SCOPI PARISIENSIS TYPOGRAPHI,

VIA DICTA CASSETTE, 29.

1862

JOANNES ANTONIUS AUGUSTUS BÉLAVAL,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS APPAMIENSIS.

Adriano Le Clere, cum Sociis, SS. Domini Papæ apud Parisienses Typographo, Missas proprias Diœcesis Appamiensis, quales fuere nuper a Sancta Sede approbatæ et concessæ, typis mandandas commisimus, editionemque earum diligenti examine perlectam cum textu authentico concordare perspeximus, quam ideo approbamus, et in publicum prodire jubemus.

Datum Appamiis, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, necnon Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo secundo, die prima Martii.

† AUGUSTUS, *Episc. Appamiensis.*

De Mandato Illustrissimi et Reverendissimi
DD. Episcopi,

Vidal, *Can. Secr.*

APPAMIEN.

De Romana Liturgia in suam Diœcesim revocanda apprime sollicitus Reverendissimus Dominus Joannes Franciscus Galtier, Episcopus Appamiensis, acceptissimum Clero populoque sibi commissis fore perspexit si in Kalendario Diœcesano nomina illorum Cœlitum pristinam honorificam sedem pergerent retinere, quos varia Diœcesis loca tamquam cœlestes apud Deum patronos a vetustis sæculis peculiari cultu celebrare consueverunt. Piis itaque ejusmodi votis permotus nedum Kalendarium perpetuum pro usu Diœcesis suæ ita conficere studuit, ut certam fixamque sedem prædicti Cœlites in eodem haberent, sed omnem præterea curam adhibuit, ut recitanda quotannis a Clero Diœcesano in illorum honorem Officia et Missas e probatis fontibus desumeret apteque concinnaret. Ne vero in negotio gravissimo quod probe norat juxta Ecclesiasticas leges supremo Sedis Apostolicæ judicio reservari, quidquam auctoritate propria decernere videretur, Exemplar tum Kalendarii perpetui, tum Proprii Officiorum atque Missarum humillime exhibuit Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX., supplicibus votis ab eo postulans ut illa approbare, eidemque Clero sibi commisso concedere dignaretur.

Quum autem Sanctissimus Dominus examen hujus operis commiserit Sacrorum Rituum Congregationi, hæc omnibus accurate perpensis idem Kalendarium Appamiense cum adjecto Proprio Officiorum et Missarum approbari posse censuit sub modo tamen et forma cura Sacræ Congregationis in exemplari proposito adnotatis.

Hanc porro Sacræ Congregationis sententiam Sanctitas Sua, referente subscripto Secretario, ratam habuit et confirmavit, clementerque indulsit ut idem Kalendarium, et Proprium sub modo et forma prædictis a Clero Civitatis ac Diœcesis Appamiensis tam in Horis Canonicis juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persolvendis, quam in Missis celebrandis perpetuo serventur; injuncto onere ut postquam idem Proprium fuerit prælo commissum, duplex authenticum exemplar ad Sacram Rituum Congregationem transferatur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 29 Aprilis 1858.

C. Episcopus Albanen. Card. PATRIZI, *S. R. C. Præfectus.*

H. Capalti, *S. R. C. Secretarius.*

TABELLA FESTORUM

IN QUIBUS PAROCHI ET ALII ANIMARUM CURAM ACTU GERENTES

TENENTUR CELEBRARE ET APPLICARE MISSAM

PRO POPULO SIBI COMMISSO.

Ex Encyclica Pii Papæ IX. *Amantissimi Redemptoris*, 3 Maii 1858.

I. Dominici dies totius anni.

II. Festa Domini, scilicet : Nativitatis D. N. J. C. — Circumcisionis. — Epiphaniæ. — Resurrectionis cum duabus sequentibus Feriis. — Ascensionis. — Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis. — SS. Trinitatis. — Corporis Christi. — Inventionis sanctæ Crucis.

III. Festa B. M. V., scilicet : Purificationis. — Annuntiationis. — Assumptionis. — Nativitatis beatæ Mariæ Virginis. — Conceptionis immaculatæ.

IV. Festa Sanctorum, scilicet : Dedicationis B. Michaelis Archangeli. — Nativitatis S. Joannis Baptistæ. — SS. Petri et Pauli. — S. Andreæ. — S. Jacobi. — S. Joannis. — S. Thomæ, Apost. — SS. Philippi et Jacobi. — S. Bartholomæi. — S. Matthæi. — SS. Simonis et Judæ. — S. Mathiæ. — S. Stephani, Protomartyris. — S. Laurentii, Mart. — S. Sylvestri, Papæ et Conf. — S. Josephi, Conf., Sponsi B. M. V. — S. Annæ, Genitricis B. M. V. — Omnium Sanctorum. — Unius e principalioribus Patronis Regni vel Provinciæ — Alterius pariter principalioris e Patronis Civitatis, vel Oppidi, vel Pagi.

« Quod attinet ad Festos translatos dies, id unum excipitur, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini Officii pars est, una simul cum ipso Officio translata existimari debet. » (*Encycl. Pii Papæ IX., 3 Maii* 1858.

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

DIŒCESIS APPAMIENSIS.

FESTA MOBILIA.

FERIA III. POST DOMIN. SEPTUAGESIMÆ.

MISSA

ORATIONIS D. N. J. C.

Introitus. Psalm. 54.

Cor meum conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me. Timor et tremor venérunt super me. *Psalm.* 68. Salvum me fac Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in horto verbo, et exemplo nos oráre docuísti ad tentatiónum perícula superánda : concéde propítius; ut nos oratióni semper inténti, ejus copiósum fructum cónsequi mereámur. Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Hebr.* 5.

Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis, quæ passus est, obediéntiam : et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo Póntifex juxta órdinem Melchísedech.

Graduale. Psalm. 87. Repléta est malis ánima mea, et vita mea inférno appropinquávit. ℣. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutório.

Tractus. Psalm. 78. Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua. ℣. Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo : quóniam tríbulor, velóciter exáudi me. ℣. *Psalm.* 21. Ne discésseris a me : quóniam tribulátio próxima est : quóniam non est qui ádjuvet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc.* 22. *d*

In illo témpore : Egréssus Jesus ibat, secúndum consuetúdinem,

in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et cum pervenísset ad locum, dixit illis : Oráte, ne intrétis in tentatiónem. Et ipse avúlsus est ab eis, quantum jactus est lápidis, et pósitis génibus orábat dicens : Pater, si vis, transfer cálicem istum a me : verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat. Appáruit autem illi Angelus de cœlo, confórtans eum. Et factus in agonía, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Credo.

Offertorium. Psalm. 68. Salvum me fac, Deus : quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Secreta.

Hujus sancti sacrifícii méritis, fac nos, quæsumus Dómine, divína institutióne formátos curam oratiónis tam efficáciter impéndere, ut Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus in éxitu nostro vígiles, et a culpa solútos invéniat. Qui tecum.

Præfatio de Cruce, p. 197 *vel* 220.

Communio. Matth. 26. Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem : Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma.

Postcommunio.

Refecti alimónia cœlésti súpplices te rogámus, Pater omnípotens, ut per Unigéniti Fílii tui Oratiónis virtútem, nos in tantis córporis et ánimæ perículis constitúti, ad cœléstia regna secúre perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

FERIA III. POST DOMIN. SEXAGESIMÆ.

IN COMMEMORATIONE

SS. PASSIONIS D. N. J. C.

Missa Humiliávit, *votiva de Passione,* p. xliij.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti : concéde propítius; ut sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus ; ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem.

Et dicitur Credo, *ac Præfatio de Cruce,* p. 197 *vel* 220.

FERIA VI. POST CINERES.

IN FESTO

SS. SPINEÆ CORONÆ

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Introitus. Cant. 3.

Egredimini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, parans Crucem Salvatóri suo. *Psalm.* 8. Glória et honóre coronásti eum, Dómine : et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus : ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi Corónam ejus spíneam venerámur in terris, ab ipso glória, et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum.

Fit Commemoratio Feriæ et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant.* 3 *et* 4.

Lectulum Salomónis sexaginta fortes ámbiunt ex fortíssimis Israel : omnes tenéntes gládios, et ad bella doctíssimi : uniuscujúsque ensis super femur suum propter timóres noctúrnos. Férculum fecit

sibi rex Sálomon de lignis Líbani. Colúmnas ejus fecit argénteas, reclinatórium áureum, ascénsum purpúreum : média caritáte constrávit propter fílias Jerúsalem. Egredímini, et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis illíus, et in die lætítiæ cordis ejus. Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbárum, absque eo quod intrínsecus latet. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni : coronáberis.

Graduale. Eccli. 45. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. *Psalm.* 20. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tractus. Isaiæ 61. Induit eum Dóminus vestiméntis salútis, et induménto justítiæ, quasi sponsum decorátum coróna. ℣. *Isaiæ* 28. Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exultatiónis. ℣. *Sap.* 5. Accépit regnum decóris, diadéma speciéi.

In Missis votivis a Paschate usque ad Pentecosten.

Allelúja, allelúja. ℣. *Eccli.* 45. Coróna áurea super caput ejus, expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. Allelúja. ℣. Tibi glória, hosánna : tibi triúmphus et victória : tibi summæ laudis, et honóris coróna. Allelúja.

A Pentecoste usque ad Septuages.

Graduale. Ibid. Coróna áurea super caput ejus : expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis. ℣. *Psalm.* 20. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja, allelúja. ℣. *Isaiæ* 28. Coróna tribulatiónis efflóruit in corónam glóriæ, et sertum exultatiónis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joan.* 9.

In illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes Corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus, et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant ad eum, et dicébant : Ave Rex Judæórum : et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis : Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. Exívit ergo Jesus portans Corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum. Credo.

Offertorium. Tuam Corónam adorámus, Dómine : tuam gloriósam recólimus passiónem.

Secreta.

Tuorum mílitum, Rex omnípotens, virtútem róbora : ut quos in hujus mortalitátis stádio unigéniti Fílii tui Coróna lætíficat; consummáto cursu certáminis, immortalitátis bravíum apprehéndant. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce, p. 197 *vel* 220.

Communio. Prov. 4. Lætáre, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augménta gratiárum, et coróna ínclyta próteget te.

Postcommunio.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus : ut hæc sacraménta quæ súmpsimus, per sacrosánctæ Fílii tui Corónæ, cujus solémnia recensémus, virtútem, nobis profíciant ad medélam. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOMIN. I. QUADR.
IN FESTO

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM

D. N. J. C.

Introitus. Psalm. 21.

FODERUNT manus meas, et pedes meos : dinumeravérunt ómnia ossa mea : et sicut aqua effúsus sum. *Psalm. Ib.* Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui in assúmptæ carnis infirmitáte Clavis affigi, et Láncea vulnerári pro mundi salúte voluísti : concéde propítius ; ut qui eorúmdem Clavórum, et Lánceæ solémnia venerámur in terris, de glorióso victóriæ tuæ triúmpho gratulémur in cœlis. Qui vivis.

Fit Commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Epistola, Graduale, Tractus, Allelúja *in Missis votivis, Evangelium, et Offertorium ex Missa* Humiliávit, *p.* xliij. *Et dicitur* Credo.

Secreta.

SANCTIFICET nos, quæsumus Dómine, hoc sanctum et immaculátum sacrifícium vespertínum : quod unigénitus Fílius tuus in cruce óbtulit pro salúte mundi. Qui tecum.

Præfatio de Cruce, p. 197 *vel* 220.

Communio. Vidérunt in quem transfixérunt, cum moveréntur fundaménta terræ.

Postcommunio.

DOMINE Jesu Christe, qui temetípsum in cruce holocáustum immaculátum et spontáneum Deo Patri obtulísti : quæsumus ; ut ejúsdem sacrifícii oblátio veneránda indulgéntiam nobis obtíneat, et glóriam sempitérnam. Qui vivis.

FERIA VI. POST DOM II. QUADRAG.
IN FESTO

SACRATISSIMÆ SINDONIS

D. N. J. C.

Introitus. Philipp. 2.

HUMILIAVIT semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen. *Psalm.* 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in generatiónem, et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nobis in sancta Síndone qua Corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum, a Joseph involútum fuit, passiónis tuæ vestígia reliquísti : concéde propítius ; ut per mortem et sepultúram tuam, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Qui vivis.

Fit Commemoratio Feriæ et legitur ejusdem Evangelium in fine.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isaiæ 62 *et* 63.

HÆC dicit Dóminus Deus : Dícite fíliæ Sion : Ecce Salvátor tuus venit : ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus,

et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea : et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor : quæsivi, et non fuit qui adjuváret : et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Graduale. Psalm. 68. Impropérium expectávit cor meum, et misériam : et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit : consolántem me quæsívi, et non invéni. ℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Tractus. Isaiæ 53. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. ℣. Et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et humiliátum. ℣. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra. ℣. Disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Marcum. *Marc.* 16. *d*.

In illo témpore : Cum jam sero esset factum, (quia erat Parascéve, quod est ante Sabbátum) venit Joseph ab Arimathæa, nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur, si jam obiísset. Et accersíto centurióne, interrogávit eum, si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus Síndonem, et depónens eum invólvit Síndone, et pósuit eum in monuménto, quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti.

Credo

Offertorium. Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocáustum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israel, túnica línea indútus est.

Secreta.

Accepta tibi, Dómine, sint hæc múnera, cui pro mundi salúte grata éxtitit Fílii tui pássio gloriósa. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce, p. 197 *vel* 220.

Communio. Marc. 15. Joseph autem mercátus Síndonem, et depónens eum invólvit Síndone.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : quæsumus, ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOMIN. III. QUADRAG.

IN FESTO

SS. QUINQUE PLAGARUM

D. N. J. C.

Missa Humiliávit, *votiva de Passione*, p. xliij, *præter Orat. seq.*

Oratio.

Deus, qui unigéniti Fílii tui passióne, et per Quinque Vúlnera ejus sánguinis effusióne humánam

natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quæsumus; ut qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi sánguinis fructum cónsequi mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Fit Commemoratio Feriæ, et legitur ejusdem Evang. in fine. Et dicitur Credo.

Secreta.

Majestati tuæ, quæsumus Dómine, accépta sint dona, in quibus ipsa Unigéniti tui Vúlnera tibi offérimus, nostræ prétia libertátis. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Postcommunio.

Refecti vitálibus alimóniis, quæsumus Dómine Deus noster; ut qui Vúlnera Dómini nostri Jesu Christi hódie devóte cólimus, hæc in nostris córdibus impréssa, móribus et vita teneámus. Per eúmdem Dóminum.

FERIA VI. POST DOMIN. IV. QUADRAG.

IN FESTO

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa Redemísti, *cum Tractu, ut in Dom. I. Julii,* p. 415. *Dicitur* Credo.

Fit Commem. Feriæ, et legitur ejusdem Evang. in fine.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SS. CORDIS JESU.

Missa Miserébitur, *ut in Feria VI. post Octavam SS. Corporis Christi,* p. 393, *cum Commemoratione Dominicæ.*

DOMIN. PRIMA NON IMPEDITA POST OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. SUMM. PONTIF.

Introitus. Psalm. 49.

Congregate illi sanctos ejus, qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia. Et annuntiábunt cœli justítiam ejus: quia Deus tuus ego sum. *Psalm. Ib.* Deus deórum Dóminus locútus est: et vocávit terram. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris: da spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum Ecclésiæ tuæ, quibus dedísti régimen disciplínæ; ut de proféctu sanctárum óvium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Deinde fit Commem. Dom. occur.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. *Hebr.* 13. *b*

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie: ipse et in sæcula. Doctrínis váriis, et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per Pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur

ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Psalm. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári : et sancti ejus exultatióne exultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo. Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : tu es Sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchisedech. Allelúja.

Evang. Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, *p.* 413.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

UNIGENITI Fílii tui, quam tibi, Deus Pater omnípotens, in honórem sanctórum Pontíficum offérimus, immaculátam hóstiam, prosit nobis ad medélam percipiéndam. Per Dóminum.

Altera Secreta Dominicæ.

Communio. Psalm. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dómine, fidélibus pópulis sanctórum Pontíficum tuórum semper veneratióne lætári, et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Alia Postcomm. Domin. occurr.

¶ *In fine legit. Evang. ejusd. Dom.*

DOMINICA POST OCTAV. ASSUMPT. B. M. V.

IN FESTO

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Introitus. Psalm. 44.

OMNIS glória ejus fíliæ Regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus : adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. *Psalm. Ib.* Eructávit Cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti, concéde propítius; ut ejúsdem Puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Commem. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant.* 8.

PONE me ut signáculum super Cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit : candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo

bonitátis illius. ℣. *Cant.* 6. Ego diléctο meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lilia. Allelúja, allelúja. ℣. *Luc.* 1. Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc.* 2. *g*

In illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est, quod me quærebátis : Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth : et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in Corde suo. Credo.

Offertorium. Judith. 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est Cor tuum : ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedicta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus, ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per Dóminum.

Commem. Dominicæ occurrentis.

Præfatio Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis reféсti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus, ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus Puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Commem. Dominicæ occurrentis.

Ultimum Evang. Domin. occurr.

DOMINICA II. OCTOBRIS.

FESTUM MATERNITATIS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Introitus. Sedulius.

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem : qui cœlum, terrámque regit in sæcula sæculórum. *Psalm.* 44. Eructávit cor meum verbum bonum ; dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti : præsta supplícibus tuis; ut qui vere eam genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem.

Et fit Commem. Dominicæ occurr.

Epistola Ego quasi vitis fructificávi, *p.* 463.

Graduale. Isaiæ 11. Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini. Allelúja, allelúja. ℣. *Isaiæ* 7. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc* 2. *f*

In illo témpore : Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et

notos. Et non inveniéntes regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post triduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth : et erat súbditus illis. Credo.

Offertorium. Matth. 1. Cum esset desponsáta mater ejus María Joseph, invénta est in útero habens de Spíritu sancto.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper vírginis Unigéniti tui matris intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

Communio. Beáta víscera Maríæ vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine : et intercedénte beáta Vírgine Dei genitríce María cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

In fine legitur Evang. Dominicæ.

DOMINICA III. OCTOBRIS.

FESTUM PURITATIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Introitus. Sedulius.

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem : qui cœlum, terrámque regit in sæcula sæculórum. *Psalm.* 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da, quæsumus omnípotens ætérne Deus; ut puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne, puritátem mentis et córporis consequámur. Per.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Cant.* 2. *c*

En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hyems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra : tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Cant. 2. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. ℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília. Allelúja, allelúja. ℣. *Cant.* 6. Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta

ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Allelúja.

Evang. Missus est, *p.* xlv, *sed terminatur ad verba,* virtus Altíssimi obumbrávit tibi.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Post partum Virgo invioláta permansísti : Dei Génitrix intercéde pro nobis.

Secreta.

Unigeniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas : ut qui natus de Vírgine, matris integritátemnon mínuit, sed sacrávit, in Puritátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Præfatio de B. Maria, Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

Communio. Benedícta, et venerábilis es, virgo María, quæ sine tactu pudóris, invénta es mater Salvatóris.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis : da, quæsumus, puríssimæ Vírginis Maríæ patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

In fine legitur Evang. Dominicæ.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

FESTUM PATROCINII

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Missa Salve, sancta Parens, *a Pentecoste ad Adventum,* p. xlviij, *cum Commem. Dominicæ.*

Et dicitur Credo, *et Præfatio de B. Maria,* Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

In fine legitur Evang. Dominicæ.

DOM. POST. OCT. OMNIUM SANCT.

ANNIVERSARIUM DEDICAT. ECCLESIÆ CATHEDR.

ET OMNIUM ECCLES. DIOEC. APPAMIENSIS.

Missa Terríbilis, *de Communi Dedicationis Ecclesiæ,* p. xxxiij, *cum Commem. Dominicæ.*

¶ *In die Octava, Missa ut in Festo.*

FESTA FIXA CERTIS DIEBUS MENSIS.

MENSE NOVEMBRI.

DIE XXIX.

SANCTI SATURNINI,

EPISC. ET MART.

Missa Státuit, *de Communi unius Mart. Pont.*, p. iij.

Fit Commem. Vigiliæ S. Andreæ, Apost., et alterius S. Saturnini, Mart., ut in Missali, p. 326.

Temp. Advent., post Commem. Vigil., fit Commem. Feriæ, deinde alterius S. Saturnini.

In fine Missæ, Evang. Vigiliæ.

MENSE DECEMBRI.

DIE VIII.

IN FESTO

IMMACUL. CONCEPTIONIS

B. M. V.

Introitus. Psalm. 65.

VENITE et vidéte, et narrábo vobis, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ. *Psalm.* 102. Bénedic ánima mea Dómino : et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut cor et corpus nóstrum immaculátum tibi, qui eam ab omni labe præservásti, fidéliter custodiámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Epist. Dóminus possédit me, p. 333.

Graduale. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. ℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúja, allelúja. ℣. Ave María, grátia plena : Dóminus tecum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et* ℣. *sequenti, dicitur :*

Tractus. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℣. Misericórdia ejus a progénie in progéniem timéntibus eam. ℣. Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus : Deus in médio ejus, non commovébitur. Allelúja. ℣. Fundaménta ejus in móntibus sanctis. Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Allelúja.

Evangelium Liber generatiónis, *p.* 334.

Et dicitur Credo, *hac die et per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.*

Offertorium. Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam : ánimam meam erípuit de médio catulórum leónum.

Secreta.

FAC nos, clementíssime Deus, puris méntibus præsens tibi mu-

nus offérre, qui in corde beátæ Maríæ Vírginis puram ab omni labe mansiónem præparásti Jesu Christo Fílio tuo, Dómino nostro. Qui tecum.

Præfatio de B. M. Virgine, Et te in Conceptióne Immaculáta, *p.* 204 *vel* 223; *et sic dicitur per totam Octavam et in Missis votivis.*

Communio. Cant. 6. Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúja.

Postcommunio.

MENSÆ cœléstis pasti delíciis, tuam, Deus, misericórdiam implorámus, ut sanctíssimæ Vírginis Maríæ, quæ semper tibi plácuit, précibus adjúti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

¶ *Infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, et in die Octava dicitur Missa sicut in die Festi; sed infra Oct. dicitur secunda Oratio Feriæ, tertia de Spiritu sancto, vel de Festo Simplici occurr. Si vero occurrat dies Dominica, dicitur secunda Oratio de Octava.*

DIE X.

IN FESTO TRANSLATIONIS

ALMÆ DOMUS B. MARIÆ VIRGINIS.

Introitus. Gen. 28.

TERRIBILIS est locus iste : hic domus Dei est, et porta cœli : et vocábitur aula Dei. *Psalm.* 83. Quam diléсta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Maríæ Vírginis domum per incarnáti Verbi mystérium misericórditer consecrásti, eámque in sinu Ecclésiæ tuæ mirabíliter collocásti : concéde; ut segregáti a tabernáculis peccatórum, digni efficiámur habitatóres domus sanctæ tuæ. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ, et postea S. Melchiadis, Papæ et Mart., ex Missa Státuit, *p.* iij.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Eccli.* 24.

IN ómnibus réquiem quæsívi et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium : et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre; et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum, et bálsamum aromatízans odórem dedi : quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale. Psalm. 26. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. ℣. Ut vídeam voluptátem Dómini, et vísitem templum ejus. Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 83. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine : in sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúja.

Evangelium Missus est, *de Missis votivis Temp. Adventus*, p. xlv.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 5. Introíbo in domum tuam, adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Secreta.

Accipe, quæsumus Dómine, múnera in hac sacra domo dignánter obláta : et, beátæ Maríæ Vírginis suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Præfatio Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

Communio. Prov. 8. Beátus qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotidie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Postcommunio.

Quæsumus Dómine Deus noster : ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti, intercedénte beáta María semper vírgine, et præsens nobis remédium esse fácias, et futúrum. Per Dóminum.

DIE XI.

SANCTI DAMASI,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, hac die, p. 335.

Commem. de Octava et de Feria.

DIE XIII.

SANCTÆ LUCIÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ut in Missali, hac die, p. 336.

Commem. de Octava et de Feria.

DIE XV.

OCTAVA

IMMACUL. CONCEPTIONIS

B. M. V.

Missa ut in die Festi, cum Commem. Feriæ.

Si autem hodie occurrat Feria IV. Quat. Temp., vide rubricam in Missali, hac die, p. 337.

DIE XVIII.

IN FESTO

EXPECTAT. PARTUS B. M. V.

Missa de B. M. V. ab Adventu ad Nativitatem, p. xliv, *præter Introitum et Graduale.*

Introitus. Isaiæ 45.

Rorate cœli désuper, et nubes pluant Justum : aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. *Psalm.* 18. Cœli enárrant glóriam Dei : et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri.

Graduale. Psalm. 23. Tóllite portas, príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus ! Innocens mánibus, et mundo corde. Allelúja, allelúja. ℣. *Luc.* 1. Ecce concípiet, et páriet fílium, Jesum Christum. Allelúja.

Dicitur Credo.

Præfatio Et te in Expectatióne, *p.* 204 *vel* 223.

¶ *Quando hoc Festum occurrit Feria IV. Quat. Temp., in fine legitur Evang. S. Joannis*, In princípio.

DIE XXVI.

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. MARTYRUM.

In Festo S. Stephani, Protomart., post Commem. Nativit. Domini, fier

debet Commem. omnium SS. Mart. per Orationem sequentem.

Oratio.

Deus qui glorificáris in concílio sanctórum Martyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ; ut, quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, et sanctífica hoc sacrifícium pópuli tui, ut quod in honóre beatórum Martyrum tuórum offértur ad glóriam, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut non désinant Sancti tui pro nostris tibi supplicáre peccátis, a quibus voluísti pro peccatóribus exorári. Per Dóminum.

MENSE JANUARIO.

DIE XVI.

SANCTI GERUNTII,

MARTYRIS.

Missa In virtúte tua, *de Communi unius Mart. non Pont.*, p. v, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, intercedénte beáto Gerúntio Mártyre tuo, ut in tua fide et caritáte firmáti, a te nullis tentatiónibus divellámur. Per Dóminum.

Secreta.

Oblatorum tibi múnerum Deus auctor et dator, præsta, ut hoc sacrifícium singuláre, quod sancto Mártyri tuo Gerúntio in passióne cóntulit claritátem, nobis tríbuat in tribulatióne præsidium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Per hæc sacraménta, quæsumus Dómine, da nobis fídei miserátus augméntum; ut quam Martyr tuus Gerúntius sánguinis effusióne proféssus est, eam nos opéribus serváre veleámus. Per Dóminum.

DIE XXIII.

IN FESTO DESPONSATIONIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Missa Salve sancta Parens, *ut in Festo Conceptionis B. M. V.*, p. 333, *præter seq.*

In Oratione et Secreta, pro Conceptiónis *dicitur* Desponsatiónis.

Pro Commemoratione S. Joseph.

Oratio.

Sanctissimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quæsumus Dómine, méritis adjuvémur : ut quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Qui vivis.

Pro sancta Emerentiana, Virg. et Mart., Oratio Indulgéntiam, *p.* xxv.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et* ℣. *sequenti dicitur :*

Tractus. Gaude María virgo, cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth.* 1.

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte

dimittere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Credo.

Pro S. Joseph. Secreta.

Debitum tibi, Dómine, nostræ réddimus servitútis, supplíciter exorántes: ut suffrágiis beáti Joseph, Sponsi genitrícis Fílii tui Jesu Christi Dómini nostri, in nobis tua múnera tueáris, ob cujus venerándam commemoratiónem, laudis tibi hóstias immolámus. Per eúmdem.

Pro sancta Emerentiana, Virg. et Mart., Secreta Hóstias tibi, *p.* xxvj.

Præfatio Et te in Desponsatióne, *p.* 204 *vel* 223.

Pro S. Joseph. Postcommunio.

Adesto nobis, quæsumus miséricors Deus: et intercedénte pro nobis beáto Joseph Confessóre, tua circa nos propitiátus dona custódi. Per Dóminum.

Pro sancta Emerentiana, Virg. et Mart., Postcomm. Divíni múneris, *p.* xxvj.

MENSE FEBRUARIO.

DIE IV.

BEATÆ JOANNÆ VALESIÆ, VIDUÆ.

Introitus. Psalm. 30.

Exultabo, et lætábor in misericórdia tua, Dómine, quóniam respexísti humilitátem meam, salvásti de necessitátibus ánimam meam. *Psalm. Ib.* In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum; in justítia tua líbera me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad imitándum beátæ Vírginis Fílii tui genitrícis virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum vírginum cœtum institui voluísti: ejus méritis precibúsque concéde, ut per éadem gradiámur virtútum exémpla. Per Dóminum.

Commem. Feriæ in Quadrag., et sic in Festis sequent.

Epistola Mulierem fortem, *de Communi nec Virginis nec Martyris,* p. xxxj.

Graduale. Psalm. 118. Adhæsi testimóniis tuis, Dómine: in corde meo abscóndi elóquia tua. ℣. Bonum mihi lex oris tui super míllia auri et argénti. Allelúja, allelúja. ℣. *Jud.* 5. Audite reges, et áuribus percípite príncipes: Ego sum quæ Dómino canam, psallam Dómino Deo Israel. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et* ℣. *sequenti, dicitur:*

Tractus. Psalm. 118. Expectábam salutáre tuum, Dómine: et mandáta tua diléxi. ℣. Custodívit ánima mea testimónia tua, et diléxit ea veheménter. ℣. Servávi mandáta tua, et testimónia tua: quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Evang. Símile est regnum cœlórum thesáuro, *p.* xxxij.

Offertorium. II. Paral. 9. Regína, postquam vidit domum Dei, et víctimas quas immolábant in domo Dómini, non erat præ stupóre ultra in ea spíritus, dixítque: Sit Dóminus Deus benedíctus, quia díligit pópulum suum, et vult serváre eum in ætérnum.

Secreta.

Da nobis, quæsumus Dómine, per hæc sancta sacrifícia, regnum tuum justitiámque ejus semper inquírere, pro cujus adeptióne sancta regína Joánna falláces regni terréni pompas, et illécebras incunctánter abjécit. Per Dóminum.

Commem. Feriæ in Quadrag.

Communio. Psalm. 60. Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula : próteger in valeménto alárum tuárum : quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam.

Postcommunio.

Infunde nobis, Dómine, hujus virtúte sacraménti, sanctam amóris tui suavitátem : ut beátæ Joánnæ intercessióne, superátis ómnibus mundi impediméntis, tibi uni cum illa adhærére mereámur. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriæ, cujus in fine Missæ legitur Evang.; et sic in Festis sequent.

DIE IX.

SANCTI VALERII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Communi Conf. Pont.*, p. xvij, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Deus, qui per prædicatiónem sancti Valérii Epíscopi non credéntem pópulum dono fídei ditáre dignátus es; da propítius, ipso intercedénte, ut qui sumus et dícimur Christiáni, huic nómini promíssam hæreditátem móribus íntegris ássequi valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Fundamentum et auctor fídei nostræ Deus, Ecclésiæ tuæ votis benígnus aspíra, et hóstias súscipe propítius; et sicut olim beátum Valérium, ita nunc ad eos qui de te non audiérunt, mitte operários Spíritu sancto plenos et fide; ut áudiant gentes, et convertántur. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Per hujus operatiónem mystérii confírma, Dómine, fámulos tuos in fide veritátis : ut eam ubíque ore et ópere confiteántur, pro qua sanctus Póntifex Valérius laboráre non déstitit. Per Dóminum.

DIE XI.

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*E die 4 hujus.*)

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont.*, p. xv, *cum Oratione propria, in Missali,* p. 358.

DIE XII.

SANCTI MARCELLI,

PAPÆ ET MARTYRIS.

(*E die 16 Januarii.*)

Missa Státuit ei, *in Missali*, p. 342.

DIE XIII.

SANCTI VOLUSIANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit ei, *de Communi Conf. Pont.*, p. xv.

DIE XIV.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT,

CONFESSORIS.

(*E die 23 Januarii.*)

Missa Os justi, *de Communi Conf. non Pont.*, p. xx, *cum Oratione propria, in Missali*, p. 347.

Fit Commem. S. Valentini, Presb. et Mart., per Orat. proprias, in Missali, p. 360.

DIE XXV. *vel* XXVI.

SANCTI FELICIS III.,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont.*, p. XV.

DIE XXVI. *vel* XXVII.

S. MARGARITÆ DE CORTONA,

POENITENTIS.

Missa Cognóvi, *de Communi nec Virg. nec Mart.*, p. XXXj, *præter seq.*

Oratio.

DEUS, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti : eádem nobis miseratióne concéde; ut, quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 3 *et* 8.

SURGAM, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : num quem diligit ánima mea, vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors di-léctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Secreta.

PLACATIONIS hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem elargiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

UBERES, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítiem nostri cordis emólliant : ut per hujus virtútem sacraménti débitas reátibus flammas incessánti fletu extinguámus. Per Dóminum.

MENSE MARTIO.

DIE II.

SANCTI SIMPLICII,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont., primo loco,* p. XV.

DIE X.

SS. CAII ET ALEXANDRI,

MARTYRUM.

Missa Intret, *de Communi plurim. Mart.*, p. xj, *præter Orat. seq.*

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui sanctis Martyribus tuis Caio et Alexándro de sæviénte diábolo in passióne sua triumpháre dedísti : tríbue nobis eórum précibus de blandiénte victóriam. Per Dóminum.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera quæ in sanctórum Mártyrum tuórum

Caii et Alexándri solemnitáte deférimus, quorum nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus Dómine, per hæc sacra mystéria, ut Mártyrum beatórum sanguis, pro confessióne tui nóminis effúsus, sicut tua mirabília manifestat, qui pérficis in infirmitáte virtútem, ita nostris stúdiis det proféctum, et fragilitáti præstet auxílium. Per Dóm.

DIE XI.

IN FESTO

SS. QUADRAGINTA MARTYR.

(*E die* 10 *hujus.*)

Missa Clamavérunt justi, *in Missali, die* 10 *Martii*, p. 365.

DIE XV.

SANCTI ZACHARIÆ,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont., primo loco*, p. xv.

DIE XVIII.

SANCTI GABRIELIS,

ARCHANGELI.

Introitus. Psalm. 102.

Benedicite Dóminum omnes Angeli ejus : poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. *Psalm. Ib.* Bénedic ánima mea Dómino : et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui inter céteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti : concéde propítius; ut qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis. Per Dóminum.

Et fit Commem. Feriæ occurr. in Quadrag.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Dan. 9. *f*

In diébus illis : Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel, nunc egréssus sum, ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo : ego autem veni, ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et addacátur justítia sempitérna, et impleátur vísio et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo, et animadvérte : Ab éxitu sermónis ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt : et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus : et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio.

Graduale. Psalm. 102. Benedícite Dóminum omnes Angeli ejus, poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Bénedic ánima mea Dóminum, et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Tractus. Luc. 1. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum. ℣. Benedícta tu in muliéribus : et benedíctus fructus ventris tui. ℣. Ecce concípies et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Emmánuel. ℣. Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. ℣. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei.

¶ *Si hoc Festum celebretur post Pascha, omissis Graduali et Tractu, dicitur :*

Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 103. Qui facit Angelos suos spíritus : et minístros suos flammam ignis. Allelúja. ℣. *Luc.* 1. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Evang. Missus est, *ut in Missis votivis Temp. Adventus*, p. xlv.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Apoc. 8. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua ; et data sunt ei incénsa multa, et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei.

Secreta.

Acceptum fiat in conspéctu tuo, Dómine, nostræ servitútis munus, et beáti Archángeli Gabriélis orátio : ut qui a nobis venerátur in terris, sic apud te pro nobis sit advocátus in cœlis. Per Dóminum.

Communio. Dan. 3. Benedícite omnes Angeli Dómini Dómino : hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio.

Corporis tui et Sánguinis sumptis mystériis, tuam, Dómine Deus noster, deprecámur cleméntiam : ut, sicut Gabriéle nuntiánte, Incarnatiónem tuam cognóvimus ; ita ipso adjuvánte, Incarnatiónis ejúsdem benefícia consequámur. Qui vivis et regnas.

MENSE APRILI.

DIE XIX.

SANCTI LEONIS IX.,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont., primo loco*, p. xv.

MENSE MAIO.

DIE XI.

S. FRANCISCI DE HIERONYMO,

CONFESSORIS.

Missa Os justi, *de Communi Conf. non Pont.*, p. xx, *præter Orat. seq.*

Oratio.

Deus, qui beátum Franciscum ad animárum salútem exímium verbi tui præcónem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut legis tuæ mandáta et júgiter scrutémur in corde, et fidéliter opéribus exequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera, Dómine, quæ de tua bonitáte suscépimus, pro beáti Francísci commemoratióne devóte tibi offérimus : supplíciter deprecántes ; ut bona étiam ópera de tua cleméntia suscipiámus, quibus justítiam tuam placáre possímus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Mensæ tuæ, Dómine, salutáre mystérium, beáto Francísco Confessóre tuo intercedénte, corda nostra puríficet, ut nihil in nobis quod púnias, sed quod coronáre possis invénias. Per Dóminum.

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

MARTYRIS.

Tempore Paschali, Missa Protexísti, *p.* viij, *præter Orationes seq. et Evang.* Nihil est opértum, *de Comm. unius Mart. non Pont.*, p. vij.

Extra Tempus Pasch., Missa Lætábitur, *de eodem Communi, secundo loco*, p. vj, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam martyrii coróna decorásti : da nobis ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre, ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum, in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

Secreta.

Per hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos caritátis igne accendámur, quo ínclytus Martyr Joánnes éadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spiritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis, quæ beáti Mártyris tui Joánnis pro sacraménti honóre tentátam constántiam júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

DIE XXI.

SANCTI UBALDI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*E die* 16 *hujus.*)

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont.*, p. xv, *cum Orat. propria, in Missali*, p. 389.

DIE XXIV.

IN FESTO B. MARIÆ VIRGINIS,

TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa Salve sancta Parens, *ut a Pentec. ad Advent.*, p. xlvij, *præter Orationes. Et dicitur* Credo.

Temp. Pasch., eadem Missa, sed Introitus et Allelúja *dicuntur ut a Pascha ad Pentec.*, p. xlviij.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui ad defensiónem pópuli christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti : concéde propítius ; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per.

Secreta.

Pro religiónis Christiánæ triúmpho hóstias placatiónis tibi, Dómine, immolámus : quæ, ut nobis profíciant, opem Auxiliátrix Virgo præstet, per quam talis perfécta est victória. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria, Et te in Festivitáte, *p.* 204 *vel* 223.

Postcommunio.

Adesto, Dómine, pópulis, qui participatióne Córporis et Sánguinis tui reficiúntur : ut sanctíssima tua Genitríce auxiliánte, ab omni malo et perículo liberéntur, et omni ópere bono custodiántur. Qui vivis.

DIE XXXI.

SANCTÆ ANGELÆ MERICIÆ,

VIRGINIS.

Missa Dilexísti, *de Comm. Virg.*, p. xxvj, *præter Orat. sequentes.*

Oratio.

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum vírginum collégium in Ecclésia tua floré-

scere voluísti : da nobis ejus intercessióne angélicis móribus vívere, ut terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Commem. S. Petronillæ, Virg.

Secreta.

Hostia, Dómine, quam tibi beátæ Angelæ memóriam recoléntes offérimus, et nostræ pravitátis véniam implóret, et grátiæ tuæ nobis dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlesti alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut beátæ Angelæ précibus et exémplo, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus, et mente. Per.

MENSE JUNIO.

DIE XV.

B. GERMANÆ COUSIN, VIRGINIS.

Missa Dilexísti, *de Comm. Virg*, p. xxvj, *præter Orat. seq.*

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam, Vírginem tuam, caritátis et patiéntiæ decóre excéllere disposuísti : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Commem. SS. Viti et Soc., Mart.

Secreta.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus, ut beátæ Germánæ, Vírginis tuæ, suffúlti præsídio, puris méntibus et mundo corde hæc sacra mystéria operémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Divini múneris participatióne reFécti, quæsumus, Dómine Deus noster, ut intercedénte beáta Germána, Vírgine tua, mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, tibi uni adhærére studeámus. Qui tecum vivit et regnat.

DIE XVI.

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS, CONFESSORIS.

Missa Os justi, *de Comm. Conf. non Pont.*, p. xx, *præter Orationem sequentem.*

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Franciscum Confessórem tuum, mirábili caritáte, et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

DIE XVII.

SANCTI RAYMUNDI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont., primo loco*, p. xv.

DIE XXVIII.

SANCTI IRENÆI, EPISC. ET MART.

Introitus. Malach. 2.

Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus : in pace, et in æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte. *Psalm.* 119. Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus : cum loquébar illis, impugnábant me gratis. ℣. Glória Patri.

Et fit Commem. Oct. S. Joannis : Oratio Deus, qui præséntem diem, *p.* 408; *deinde Vigiliæ SS. Apost.*

Petri et Pauli : Oratio Præsta quæsumus, *p.* 411.

Oratio.

Deus, qui beáto Irenæo, Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrinæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret : da, quæsumus, plebi tuæ in sancta Religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *II. Tim.* 3 *et* 4.

Carissime : Pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris : et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia, ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus. Prædica verbum, insta opportúne, importúne : árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple.

Graduale. Psalm. 121. Propter fratres meos, et próximos meos loquébar pacem de te. ℣. *Psalm.* 36. Custódi innocéntiam, et vide æquitátem : quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico. Allelúja, allelúja. ℣. *Eccli.* 6. In multitúdine presbyterórum prudéntium sta; et sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre. Allelúja.

Evang. Ego sum pastor bonus, *de Domin. II. post Pascha*, p. 252.

Offertorium. Eccli. 24. Doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum.

Secreta.

Deus, qui credéntes in te pópulos nullis sinis cóncuti terróribus : dignáre preces, et hóstias dicátæ tibi plebis suscípere, et pax a tua pietáte concéssa, Christianórum fines ab omni hoste fáciat esse secúros. Per Dóminum.

Fit Commem. Oct. S. Joannis, p. 409, *et Vigiliæ SS. Apost.*, p. 412.

Communio. Eccli. 24. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

Postcommunio.

Deus auctor pacis, et amátor, quem nosse vívere, cui servíre regnáre est, prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos : ut qui in defensióne tua confídimus, beáti Irenæi Mártyris tui, atque Pontíficis intercessióne, nullíus hostilitátis arma timeámus. Per Dóminum.

Fit Commem. Oct. S. Joannis, p. 409, *et Vigiliæ SS. Apost.*, p. 412, *cujus dicitur Evangelium in fine Missæ.*

DIE XXIX.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

PRO COMMEMORATIONE

OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster: et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsidiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis.

Secreta.

Gloriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes, quæsumus, ut eámdem, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus omnipotens Deus: ut fidéles tui venerándas assidue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes, et cópiam invéniant perpétuæ devotiónis, et salútis ætérnæ suffrágia majóra conquírant. Per Dóminum.

MENSE JULIO.

DIE III.

SANCTI LEONIS,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

(*E die* 28 *Junii.*)

Ut in Missali, die xxviij *Junii,* p.411, *cum sola Commem. SS. Apost. Petri et Pauli.*

MENSE AUGUSTO.

DIE XI.

SANCTÆ PHILUMENÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Missa Loquébar, *de Communi Virg.*, p. xxiij.

Fit Commem. Oct., et SS. Tiburtii et Soc.

DIE XVI.

SANCTI ROCHI,

CONFESSORIS.

Missa Justus, *de Communi Conf. non Pont.*, p. xxj, *præter Orat. seq.*

Oratio.

Populum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commem. Octavæ Assumptionis, p. 449, *et S. Laurentii,* p. 445.

Credo, *et Præfatio de Octava.*

DIE XVIII.

SANCTI HYACINTHI,

CONFESSORIS.

(*E die* 16 *hujus.*)

Missa Os justi, *de Communi Conf. non Pont.*, p. xx, *cum Commem. Octavæ Assumpt., et S. Agapiti, Mart.*

Dicitur Credo, *propter Oct. Assumpt., et Præfatio B. M. V.*, Et te in Assumptióne, *p.* 204 *vel* 223.

DIE XIX.

SANCTI LUDOVICI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Communi Conf. Pont., secundo loco,* p. xvij, *præter Orat. seq. Et dicitur* Credo.

Oratio.

Deus, qui beáto Ludovico Pontífici in brevi consummáto, témpora multa explére tribuísti, concéde nobis grátiæ tuæ auxílio sic in hujus vitæ stádio cúrrere, ut, tempus rediméntes, felicitátis ætérnæ bravíum accipiámus. Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ Assumpt., p. 449.

Secreta.

SACRIFICIA, Dómine, quæ in honórem sancti Ludovíci Pontíficis tuæ offérimus majestáti, nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Postcommunio.

QUOS Angelórum pane refícere dignátus es, Dómine, fac Angélicam vitam dúcere, et exémplo sancti Pontíficis Ludovíci sic tibi adhærére in terris, ut cum ipso cœléstium gaudiórum partícipes éffici mereámur. Per eúmdem.

DIE XXVI.

SANCTI LICERII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Communi Conf. Pont., secundo loco,* p. xvij, *præter Orat. seq.*

Oratio.

SANCTI Confessóris tui atque Pontíficis Licérii solémnia celebrántes, te súpplices, Dómine, exorámus, ut ipsum apud tuam cleméntiam nobis sentiámus esse patrónum, quem nobis tua grátia providísti salútis ætérnæ minístrum. Per.

Secreta.

SUSCIPE, quæsumus Dómine, quas tibi preces et hóstias offérimus; et concéde ut, sancti Licérii Pontíficis intercessióne, a præséntis vitæ perículis liberémur, et dónis firmémur perpétuis. Per Dóminum.

Postcommunio.

BEATI Licérii, Dómine, suffrágiis exorátus, percépta nos sacraménti tui virtúte defénde. Per.

MENSE SEPTEMBRI.

DIE II.

SANCTORUM ANTONINI,

ECCL. CATHEDR. ET TOTIUS DIOECESIS PATRONI, ET SOCIORUM EJUS

JOANNIS ET ALMACHII,

MARTYRUM.

Introitus. Psalm. 95.

ANNUNTIATE inter gentes, quóniam omnes dii géntium dæmónia; Dóminus autem cœlos fecit. *Psalm. Ib.* Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio,

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui per gloriósæ passiónis certámina, ad immortáles triúmphos Mártyres tuos Antonínum Sociósque ejus extulísti; da Ecclésiæ tuæ dignam pro tanta solemnitáte lætitiam, ut quorum patrocínia pio amóre ampléctitur, horum et accendátur exémplis, et intercessiónibus adjuvétur. Per Dóminum.

Lectio Isaíæ Prophétæ. *Cap.* 66.

HÆC dicit Dóminus : Vénio ut cóngregem cum ómnibus géntibus et linguis, et vénient, et vidébunt glóriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salváti fúerint, ad gentes in mare, in Africam et Lydiam, tendéntes sagittam, in Itáliam et Græciam, ad ínsulas longe, ad eos qui non audiérunt de me, et non vidérunt glóriam meam. Et annuntiábunt glóriam meam géntibus, et addúcent omnes fratres vestros de cunctis géntibus donum Dómino in equis, et in quádrigis, et in lécticis, et in mulis, et in cárrucis, ad montem sanctum meum Jerúsalem, di-

cit Dóminus, quómodo si ínferant filii Israel munus in vase mundo in domum Dómini. Et assúmam ex eis in Sacerdótes et Levítas, dicit Dóminus. Quia sicut cœli novi et terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus, sic stabit semen vestrum et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sábbatum ex sábbato : véniet omnis caro ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus.

Graduale. Isaiæ 60. Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Isti hómines servi Dei excélsi sunt, qui annúntiant vobis viam salútis. Allelúja, allelúja. ℣. *Hebr.* 2. Salus in nos confirmáta est, contestánte Deo signis, et porténtis, et váriis virtútibus. Allelúja.

SEQUENTIA.

Lætis concéntibus
Gentis Apóstolos,
Sonis concórdibus
Illústres æmulos
Ad astra tóllite.

Horum labóribus
Affúlsit véritas,
Et ab erróribus
Purgáta Cívitas :
Certátim psállite.

Falsis numínibus
Cæci dum sérviunt,
Horum sermónibus
Nubes diffúgiunt ;
Jam Christus cólitur.

Clari miráculis
Verbóque férvidi,
Dum se perículis
Tradunt impávidi,
Fides suscípitur.

Jam adest sæviens
Mundi ferócitas,
Sed virtus pátiens,
Invícta véritas
Ambit supplícia.

Tela minántia
Dum spernunt álacres,
Suos ad fórtia
Obfírmans Mártyres,
Fit præsens grátia.

In vinclis líbera
Mens non dejícitur :
Heróum æmula
Virtus dum pátitur,
Se lubens ímmolat.

Fremens crudélitas
Delúsa fállitur ;
Victrix nam cáritas,
Dum ferro tóllitur,
Ad cœlos évolat.

Vos, quorum sánguine
Tellus hæc rúbuit,
Quo tamquam sémine
Fides efflóruit,
Athletæ nóbiles :

Ferte supplícibus
Nobis subsídium ;
Estóte précibus
Gentis præsídium,
O Christi púgiles !

Amen. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. *Marc.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit : qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent ; et si mortíferum quid bíberint non eis nocébit ; super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Dicitur Credo.

Offertorium. II. Mach. 1. Dómine Deus, qui fecisti patres eléctos, et sanctificásti eos, áccipe sacrifícia pro univérso pópulo tuo Israel, et custódi partem tuam, et sanctífica.

Secreta.

Gloriam tibi, Dómine, et lætítiam nobis salutáris tui reddat sacrifícium solémne, quod tibi hac sacra die offérimus, gaudéntes, et congratulántes sanctis Martyribus tuis quibus gáudium fuit immolári supra sacrifícium et obséquium fídei nostræ. Per Dóminum.

Communio. II. Cor. 9. Grátias Deo super inenarrábili dono ejus, allelúja.

Postcommunio.

Deus, qui beáti Antoníni ac sociórum ejus Joánnis et Almáchii ministério, eam nobis grátiam contulisti, ut ex infidélibus fidéles efficerémur; adésto opéribus tuis, adésto munéribus; ut quibus inest fídei infúsio, non desit grátiæ fortitúdo. Per Dóminum.

¶ *Infra Octavam SS. Antonini et Soc. ejus dicitur hæc eadem Missa; sed post Orat. diei, dicitur secunda Orat. de S. Maria,* Concéde, *p.* 250, *et tertia pro Ecclesia vel pro Papa,* p. 251.

DIE III.

SANCTI STEPHANI,

HUNGARIÆ REGIS, CONFESSORIS.

(*Dies fixa ex heri.*)

Ut in Missali, p. 461. — *Commem. Octavæ SS. Antonini et Soc.*

DIE V.

S. LAURENTII JUSTINIANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont., primo loco,* p. xv. *Commem. Octavæ SS. Antonini et Soc.*

DIE IX.

OCTAVA

SS. ANTONINI ET SOC. EJUS,

MARTYRUM

Missa ut in die Festi.

DIE XXII.

SS. MAURITII ET SOC. EJUS,

MARTYRUM.

Missa Sapiéntiam, *de Communi plurim. Mart., secundo loco,* p. xiij.

DIE XXV.

S. THOMÆ DE VILLANOVA,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*E die 22 hujus.*)

Missa Státuit, *de Communi Conf. Pont., primo loco,* p. xv, *cum Oratione propria,* p. 471.

DIE XXVI.

SANCTI YSARNI,

ABBATIS ET CONFESSORIS.

Missa Os justi, *de Communi pro Abbatibus,* p. xxij, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Familiam tuam, Deus, in tua misericórdia sperántem, cœlésti prótege benígnus auxílio; ut quæ de beáti Ysárni Abbátis virtútibus gloriátur, ejus méritis et intercessióne, perpétua pace et unitáte lætétur. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, quas tibi preces et hóstias offérimus: et concéde, ut sancti Ysárni Abbátis imitatióne, desidéria carnis spíritu mortificántes, tibi soli vivámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctifica, Dómine, per hæc mystéria tuórum corda fidélium, intercedénte beáto Ysárno Abbáte : ut a terréna cupiditáte mundáti, et præséntis vitæ perículis liberéntur, et donis firméntur perpétuis. Per.

MENSE OCTOBRI.

DIE XVII.

SANCTI GAUDERICI, CONFESSORIS.

Missa Justus ut palma, *de Communi Conf. non Pont.*, *secundo loco*, p. xxj.

DIE XXII.

SANCTÆ HEDWIGIS, VIDUÆ.

(*E die* 17 *hujus.*)

Missa Cognóvi, *de Communi nec Virg. nec Mart.*, p. xxxj, *cum Oratione propria*, p. 482.

DIE XXIII.

IN FESTO SS. REDEMPTORIS.

Introitus. Isaiæ 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo : quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiæ circúmdedit me. *Psalm.* 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in generatiónem, et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum devícta morte, nos misericórditer ad vitam reparásti : concéde; ut hæc benefícia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhærére, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Ephes.* 1.

Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli, in cœléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia : ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

Graduale. Psalm. 85. Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum. ℣. Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília : tu es Deus solus. Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 73. Deus autem Rex noster ante sæcula, operátus est salútem in médio terræ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joan.* 3. *b*

In illo témpore : Dixit Jesus Nicodémo : Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis : ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam

ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum : sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur : qui autem non credit, jam judicátus est : quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei. Credo.

Offertorium. Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus : de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos : et ero illórum Deus in perpétuum. Allelúja.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, oblátum redemptiónis ætérnæ mystérium, et præsta; ut unigéniti Fílii tui gloriósis méritis intercedéntibus, vivíficet nos semper, et múniat. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce, p. 197 *vel* 220.

Communio. Psalm. 106. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum, allelúja.

Postcommunio.

Corporis tui sacri, ac pretiósi Sánguinis, quo redémpti sumus, Dómine Jesu Christe, partícipes effécti : quæsumus; ut in nobis tua múnera tueáris, atque a præséntis vitæ malis erépto, ad bona perdúcas sempitérna. Qui vivis.

DIE XXIV.

SANCTI RAPHAELIS,

ARCHANGELI.

Introitus. Psalm. 102.

Benedicite Dóminum omnes Angeli ejus : poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. *Psalm. Ib.* Bénedic ánima mea Dómino : et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória.

Oratio.

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via : concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio libri Tobíæ. *Tob.* 12. *b*

In diébus illis : Dixit Angelus Ráphael ad Tobíam : Etenim sacraméntum regis abscóndere bonum est : ópera autem Dei reveláre, et confitéri honorificum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere : quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam, et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrymis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et quia accéptus eras Deo, necésse fuit, ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus, ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphael Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum.

Graduale. Tob. 8. Angelus Dómini Ráphael apprehéndit, et ligávit dæmonem. ℣. *Psalm.* 146. Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus. Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 137. In conspéctu Angelórum psallam tibi : adorábo ad

templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine. Allelúja.

In Missis votivis, post Septuag., omissis Allelúja, *et* ℣. *seq., dicitur Tractus. Psalm.* 148. Laudáte Dóminum omnes Angeli ejus: laudáte eum omnes virtútes ejus. ℣. *Psalm.* 102. Benedícite Dóminum omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

In Votivis Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 102. Bénedic ánima mea Dóminum, et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus. Allelúja. ℣. *Tob.* 5. Missus est Angelus Dómini sanctus Ráphael a Deo ad Tobíam, et salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joan.* 5.

In illo témpore: Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis probática piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, expectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam: et movebátur aqua, et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte. Credo.

Offertorium. Apoc. 8. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua: et data sunt ei incénsa multa, et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, laudis offérimus, suppliciter deprecántes: ut eásdem, Angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram provenire concédas. Per Dóminum.

Communio. Dan. 3. Benedícite omnes Angeli Dómini Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio.

Dirigere dignáre, Dómine Deus, in adjutórium nostrum sanctum Raphaélem Archángelum: et quem tuæ Majestáti semper assístere crédimus, tibi nostras exíguas preces benedicéndas assígnet. Per Dóminum nostrum.

MENSE NOVEMBRI.

DIE XII.

SANCTÆ NATALENÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Missa Loquébar, *de Communi Virg. et Mart., primo loco.* p. xxiij, *præter Orat. seq.*

Oratio.

Tribue, quæsumus Dómine, précibus nostris cum exultatióne provéntum; ut beátæ Natalénæ Vírginis et Mártyris tuæ, cujus passiónem recólimus, constántiam imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera nostra, Dómine, benígnus intúere; et concéde, ut beátæ Vírginis et Mártyris tuæ Natalénæ constántiam imitándo, post hujus vitæ calamitátes, sempitérna in te beatitúdine perfruámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Fac, quæsumus omnípotens Deus, intercedénte beáta Nataléna Vírgine et Mártyre tua, ut pane cœ-

lésti confortáti, in tuæ fídei confessióne perseverémus. Per Dóminum.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ, CONFESSORIS.

Introitus. Sap. 4.

CONSUMMATUS in brevi, explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. *Psalm.* 112. Laudáte púeri Dóminum : laudáte nomen Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui inter cétera sapiéntiæ tuæ mirácula étiam in ténera ætáte matúræ sanctitátis grátiam contulísti : da quæsumus; ut beáti Stanislái exémplo, tempus instánter operándo rediméntes, in ætérnam íngredi réquiem festinémus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Sap.* 4. *b*

JUSTUS, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta : cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi, explévit témpora multa : plácita enim erat Deo ánima illíus : propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Pópuli autem vidéntes, et non intelligéntes, nec ponéntes in præcórdiis tália : quóniam grátia Dei, et misericórdia est in sanctos ejus, et respéctus in eléctos illíus. Condémnat autem justus mórtuus vivos ímpios, et juvéntus célerius consummáta longam vitam injústi.

Graduale. Psalm. 20. Desidérium cordis ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. Allelúja, allelúja. ℣. *Psalm.* 118. Inítio cognóvi de testimóniis tuis : quia in ætérnum fundásti ea. Allelúja.

Evang. Obláti sunt Jesu párvuli, *ut in Festo S. Hieronymi Æmiliani*, p. 427.

Offertorium. Psalm. 42. Introíbo ad altáre Dei : ad Deum, qui lætíficat juventútem meam.

Secreta.

ANGELORUM pane, quæsumus Dómine, beáti Stanisláí nos intercéssio dignos effíciat, qui eo méruit angélica manu recreári. Per Dóminum.

Communio. Eccli. 15. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

Postcommunio.

UT nobis, Dómine, cœléstis, quem súmpsimus, panis sit vitæ, beáto Stanisláo Confessóre tuo intercedénte, quæsumus : ut panis sit intelléctus, et potus aqua sapiéntiæ salutáris. Per Dóminum.

DIE XIV.

SANCTI MARTINI,

PAPÆ ET MARTYRIS.

(*E die* 12 *hujus mensis.*)

Missa Sacerdótes Dei, ***de Communi Mart.***, p. iv, ***cum Epistola et Evangelio in Missali***, p. 494.

DIE XVI.

SANCTI DIDACI,

CONFESSORIS.

(*E die* 13 *hujus mensis.*)

Missa Justus ut palma, ***de Communi Conf. non Pont.***, p. xxj, ***cum Oratione propria, in Missali***, p. 494.

MISSÆ VOTIVÆ DE OFFICIO PER ANNUM.

MISSA VOTIVA

DE SS. SACRAMENTO.

Singulis Feriis V. non impeditis Festo IX. ***Lectionum etiam translato, extra tamen Advent., Quadrages., Quat. Temp., quascumque Octavas, Vigilias, ac etiam hanc Feriam in qua juxta Rubricas Offic. Domin. quandoque erit apponendum, dicitur***

Missa Cibávit eos, ***inter votivas in Missali***, p. xlj.

Secunda et tertia Oratio ut in Semiduplicibus.

MISSA VOTIVA

DE IMMAC. CONCEPTIONE

B. M. V.

Singulis Sabbatis ut supra non impeditis, dicitur

Missa Veníte, ***ut in Festo Immac. Concept. B. M. V.***, p. 15*.

Secunda et tertia Oratio ut in Semiduplicibus.

ORATIONES VOTIVÆ.

PRO ORDINANDIS.

Oratio.

Ecclesiæ tuæ, Deus, sanctificátor et custos, súscita in ea per Spíritum tuum, idóneos et fidéles mysteriórum Christi dispensatóres; ut eórum ministério et exémplo christiána plebs in viam salútis, te protegénte, dirigátur. Per eúmdem Dóminum....in unitáte ejúsdem.

Secreta

Deus, qui ministrántibus et jejunántibus discípulis, segregári jussísti Saulum et Bárnabam in opus ad quod assúmpseras eos; adésto nunc Ecclésiæ tuæ jejunánti et oránti : et tu, qui ómnium corda nosti, osténde quos elégeris in ministérium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Bone Pastor Dómine Jesu Christe, qui ánimam tuam posuísti pro óvibus tuis, et eásdem carnis et sánguinis tui aliménto vivíficas; reple eódem caritátis spíritu, quos ad gregis tui custódiam destinásti : ut libentíssime pro salúte óvium tuárum, et impéndant sua, et seípsos superimpéndant. Qui vivis.

PRO FRUCTIBUS TERRÆ.

Oratio.

EFFUNDE, quæsumus Dómine Deus noster, benedictiónem tuam super pópulum tuum; ut, et dante te benignitátem, terra nostra det fructus suos, et his colléctis ad laudem et honórem sancti tui nóminis utámur. Per Dóminum.

Secreta.

VOTA pópuli tui, Dómine, propítius réspice : ut per hæc dona quæ tibi de frúctibus terræ offérimus, frúctuum nobis ubertátem salúbriter largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio.

LARGIRE fidélibus tuis, quæsumus omnípotens Deus, per hæc sacraménta quæ súmpsimus, cóngruam terræ frúctuum ubertátem; quibus temporáliter enutríti, ad ætérna bona capesénda spirituálibus increméntis profíciant. Per Dóminum.

IMPERII GALLIARUM.

QUOD Apostolus in prima ad Timotheum Epistola non hortatur solum, sed obsecrat, ut orationes, postulationes, gratiarum actiones fiant pro Regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ad quietam et tranquillam vitam in omni pietate et castitate agendam; id Summus Pontifex Clemens XIII. religiose adeo fideliterque retinuisse Ecclesiam Catholicam docet, ut omnipotenti Deo, per quem Reges regnant, et legum conditores justa decernunt, sublimiores Potestates ipse non commendaverit modo, verum etiam propria quarumdam nomina infra Missæ actionem sacris in diptychis recitari permiserit, earumque regionum consuetudines numquam improbaverit, in quibus id more antiquissimo receptum fuisse constaret, dummodo de Regibus ageretur qui spiritum unitatis in vinculo pacis cum Ecclesia Romana servarent. (*Clemens XIII. in Brevi* 5 *Maii* 1761, *ad Imperatricem Mariam Theresiam, et in Litteris Encyclicis diei* 6 *ejusdem mensis ad omnes Austriacæ ditionis Episcopos.*)

Cum itaque Galliarum Imperator *Napoléon III*, per suum in Urbe Legatum huic Sanctæ Apostolicæ Sedi exponi nuper fecerit, consuetudinem hanc nominandi Supremum Imperantem in Missæ Canone a vetustissimo tempore, cujus originis memoria non est, in Galliis obtinuisse, moremque præterea antiquitus introductum ibidem vigere pro eodem Supremo Imperante singulares preces addendi, tum in Missis solemnioribus per annum, necnon in Missa Præsanctificatorum, Feria VI. in Parasceve, tum in Præconio Paschali, die Sabbati Sancti, atque in Litaniis Sanctorum, cupiensque pios hujusmodi usus in toto Galliarum Imperio custodiri, et Apostolica accedente auctoritate omnimodam firmitatem accipere, cum supplicia hac de re vota sua per eumdem Legatum Sanctissimo Domino nostro *Pio Papæ IX.* fecerit exhiberi, Sanctitas Sua, post maturam deliberationem, Romanorum Pontificum decessorum suo-

rum vestigia premens, qui supremos magnarum nationum Principes, Romanæ divi Petri Cathedræ communionis vinculo sociatos, similibus identidem non dubitarunt cohonestare privilegiis, istiusmodi votis benigne censuit annuendum, præfatosque usus, quibuscumque contrariis minime obstantibus, ratos habuit, et confirmavit, atque in omnibus et singulis diœcesibus intra fines Gallici Imperii constitutis servari præcepit.

Memor autem, quæ in Ecclesia fiunt, omnia ex Apostoli præcepto (*I. Corinth. cap.* XIV., 40) honeste et secundum ordinem fieri oportere, prænotatas pro Supremo Principe preces ita in omnibus Galliarum Ecclesiis recitari voluit, ut una eademque sit ubivis usurpanda methodus, servatis ad unguem præscriptionibus quæ sequuntur :

I. — In Missæ Canone nomen Imperatoris adjiciatur, hac adhibita formula :

Et pro Imperatóre nostro *N.*

Quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi diœcesani.

II. — In Missis solemnibus per annum, expleta Antiphona quæ dicitur *Communio,* semel cantabitur versiculus :

Dómine, salvum fac Imperatórem nostrum, et exáudi nos in die qua invocavérimus te.

Recitatis deinde Orationibus Postcommunionis, illarum postremæ addetur sub unica conclusione sequens Collecta :

QUÆSUMUS, omnipotens Deus, ut fámulus tuus Imperátor noster *N.*, qui tua miseratióne suscépit Regni gubernácula, virtútum étiam ómnium suscípiat increménta, quibus decénter ornátus vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum.

III. — In Missa Præsanctificatorum, Feria VI. in Parasceve, inter Orationem pro cunctis Ecclesiæ ordinibus, et aliam pro Catechumenis, hæc pro Imperatore dicatur :


OREMUS et pro gloriosissimo Imperatóre nostro *N.* ut Deus, et Dóminus noster det illi sédium suárum assistrícem sapiéntiam, qua pópulum sibi commíssum gubérnet in omni justítia et sanctitáte ad dívinam glóriam, et nostram perpétuam pacem.


Orémus. Flectámus génua.

℟. Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris, réspice ad Francórum benígnus Impérium, ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis, et regni tranquillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum.

IV. — Præconium Paschale, Sabbato Sancto, hac ratione concludatur :





V. — In Litaniis Sanctorum, cum deventum fuerit ad Preces, inter Versiculum *Ut inimicos Sanctæ Ecclesiæ humiliare*, etc., et alium *Ut Regibus et Principibus*, etc., addatur

℣. Ut Imperatórem nostrum custodíre dignéris. ℟. Te rogámus, audi nos.

Item post Psalmum *Deus, in adjutorium*, etc., dicto Versiculo *Oremus pro Pontifice nostro N.*, ℟. *Dominus conservet eum*, etc., illico subjungatur :

℣. Orémus pro Imperatóre nostro *N.*

℟. Dómine, salvum fac Imperatórem, et exáudi nos in die qua invocavérimus te.

Denique absolutis Precibus, immediate post Orationem pro Papa adjiciatur superius notata Collecta : *Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus Imperator noster N.*, etc.

Has itaque Preces, quas juxta formam modo descriptam approbare Sanctitas Sua dignata est, ita et non aliter in toto Galliarum Imperio recitandas esse decrevit.

Inhærens autem Constitutionibus Apostolicis prohibentibus ne in corpore Missalis et Breviarii Romani ullo pacto adjiciantur quæ, ex singulari privilegio, alicui tantum diœcesi, provinciæ vel regno pertinent, ut id quoad superius indultas Preces stricte ab omnibus servetur in Gallia, jussit Preces ipsas, una cum præsenti Decreto, nonnisi in appendice Missalis et Breviarii Romani ad usum diversorum locorum destinata, vel in supplemento Missarum atque Officiorum uniuscujusque diœcesis proprio, apponi debere.

Quo vero expositæ hucusque Pontificiæ suæ voluntatis ordinationes ad notitiam Episcoporum Gallici Imperii perveniant, et illorum quilibet in commissa sibi diœcesi, juxta debitum pastorális officii, plenam earumdem ordinationum observantiam urgere possit, idem Sanctissimus Dominus noster præsens voluit a Sacra Rituum Congregatione edi Decretum, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 10 Septembris 1857.

C. Episc. Albanen. Card. PATRIZI,

(L. † S.) *S. R. C. Præfectus.*

H. Capalti, *S. R. C. Secr.*

Promulgato in Galliis Decreto, hoc vertente anno die 10 Septembris a Sacra Rituum Congregatione edito, qui precum publicarum pro Imperatore recitandarum methodus et forma præscribitur, hæsitantes nonnulli Episcopi circa verum decreti ipsius sensum in articulo secundo, hæc proposuerunt dubia :

1° An in Versiculo *Domine salvum fac*, etc., quem prædictus articulus secundus recitari jubet in Missis solemnibus expleta Communionis Antiphona, adjici debeat nomen proprium Imperatoris post verba *Imperatorem nostrum*, prout hucusque fieri consuevit?

2° Quomodo intelligenda sit præscriptio dicti articuli secundi qua parte statuit Versiculum *Domine, salvum fac*, etc., cantandum esse SEMEL? Num ita, ut tantummodo a Celebrante seu Clero cantari debeat? An potius ita, ut semel quidem cantari debeat, sed juxta receptum morem, alternatim et a Celebrante seu Clero et a populo?

His porro dubiis ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna declaratione delatis, eadem Sacra Congregatio respondendum censuit :

Ad primum. Affirmative.

Ad secundum. Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam.

Hanc vero Sacræ Congregationis declarationem, referente subscripto Secretario, Sanctissimus Dominus Noster *Pius Papa IX.* ratam habuit, et confirmavit, eamdemque veluti partem præcitati Decreti diei 10 Septembris 1857 ab omnibus ad quos spectat, servari præcepit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 17 Decembris 1857.

C. Episc. Albanen. Card. PATRIZI,
S. R. C. Præfectus.

Locus † sigilli.

H. Capalti, *S. R. C. Secr.*

INDEX MISSARUM

QUÆ

DIŒCESI APPAMIENSI SUNT PROPRIÆ

VEL ALIQUID PROPRIUM HABENT.

PRÆVIA.

FESTA MOBILIA.

FESTA FIXA CERTIS DIEBUS MENSIS

NOVEMBER.

DECEMBER.

JANUARIUS.

FEBRUARIUS.

MARTIUS.

APRILIS.

MAIUS.

JUNIUS.

JULIUS.

AUGUSTUS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

MISSÆ VOTIVÆ.

ORATIONES VOTIVÆ.

ADJUNCTUM.

INDEX GENERALIS

AD USUM

TUM MISSALIS ROMANI TUM SUPPLEMENTI APPAMIENSIS.

INDICULUS RERUM QUÆ AD MISSALE PERTINENT.

TABULA PROPRII DE TEMPORE.

TABULA FESTORUM

TAM DE PRÆCEPTO QUAM EX INDULTO APOSTOLICO.

FESTA DOMINI.

FESTA B. MARIÆ.

FESTA SANCTORUM.

TABULA PRO COMMUNI SANCTORUM.

MISSÆ.

VARIÆ MISSÆ VOTIVÆ.

MISSÆ VOTIVÆ DE S. MARIA.

ALIÆ MISSÆ VOTIVÆ.

ORATIONES DIVERSÆ

Dicendæ in Missa ad libitum Sacerdotis, cum iis quæ in propriis Missis assignantur, quando non est Festum Duplex.

LUDOVICUS-THEOPHILUS PALLU DU PARC,

PROVIDENTIA DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE,

EPISCOPUS BLESENSIS,

Omnibus præsentes visuris salutem in Domino.

Cum Missali Romano additum fuerit Proprium, a Sacra Rituum Congregatione approbatum, pro Diœcesi Blesensi, hujus Proprii impressionem commisimus dilectis Nobis AD. LE CLERE et Sociis, typographis; cumque Nobis constet per revisores idoneos a Nobis ad id deputatos, dictum Proprium jam excusum, cum suo originali, diligenti collatione facta, concordare, illud approbavimus illiusque evulgandi licentiam dedimus, prout per præsentes, approbamus ac licentiam damus.

In quorum fidem, hasce subsignavimus, sigilloque nostro ac Secretarii nostri chirographo muniri fecimus.

Blesis, die 12 Octobris 1852.

Loco † sigilli. † L. TH. Episc. Blesensis.

De Mandato Ill. ac RR. DD. Episcopi Blesensis,

A. VENOT, Can. hon. Secr.

MISSÆ PROPRIÆ
DIŒCESIS BLESENSIS.

FESTA MOBILIA.

FERIA III POST DOM. SEPTUAGESIMÆ.
ORATIONIS
D. N. J. C. IN MONTE OLIVETI.
Missa Cor meum, *p*. xcvij.

FERIA III POST DOM. SEXAGESIMÆ.
COMMEMORATIONIS
PASSIONIS D. N. J. C.
Missa Humiliávit, *p*. xcviij.

FERIA SEXTA POST CINERES.
SS. SPINEÆ CORONÆ
D. N. J. C.
Missa Egredimini, *p*. xcviij.

FERIA VI POST DOM. I QUADRAGESIMÆ.
LANCEÆ ET CLAVORUM
D. N. J. C.
Missa Fodérunt, *p*. xcix.

FERIA VI POST DOM. II QUADRAGESIMÆ.
SACRÆ SINDONIS D. N. J. C.
Missa Humiliávit, *p*. c.

FERIA VI POST DOM. III QUADRAGESIMÆ.
SS. QUINQUE VULNERUM
D. N. J. C.
Missa Humiliávit, *p*. cj.

FERIA VI POST DOM. IV QUADRAGESIMÆ.
PRETIOSISSIMI SANGUINIS
D. N. J. C.
Missa Redemísti, *p*. cij.

DOMINICA III POST PASCHA.
PATROCINIUM S. JOSEPH,
SPONSI B. M. VIRGINIS.
Missa Adjútor, *p*. 372.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.
IN FESTO
SS. CORDIS JESU.
Introitus. *Cant*. 3.

EGREDIMINI, et vidéte, filiæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus et in die lætitiæ cordis ejus. *Psalm*. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

FAC nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári : ut et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes. Qui vivis.

Fit Comm. Dominicæ occurr.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. *Cap*. 3.

FRATRES : Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in Géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei

grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris : in charitáte radicáti, et fundáti, ut possitis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo et sublimitas, et profúndum : scire étiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi : ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale. Matth. 21. Dícite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuétus. ℣. *Is.* 42. Non erit tristis, neque turbuléntus : non clamábit, nec audiétur vox ejus foris.

Allelúia, allelúia. ℣. *Matth.* 11. Díscite a me quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Cap.* 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos : quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis, sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis : et fructus vester máneat : ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis. Credo.

Offert. I Paralip. 29. Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa : et pópulum tuum vidi cum ingénti gáudio tibi offérre donária. Deus Israel, custódi hanc voluntátem cordis eórum, allelúia.

Secreta.

Illo nos igne, quæsumus Dómine, Spíritus sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus a penetrálibus Cordis sui misit in terram et vóluit veheménter accéndi. Qui tecum vivit.

Præfatio de Nativitate Domini. Et sic dicitur etiam in Missis votivis a Dominica Sanctissimæ Trinitatis usque ad Septuagesimam. A Septuagesima vero usque ad Pentecosten, Præfatio de Cruce.

Communio. Psalm. 33. Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus : in ætérnum misericórdia ejus, allelúia.

Postcommunio.

Præbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem ; quo dulcíssimi cordis tui suavitáte percepta, discámus terréna despícere et amáre cœléstia. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Ultimum Evang. Dominicæ.

In Missis votivis per Annum.

Post Septuagesimam, Graduale. Psalm. **68. Impropérium expectávit cor meum, et misériam : et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit : et qui consolarétur et non invéni.**

Tractus. ℣. *Ps.* 21. Ego autem sum vermis, et non homo : oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis. ℣. Omnes vidéntes me, derisérunt me : locúti sunt lábiis, et movérunt caput. ℣. Sicut aqua effúsus sum, et dispérsa sunt ómnia ossa mea : factum est cor meum tamquam cera liquéscens, in médio ventris mei.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. *Ps.* 29. Dómine Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me : eduxísti ab inférno ánimam meam. Allelúia. ℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi : conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. Allelúia.

DOMINICA I MENSIS JULII.

IN FESTO

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa Redemísti, *p.* 413, *cum Commem. Dominicæ et ejus Evangelio in fine.*

DOMINICA II OCTOBRIS.

IN FESTO

MATERNITATIS B. M. V.

Missa Salve, sancta parens, *p.* clxxij.

DOMINICA III OCTOBRIS.

IN FESTO

PURITATIS B. M. V.

Missa Salve, sancta parens, *p.* clxxiij.

DOMINICA IV OCTOBRIS.

IN FESTO

PATROCINII B. M. V.

Missa Salve, sancta parens, *ut a Pentec. ad Adv., p.* xlviij, *cum Comm. Dominicæ et ejus Evang. in fine.*

Dicitur Credo, *et Præfatio de B. M. V.* Et te in Festivitáte.

DOMINICA POST OCT. OMNIUM SS.

IN ANNIVERSARIO

DEDIC. OMNIUM ECCLESIARUM IN GALLIA.

Missa Terribilis, *p.* xxxij, *cum Commem. Dominicæ et ejus Evangelio in fine.*

¶ *Infra Octavam, et in die Octava, dicitur Missa ut in die Festi; sed infra Octavam secunda Oratio dicitur de B. M., tertia* Ecclésiæ, *vel pro Papa,* p. j.

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SS. RELIQUIARUM.

Missa Multæ tribulatiónes justórum, *p.* clxxxvj, *cum Commem. Dominicæ et ejus Evangelio in fine. Dicitur* Credo, *ob Dominicam.*

PROPRIUM SANCTORUM.

DIE XXVII NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. EUSITII, ABBATIS.

(*Si hoc Festum venerit in Dominica I Adventus, transfertur.*)

Missa Os justi, *pro Abbatibus, p.* xxij.

Oratio.

Deus, cujus múnere, beátus Abbas Eusítius Christum páuperem sequi, et húmilem corde usque ad finem perseverávit imitári : da cunctis sémitam mandatórum tuórum ingréssis, ut sine offensióne curréntes, vitam ætérnam apprehéndant. Per eúmdem Dóminum nostrum.

In Adventu fit Commem. Feriæ.

DIE XXIX NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. SATURNINI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

(*Si hoc Festum venerit in Dominica I Adventus, transfertur, et in Sabbato præcedenti, dicitur Missa de Vigilia S. Andreæ, ut in Missali, sine Comm. S. Saturnini. Secunda Oratio erit de B. Maria,* Concéde nos, *p.* j, *tertia,* Ecclésiæ, *vel pro Papa, ibidem.*

Missa Státuit, *de Communi unius Martyris Pontificis,* p. iij.

Oratio.

Deus, qui per beátum Saturnínum Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti : da nobis, ejus méritis et intercessióne, ut in fide stábiles, ac in spe Evangélii, quod prædicávit, immóbiles perseveráre mereámur. Per Dóminum.

In Adventu, secunda Oratio erit de Feria, tertia de Vigilia S. Andreæ, quarta de altero S. Saturnino, Martyre, Deus, *p.* 327.

Extra Adventum, secunda Oratio de Vigilia S. Andreæ, tertia de altero S. Saturnino Martyre.

Ultimum Evangelium de Vigilia S. Andreæ, p. 328.

DIE I DECEMBRIS.

IN FESTO S. ELIGII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Confessoris Pontificis,* p. xv.

In Adventu, fit Commem. Feriæ, tertia Oratio de B. Maria.

Extra Adventum, secunda Oratio, A cunctis, *tertia ad libitum.*

DIE VIII DECEMBRIS.

IN FESTO

IMMAC. CONCEPTIONIS

B. M. V.

Missa Veníte, *p.* cv, *quæ dicitur et per Octavam.*

DIE X DECEMBRIS.

IN FESTO

TRANSLATIONIS

ALMÆ DOMUS LAURETANÆ B. M. V.

Missa Terribílis, *p.* cvj. *Non fit Commem. Octav. Immac. Concept. B. M. V.*

DIE XVIII DECEMBRIS.

IN FESTO

EXPECTATIONIS PARTUS

B. M. V.

Missa Roráte, *p.* cix.

DIE XXVI DECEMBRIS.

¶ *In Festo S. Stephani Protom., ante Comm. Nativitatis, fit Comm. omn. SS. Martyrum; Oratio,* Deus qui glorificáris, *ad calcem,* p. 16.

DIE III JANUARII.

¶ *In die Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ, post Commem. Octavæ SS. Innocentium, fit Commemoratio S. Genovefæ, Virginis; Oratio* Exáudi nos, *ut in Communi,* p. xxvij.

DIE XIV JANUARII.

¶ *In Festo S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris, omittitur tertia Oratio, et dicitur* Credo.

DIE XVII JANUARII.

¶ *In Festo S. Antonii Abbatis, fit Commem. S. Sulpitii, Episcopi*

et Confessoris; Oratio Da quæsumus, *de Communi Confessoris Pontificis,* p. xv.

DIE XIX JANUARII.

IN FESTO S. LAUNOMARI,

ABBATIS.

Missa Os justi, *pro Abbatibus,* p. xxij.

Oratio.

DEUS, qui beáto Abbáti Launomáro parátam réquiem dedísti, quod in virtúte signórum nihil sibi tribúerit, sed te solum semper auctórem grátiæ prædicáverit: præsta nobis, ejus intercessióne et exémplo, non nobis placére, sed in te solo gloriári. Per Dóminum.

Commem. de S. Canuto, Martyre, Oratio propria Deus, qui ad illustrándam, *p.* 345, *et postea de SS. Mario et Sociis Martyribus, Oratio* Exáudi, *in Proprio,* p. 346.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM.

(IN CATHEDRALI,)

TRANSLATIO S. SOLEMNII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Ps. 88.

EXALTAVI eléctum de plebe mea: óleo sancto meo unxi eum; manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. *Psalm. id.* Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui sacra beáti Solémnii Confessóris tui atque Pontíficis pígnora ad nos perveníre voluísti: præsta; ut cujus gloriósa nunc venerámur mérita, ejus consórtium in beáta resurrectióne cónsequi valeámus. Per Dóminum.

Fit Comm. Dominicæ occurr.

Léctio libri Ecclesiástici. *Cap.* 45.

DILECTUS Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ, docére Jacob testaméntum suum, et judícia sua Israel.

Graduale. II Machab. 15. Hic est fratrum amátor et pópuli Israel: hic est qui multum orat pro pópulo, et univérsa sancta civitáte. ℣. *Ephes.* 1. Non cesso grátias agens pro vobis, memóriam vestri fáciens in oratiónibus meis.

Allelúia, allelúia. ℣. *Ps.* 83. Protéctor noster, áspice, Deus: et réspice in fáciem Christi tui. Allelúia.

Post Septuages. omissis Allelúia *et* ℣. *seq. dicitur*

Tractus. Psalmus 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus; et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Cap.* 12.

IN illo témpore; Dixit Dóminus Petro: Quis, putas, est fidélis dispensátor, et prudens, quem constítuit Dóminus supra famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram? Beátus ille servus, quem cum

vénerit dóminus, invénerit ita faciéntem. Vere dico vobis, quóniam supra ómnia quæ póssidet, constítuet illum. Credo.

Offertorium. Eccli. 49. Princeps fuit fratrum, et stabiliméntum pópuli: ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

Secreta.

OBLATIONEM nostram, quæsumus Dómine, sancti Pontíficis Solémnii comméndet orátio: et cujus memóriam in sacris mystériis ágimus, ejus apud te patrocíniis adjuvémur. Per Dóminum.

Communio. Jerem. 31. Inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine, et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Postcommunio.

DOMINE Jesu, qui manducántibus hunc panem, vitam ætérnam promisísti: fac nos, cum sancto Solémnio Pontífice, cujus suffrágia orándo pétimus, beátæ perennitátis esse partícipes. Qui vivis et regnas.

Ultimum Evang. Dominicæ.

Infra Octavam et in die Octava, Missa ut in die Festi, cum Commem. occurr.

DIE XXIII JANUARII.

IN FESTO

DESPONSATIONIS B. M. V.

CUM S. JOSEPH.

Missa Salve sancta parens, *p.* cxj. *Commem. S. Joseph, et S. Emerentianæ, ibidem.*

DIE XXVII JANUARII.

¶ *In Festo S. Joannis Chrysostomi, Episc. Conf. et Eccl. Doctoris, fit Commem. S. Juliani, Episcopi et Confessoris; Oratio* Exáudi, *ut in Communi Conf. Pont.* p. xvij.

DIE IV FEBRUARII.

IN FESTO

S. JOANNÆ VALESIÆ,

VIDUÆ.

Missa Cognóvi, *pro nec Virg., nec Mart.*, p. xxx. *Oratio* Deus, *p.* cxvj.

DIE VI FEBRUARII.

IN FESTO

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *p.* xv, *Oratio* Deus, qui in Ecclésia, *p.* 359. *Commemoratio S. Dorotheæ, Oratio* Indulgéntiam, *p.* xxiv.

DIE IX FEBRUARII.

IN FESTO S. RAYMUNDI

DE PEGNAFORT, CONFESSORIS.

Missa Os justi, *p.* xx; *Oratio* Deus, qui beátum, *p.* 348; *secunda Oratio S. Apolloniæ* Deus, qui inter cétera, *p.* xxix; *tertia* A cunctis, *p.* lxix.

In Quadragesima, secunda Oratio Feriæ, tertia S. Apolloniæ.

DIE XVIII MARTII.

IN FESTO

S. GABRIELIS, ARCHANGELI.

Missa Benedícite, *p.* cxxiv.

In Quadragesima, Commem. Feriæ, et ejus Evangelium in fine.

DIE XXIV APRILIS.

IN FESTO

S. DEODATI, ABBATIS.

Missa Os justi, *pro Abbatibus,* p. xxij.

DIE XXVII APRILIS.

IN FESTO

S. FIDELIS A SIGMARINGA,

MARTYRIS.

Missa Protexísti me, *p.* viij

Oratio propria Deus, qui beátum, *p.* 377.

DIE XXX APRILIS.

¶ *In Festo S. Catharinæ Senensis, fit Comm. S. Eutropii, Episc. et Martyr.; Oratio* Infirmitátem, *de Comm. unius Mart. Pont.*, p. viij.

DIE X MAII.

¶ *In Festo S. Antonini, Episcopi et Conf., post Comm. SS. Gordiani et Epimachi, Mart., fit Comm. S. Leonardi, Conf.; Oratio* Adésto, *de Communi Confessoris non Pontificis*, p. xxj.

DIE XI MAII.

IN FESTO S. BEATI,

PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

Missa Os justi, *p.* xx.

Oratio.

Præsta, Dómine, plebi tuæ, sancti Beáti Confessóris tui méritis et intercessióne : ut bonis inténta semper opéribus, in tua grátia persevéret. Per Dóminum.

DIE XXI MAII.

IN FESTO S. YVONIS,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *p.* xv.

Oratio.

Esto nobíscum, Dómine, et líbera nos beáti Pontíficis et Confessóris tui Yvónis intercessióne placátus : quem in domo tua lucérnam ardéntem et lucéntem constituísti. Per Dóminum.

DIE XXII MAII.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

MARTYRIS.

Tempore Paschali, Missa Protexísti, *de Communi*, p. viij, *cum Orat. seq. et Evang.* Nihil est opértum, *ut in Missa* Lætábitur, *de Communi*, p. vij.

Post Pentecosten, Missa Lætábitur, *de Communi*, p. vj, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam Martyrii coróna decorásti : da nobis, ejus intercessióne et exémplo, linguam caute custodíre, et ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum in hoc sæculo toleráre. Per Dóminum.

Secreta.

Per hæc tua, Dómine, sacra mystéria, illo nos charitátis igne accendámur, quo invíctus Martyr Joánnes éadem peragéndo flagrábat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Spiritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis : quæ beáti Mártyris tui Joánnis contra sacraménti honórem tentátam constántiam júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV MAII.

IN FESTO B. M. V.

SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa Salve, sancta, *p.* cxxxvij.

DIE XXVIII MAII.

IN FESTO S. GERMANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *p.* xvij.

DIE III JUNII.

IN FESTO S. CLOTILDIS,

FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Missa Cognóvi, *de Communi nec*

Virginis nec Martyris, p. xxxj, *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, eísdem, per ejus intercessiónem, tribue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Secreta.

Exaudi, Dómine, pópulum sub patrocínio Regínæ suæ sanctæ tibi supplicántem: regnúmque quod tibi subjécit, perpétua protectióne custódi. Per Dóminum.

Postcommunio.

Auxilientur nobis, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: et quos per beátam Clotíldem ad cœléste regnum vocáre dignátus es, ejúsdem fac regni possessióne felíces. Per Dóminum.

DIE XVI JUNII.

IN FESTO

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS,

CONFESSORIS.

Missa Os justi, *ut in Communi*, p. xx.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili charitáte, et invícta patiéntia decorásti: concéde propítius; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

DIE XXIX JUNII.

¶ *In Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, pro Commem. omnium SS. Apostolorum, Oratio* Exáudi nos, *p.* xcliv.

DIE I JULII.

¶ *In die Octava S. Joannis Baptistæ, post Commem. Octavæ SS. Apostolorum, fit Commem. S. Carilephi, Abbatis; Oratio* Intercéssio, *de Communi, pro Abbatibus*, p. xxij.

DIE III JULII.

IN FESTO

S. IRENÆI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Missa Státuit, *p.* iij, *de Comm. unius Martyris Pontificis, præter sequentia.*

Oratio.

Deus, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret: da, quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Fit Commem. Octavæ SS. Apostolorum Petri et Pauli.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Cap.* 10.

In illo témpore: Dixit Jesus quibúsdam ex Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimittit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves. Mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus; et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego cognósco Patrem, et áni-

mam meam pono pro óvibus meis; et álias oves hábeo quæ non sunt ex hoc ovili : et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient : et fiet unum ovile, et unus pastor.

Dicitur Credo *et Præfatio Apostolorum, ob Octavam.*

DIE IV JULII.

IN FESTO

ORDINATIONIS ET TRANSLATIONIS

S. MARTINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Communi Confessoris Pontif.*, p. xvij.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Martínum minístrum tribuísti : præsta ut quem doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE II AUGUSTI.

IN FESTO

S. BETHARII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *p.* xv.

Oratio.

Deus, qui beátum Bethárium Confessórem tuum atque Pontíficem misericórdiæ viscéribus implevísti : quæsumus; ut quem páuperum et pupillórum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. Per.

Comm. S. Stephani, Papæ et Martyris, cum Orat. ex Missa Sacerdótes Dei, *p.* iv.

DIE V AUGUSTI.

¶ *In Festo Dedicationis S. Mariæ ad Nives, fit Commem. S. Viatoris, Confessoris, Oratio* Adésto, *de Communi Confessoris non Pontificis,* p. xxj.

DIE IX AUGUSTI.

IN FESTO

S. ALPHONSI

MARIÆ DE LIGUORIO,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Spíritus Dómini, *ut in die II Augusti,* p. 435. *Commem. Vigiliæ S. Laurentii, et S. Romani, Martyris,* p. 442.

DIE XIII AUGUSTI.

IN FESTO

S. RADEGUNDIS,

FRANCORUM REGINÆ,

VIDUÆ.

Missa Cognóvi, *de Communi nec Virginis nec Martyris,* p. xxx, *cum Orationibus sequentibus.*

Oratio.

Deus, cujus amóre beáta Radegúndis ex aulæ tumúltu, sprctis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Commem. Octavæ S. Laurentii, et SS. Martyrum Hippolyti et Cassiani, ut in Missali.

Secreta.

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, tua nos propitiatióne dignos effíciat, beátæ Radegúndis intervéntu, quæ tibi soli placére stúduit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlestibus repléti mystériis, te, Dómine, deprecámur : ut exémplo et intercessióne beátæ Radegúndis, spretis mundi hujus oblectatiónibus, in te uno delectári mereámur. Per Dóminum.

DIE XVI AUGUSTI.

¶ *In Festo S. Hyacinthi Confessoris, post Commem. Octavarum Assumptionis et S. Laurentii, fit Commem. S. Rochi, Confessoris, Oratio* Adésto, *de Communi Confessoris non Pontificis*, p. xxj.

DIE XXV AUGUSTI.

IN FESTO S. LUDOVICI,

FRANCORUM REGIS,

ECCLESIÆ CATHEDRALIS ET DIOECESIS BLESENSIS PATRONI,

CONFESSORIS.

Introitus. Ps. 20.

In virtúte tua, Dómine, lætábitur Rex, et super salutáre tuum exultábit veheménter : desidérium cordis ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. *Psalm. id.* Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovicum Confessórem tuum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, Regis regum Jesu Christi Filii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit.

Léctio libri Machabæórum.

I Machab. 3.

In diébus illis; Dilatávit Judas glóriam pópulo suo, et índuit se lóricam sicut gigas, et succínxit se arma béllica sua in prælíis, et protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, et sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos perscrútans eos; et qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis; et repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, et omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt : et dirécta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, et lætificábat Jacob in opéribus suis, et in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, et pérdidit ímpios ex eis, et avértit iram ab Israel. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ.

Graduale. Psalm. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. Allelúia, allelúia. ℣. *Psalm.* 143. Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Cap.* 19.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum : et misérunt legatiónem post illum, dicéntes : Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno; et jussit vocári servos quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens : Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi : Euge, bone serve; quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, ecce mna tua, quam há-

bui repósitam in sudário : tímui enim te, quia homo austérus es; tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei : De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi : et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit : Auférte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixérunt ei : Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit : ab eo autem qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Credo.

Offert. Eccli. 47. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum : dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

Secreta.

Edoce nos, quæsumus Dómine, dignas majestáti tuæ, beáti Ludovíci exémplo, laudes persólvere : ejúsque in amplificándo divíni cultus splendóre sollicitúdinem fac nos æmulári. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 5 *et* 137. Introíbo in domum tuam, Dómine; adorábo ad templum sanctum tuum et confitébor nómini tuo.

Postcommunio.

Deus, qui beáto Ludovíco, inter falláces temporális regni delícias, veram ætérni regni felicitátem toto corde concupíscere tribuísti : fac nos, quæsumus, ejúsdem felicitátis amatóres, cujus in hoc sacraménto pignus accépimus. Per Dóminum.

¶ *Die XXVI Augusti, infra Octavam S. Ludovici, dicitur Missa ut in die Festi; Commem. S. Zephyrini, Papæ et Martyris, ut in Missali,* p. 454, *tertia Oratio, de S. Maria,* Concéde, *p.* j.

Aliis diebus infra Octavam, de ea fit Commemoratio, et dicitur Credo.

DIE I SEPTEMBRIS.

IN DIE OCTAVA

S. LUDOVICI, CONFESSORIS.

Missa ut in die Festi. Commem. S. Ægidii, Abbatis, et SS. duodecim Fratrum, Martyrum, ut in Missali.

DIE III SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. AIGULPHI,

MARTYRIS.

Missa In virtúte tua, *ut in Communi unius Martyris non Pontificis, p.* v.

Oratio.

Deus, qui beáto Mártyri Aigúlpho dedísti fidélem esse usque ad mortem, et corónam vitæ promeréri : concéde propítius, ejus intercessióne et méritis; ut in fide fortes et in ópere inveniámur efficáces. Per Dóminum.

DIE IV SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. VICTORII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Communi Confessoris Pontificis, p.* xvij.

DIE XVI SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. LEOBINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Confessoris Pontificis, p.* xv.

Oratio.

Deus, qui ad pascéndam hæreditátem tuam, beátum Leobínum Confessórem tuum atque Pontíficem de grégibus óvium et de post fœtántes accepísti : concéde propítius; ut ejus muniámur précibus, cujus instrúimur et mónitis et exémplis. Per Dóminum.

Commem. SS. Euphemiæ et Soc. Martyrum, Oratio Præsta, *p.* 465.

Si hoc Festum venerit in Quatuor Temporibus, fit primum Commem. Feriæ, postea SS. Euphemiæ et Sociorum.

DIE XIX SEPTEMBRIS.

¶ *In Festo SS. Januarii, Episcopi, et Sociorum Martyrum, fit Commemoratio S. Arnulphi, Episcopi et Confessoris, Oratio* Da quæsumus, *de Communi Confessoris Pontificis,* p. xv.

DIE XXII SEPTEMBRIS.

¶ *In Festo S. Thomæ a Villanova, Episc. et Conf., post Commem. SS. Mauritii et Soc. Martyrum, fit Commem. S. Silvani, Confessoris, Oratio* Adésto, *de Communi Confessoris non Pontificis,* p. xxj.

DIE XXV SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. SOLEMNII, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Ps. 54.

Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine : expectábam eum qui salvum me fecit a pusillanimitáte spíritus et tempestáte. *Psalm. id.* Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam : inténde mihi, et exáudi me. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui sancti Solémnii, Confessóris tui atque Pontíficis, memóriam multíplici virtútum glória venerábilem et pópulis fecísti et princípibus : concéde propítius; ut sicut illi eminéntem grátiam contulísti, sic ad consequéndam misericórdiam tuam, ejus nos fácias précibus adjuvári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 *Corinth.* 10.

Fratres, Non audémus insérere, aut comparáre nos quibúsdam, qui seípsos comméndant : sed ipsi in nobis nosmetípsos metiéntes, et comparántes nosmetípsos nobis. Nos autem non in imménsum gloriábimur, sed secúndum mensúram régulæ, qua mensus est nobis Deus, ménsuram pertingéndi usque ad vos. Non enim quasi non pertingéntes ad vos, superexténdimus nos : usque ad vos enim pervénimus in Evangélio Christi. Non in imménsum gloriántes in aliénis labóribus : spem autem habéntes crescéntis fídei vestræ, in vobis magnificári secúndum régulam nostram in abundántiam, étiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizáre, non in aliéna régula in iis quæ præparáta sunt gloriári. Qui autem gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat.

Graduale. Psalm. 96. Confundántur omnes qui adórant sculptília, et qui gloriántur in simulácris suis : quóniam Dóminus altíssimus super omnem terram. ℣. *Psalm.* 95. Quóniam omnes dii Géntium dæmónia; Dóminus autem cœlos fecit. Allelúia, allelúia. ℣. *Rom.* 15. Confi-

tébor tibi in Géntibus Dómine : et nómini tuo cantábo. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Cap.* 14.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis : Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco : ne forte honorátior te sit invitátus ab illo; et véniens is, qui te et illum vocávit, dicat tibi : Da huic locum ; et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco : ut, cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi : Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus : quia omnis qui se exáltat, humiliábitur : et qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Rom. 15. Minister sum Christi in Géntibus, ut fiat oblátio Géntium accépta, et sanctificáta in Spíritu tuo.

Secreta.

Deus, qui beátum Solémnium Pontíficem onus sacerdotále formidántem confortásti : quæsumus; ut ad sanctuárium tuum ejus exémplo pavére, et præsens sacrifícium puris tibi méntibus offérre mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Communio. I Thess. 2. Facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat filios suos.

Postcommunio.

Gratias tibi, Dómine, pro córporis et sánguinis tui perceptióne reférimus, supplíciter deprecántes : ut beáti Solémnii Pontíficis intercessióne et exémplo, non alta sápere, sed humílibus consentíre discámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum : Qui tecum vivit et regnat.

DIE XXVI SEPTEMBRIS.

IN FESTO

SS. CORNELII ET CYPRIANI,

PONTIFICUM ET MARTYRUM.

Missa ut in die XVI Septembris, p. 465; *Commem. alterius S. Cypriani et S. Justinæ, Oratio* Beatórum, *p.* 471.

DIE IV OCTOBRIS.

¶ *In Festo S. Francisci, Confessoris, fit Commem. S. Caletrici, Episcopi et Confessoris, Oratio* Exáudi, *de Communi Confessoris Pontificis,* p. xvij.

DIE IX OCTOBRIS.

¶ *In Festo SS. Dionysii et Soc. Martyrum, Missa ut in Missali,* p. 478. *Non dicitur secunda Oratio.*

DIE V NOVEMBRIS.

¶ *In die V, infra Octavam Omnium SS. fit Commem. S. Læti, Presbyteri et Confessoris, Oratio* Adésto, *de Communi Confessoris non Pontificis,* p. xxj.

DIE XVI NOVEMBRIS.

IN FESTO S. ANIANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Communi Confessoris Pontificis,* p. xv.

MISSA DE SS. SACRAMENTO

PER ANNUM.

Missa hæc de SS. Sacramento, singulis Feriis V non impeditis Festo novem Lectionum etiam translato, sub ritu Semiduplici celebratur, extra Adventum, Quadragesi-

mam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas.

Missa Cibávit eos, *p.* xl. *Secunda et tertia Oratio pro diversitate Temporis, ut in Semiduplicibus.*

MISSA DE IMMAC. CONCEPT.

B. M. V. PER ANNUM.

Missa hæc de Immaculata Conceptione B. M. V. singulis Sabbatis non impeditis Festo novem Lectionum etiam translato, sub ritu Semiduplici celebratur, extra Adventum, Quadragesimam, Octavas, Vigilias et Ferias privilegiatas.

Missa Veníte, *p.* cv. *Secunda Oratio de Spiritu Sancto*, p. xlix; *tertia* Ecclésiæ, *vel pro Papa, ibid. Non dicitur* Credo. *Præfatio de B. M.* Et te in commemoratióne Conceptiónis Immaculátæ.

DIE XVI DECEMBRIS.

PRO COMMEMORATIONE OMNIUM SS. MARTYRUM.

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio Sanctórum Mártyrum tuórum: réspice ad preces humilitátis nostræ; ut, quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur.

Secreta.

Adesto Dómine supplicatiónibus nostris, quas in sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut qui nostræ justitiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur.

Parisiis. — Ex Typis Adriani Le Clere et Soc.
In vico dicto Cassette, 29. —

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

INSIGNIS ECCLESIÆ

CARNUTENSIS

A SS. D. N. PIO PAPA IX.

APPROBATÆ

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. LUDOVICI EUGENII REGNAULT

EPISCOPI CARNUTENSIS

EDITÆ.



PARISIIS

APUD ADRIANUM LE CLERE ET SOCIOS

SS. D. N. PAPÆ AC RR. DD. ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS TYPOGRAPHOS

VIA DICTA CASSETTE, 29.

M. DCCC. LXV.

CARNUTEN.

Reverendissimus Dominus Ludovicus Eugenius REGNAULT, Episcopus Carnutensis, de revocanda in sua Diœcesi Carnutensi Liturgia Romana imprimis sollicitus, Clero Populoque sibi commissis acceptissimum fore perspexit, si in Kalendario Diœcesano pristinam honorificam sedem pergerent retinere nomina Cœlitum illorum, quos solemni cultu, a vetustis sæculis, fideles ceu singulares ad Deum Patronos celebrare consueverunt. Piis ejusmodi votis Reverendissimus idem Antistes permotus, de consensu venerabilis suæ Cathedralis Ecclesiæ Capituli, nedum Kalendarium perpetuum, pro usu Diœcesis suæ ita conficere studuit, ut certam fixamque sedem prædicti Cœlites in eodem haberent, sed omnem præterea curam diligentiamque adhibuit, ut recitanda quotannis a Clero suo Diœcesano in illorum honorem Officia & Missas e probatis fontibus desumeret apteque concinnaret.

Ne vero in negotio gravissimo, quod probe norat, juxta Ecclesiasticas leges supremo Sedis Apostolicæ judicio reservari, quidquam auctoritate propria decernere videretur, pro ea qua præstat erga eamdem Sanctam Sedem filiali reverentia ac pietate, Exemplar typis cusum tum confecti a se Kalendarii, tum Proprii Officiorum atque Missarum, Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX, sanctioni proposuit, humillimis additis precibus, ut singula approbare dignaretur.

Examen hujus Exemplaris Sanctitati Suæ placuit Sacrorum Rituum Congregationi committere, quæ, omnibus mature accurateque perpensis, tum Kalendarium perpetuum tum Proprium Officiorum atque Missarum probari posse censuit, sub modo & forma in ipso Exemplari cura Sacræ Congregationis adnotatis.

Quam porro Sacræ Congregationis sententiam, referente subscripto Secretario, quum Sanctissimus idem Dominus in omnibus ratam habuerit & confirmaverit, clementer indulsit ut idem Kalendarium & Proprium, sub modo & forma prædictis, a Clero Diœcesi Carnutensis, tam in Horis canonicis juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persolvendis, quam in Missis celebrandis, perpetuo servetur, injuncto onere, ut postquam idem Proprium juxta in eo adnotatas correctiones denuo fuerit prælo commissum, duplex authenticum exemplar a Reverendissimo Carnutensi Episcopo ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Maji 1861.

C. Episc. Portuen. et S. Rufinæ Card. PATRIZI, S. R. C. Præf.

Locus ✠ Sigilli. D. Bartolini, S. R. C. Secretarius.

Concordat cum originali.

✠ LUD. EUGENIUS, Episc. Carnutensis.

Locus ✠ Sigilli Episcopalis.


LUDOVICUS EUGENIUS REGNAULT,

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS CARNUTENSIS.

Adriano Le Clere, cum Sociis, SS. Domini Papæ apud Parisienses Typographo, Missas Proprias Ecclesiæ Carnutensis, quales fuere nuper a Sancta Sede approbatæ & concessæ, typis mandandas commisimus, editionemque earum diligenti examine perlectam, cum textu authentico concordare perspeximus, quam ideo approbamus & in publicum prodire jubemus.

Datum Carnuti, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, necnon Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, die vero decima sexta mensis Julii, in festo B. M. V. de Monte Carmelo.



✠ LUD. EUGENIUS, Episc. Carnutensis.

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi DD. Episcopi,

E. Germond, Can. H. Secr.

TABELLA FESTORUM

IN QUIBUS PAROCHI ET ALII ANIMARUM CURAM ACTU GERENTES

TENENTUR CELEBRARE ET APPLICARE MISSAM

PRO POPULO SIBI COMMISSO

Ex Encyclica Pii Papæ IX. *Amantissimi Redemptoris.* 3 Maji 1858.

I. Dominici dies totius anni.

II. Festa Domini, scilicet : Nativitatis D. N. J. C. — Circumcisionis. — Epiphaniæ. — Resurrectionis cum duabus sequentibus Feriis. — Ascensionis. — Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis. — SS. Trinitatis. — Corporis Christi. — Inventionis sanctæ Crucis.

III. Festa B. M. V. scilicet : Immaculatæ Conceptionis. — Purificationis. — Annuntiationis. — Assumptionis. — Nativitatis beatæ Mariæ Virginis.

IV. Festa Sanctorum, scilicet : Dedicationis B. Michaelis Archangeli. — Nativitatis S. Joannis Baptistæ. — SS. Petri & Pauli. — S. Andreæ. — S. Jacobi. — S. Joannis. — S. Thomæ Apost. — SS. Philippi & Jacobi. — S. Bartholomæi. — S. Matthæi. — SS. Simonis & Judæ. — S. Mathiæ. — S. Stephani Protomartyris. — SS. Innocentium. — S. Laurentii Mart. — S. Silvestri Papæ & Conf. — S. Josephi Conf. Sponsi B. M. V. — S. Annæ Genitricis B. M. V. — Omnium Sanctorum. — Unius e principalioribus Patronis Regni vel Provinciæ. — Alterius pariter principalioris e Patronis Civitatis, vel Oppidi, vel Pagi.

« Quod attinet ad Festos translatos dies, id unum excipitur, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini Officii pars est, una simul cum ipso Officio translata existimari debet. » (Encycl. Pii Papæ IX. 3 Maji 1858.)

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

INSIGNIS ECCLESIÆ

CARNUTENSIS

Licet alienum omnino sit a consuetudine S. R. C. particulares Ecclesias seu Diœceses singularibus condecorare honoris titulis, tamen Sanctissimus Dominus noster Pius Papa IX., tum ob peculiarem cultum quo Ecclesia Carnutensis Beatissimam Virginem Mariam semper prosecuta est, tum ob magnum Christifidelium concursum qui illuc conveniunt, peregrinationis causa, censuit speciali gratia eamdem Ecclesiam Carnutensem titulo INSIGNIS decorare.

Romæ, die 9 Maji 1861.

C. Episc. Portuens. et S. Rufinæ, Card. PATRIZI, S. R. C. Præfect.

FESTA MOBILIA

DOM. ULT. POST EPIPHANIAM.

IN FESTO

B. MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

REFUGIUM PECCATORUM.

(Si impediatur solemnitate majori, transfertur in Dominicam Sexagesimæ.)

Introitus. Psalm. 85.

Tu, Dómine Deus, misérátor & miséricors, pátiens, & multæ misericórdiæ, & verax : réspice in nos, & miserére nostri, & salvos fac filios ancíllæ tuæ, Genitrícis Fílii tui, & Regínæ totíus mundi. Psalm. ibid. Inclína Dómine aurem tuam, & exáudi me : quóniam inops & pauper sum ego. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Clementissime Deus, qui ad peccatórum salútem & miserórum perfúgium, beátam Vírginem Maríam Unigéniti tui Genitrícem, Fílio suo caritáte simíllimam esse voluísti : præsta, quæsumus; ut dum Cordis ejúsdem amantíssimæ Matris misericórdiam celebrámus, & peccatóribus conversiónem, & cunctis fidélibus cœléstium ubertátem donórum obtinére mereámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro Commem. SS. Cordis Jesu.

Oratio.

Respice, miséricors Deus, in Cor dilécti Fílii tui ; ejúsque mœróribus quos nostri causa pértulit, & dignis satisfactiónibus quas pro nobis tibi persólvit placátus ; concéde corde contríto pœniténtibus nostrórum véniam peccatórum.

Et fit Commem. Domin. occurr.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 36.

Miserere nostri, Deus ómnium, & réspice nos, & osténde nobis lucem miseratiónum tuárum. Cóngrega omnes tribus Jacob, ut cognóscant

quia non est Deus nisi tu, & enárrent magnália tua; & hæreditábis eos sicut ab inítio. Miserére plebi tuæ super quam invocátum est nomen tuum, & Israel quem coæquásti primogénito tuo. Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Jerúsalem, civitáti requiéi tuæ. Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, & glória tua pópulum tuum. Da testimónium his qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, & súscita prædicatiónes quas locúti sunt in nómine tuo Prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut Prophétæ tui fidéles inveniántur; & exáudi oratiónes servórum tuórum, secúndum benedictiónem Aaron pópulo tuo; & dírige nos in viam justítiæ.

Graduale. Jer. 18. Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, & ut avértat indignatiónem suam a nobis. ℣. Esth. 15. Memoráre diérum humilitátis tuæ, & tu ínvoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte. Allelúja, allelúja. ℣. Esth. 7. Si invéni grátiam in óculis tuis, dona mihi pópulum meum pro quo óbsecro; tráditi sunt enim ut conterántur & péreant. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja & ℣. seq. dicitur:

Tractus. Tob. 13. Confitére Dómino in bonis tuis, beáta Salvatóris Mater, ut révocet ad te omnes captívos, & gáudeas in sæcula sæculórum. ℣. Luce spléndida fulgébis, & natiónes ex longínquo ad te vénient; &, múnera deferéntes, nomen magnum invocábunt in te. ℣. Lætáberis in fíliis tuis, quóniam omnes benedicéntur & congregabúntur ad Dóminum: beáti omnes qui díligunt te, & qui gaudent super pace tua. ℣. Benedíctus Dóminus, qui exaltávit eam, & fáciet misericórdiam suam nobíscum propter illam.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Tob. 12. Coram ómnibus vivéntibus confitémur tibi, gloriósa Dei Génitrix, quóniam a morte líberas, & facis inveníre misericórdiam & vitam ætérnam. Allelúja. ℣. Judic. 8. Domináre nostri, tu & Fílius tuus, qui liberásti nos de manu inimicórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 2.

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem & Jesus, & discípuli ejus, ad núptias. Et deficiénte vino, dicit mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi & tibi est, múlier? Nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hydriæ sex pósitæ, secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes síngulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hydrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Hauríte nunc, & ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, & non sciébat unde esset, minístri autem sciébant qui háuserant aquam, vocat sponsum architriclínus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, & cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius est; tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ, & manifestávit glóriam suam; & credidérunt in eum discípuli ejus.

Credo.

Offertorium. Dan. 3. Ne áuferas, Dómine, misericórdiam tuam a nobis, propter Matrem tuam; sed fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, & pláceat tibi, quóniam non est confúsio confidéntibus in te.

Secreta.

Redemptor Dómine, cujus mortem in hoc sacrificio commemorámus: per hujus méritum & piíssimæ

Matris tuæ Maríæ suffrágium, omnes qui in te peccavérunt benígnus intuére; ut convérsi ab erróre viæ suæ, tibi pœniténtes desérviant, & ab ætérna damnatióne liberéntur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

De SS. Corde Jesu.

Secreta.

LARGIRE nobis, Dómine, quæsumus, ut sacra tractántes mystéria quibus tui Cordis erga nos amórem velut effudísti; & nostram & errántium fratrum nostrórum, pro quibus passus es, salútem cónsequi valeámus.

Et fit Commem. Dom. occurr.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte. p. 198. vel 215.

Communio. Regína mundi, piíssima María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace & salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium.

Postcommunio.

DEUS, qui nobis in hac mensa singuláre nostræ mortalitátis reliquísti præsídium: recordáre, quæsumus, miseratiónum tuárum; & deprecatiónem, quam toto corde beáta María, Mater tua, coram te júgiter pro peccatóribus effúndit, clemens admítte, & eos in viam justítiæ & pacis redúcere dignéris. Qui vivis & regnas cum Deo Patre in unitáte.

De SS. Corde Jesu.

Postcommunio.

PROTEGE, Dómine, pópulum tuum in imménsa tui Cordis pietáte confidéntem: & errántes oves in tuo sinu suscéptas, bonus Pastor in pínguia páscua festína misericórditer reportáre.

Et fit Commem. Dom. occurrentis, cujus legitur Evang. in fine.

FERIA III. POST DOM. SEPTUAG.

IN FESTO

ORATIONIS D. N. J. C.

Missa ut in Supplemento generali. p. cv.

FERIA. III. POST DOM. SEXAG.

IN COMMEMORATIONE

SS. PASSIONIS D. N. J. C.

Missa ut in Supplemento generali. p. cvj.

FERIA VI. POST CINERES.

IN FESTO

SS. SPINEÆ CORONÆ

D. N. J. C.

Missa ut in Supplemento generali. p. cvj.

Et fit Commemoratio Feriæ & legitur ejusdem Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. I. QUADRAG.

IN FESTO

LANCEÆ ET CLAVORUM

D. N. J. C.

Missa ut in Supplemento generali. p. cvij.

Et fit Commem. Feriæ, & legitur ejusdem Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. II. QUADRAG.

IN FESTO

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cix.

Et fit Commem. Feriæ, & legitur ejusdem Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. III. QUADRAG.

IN FESTO

QUINQUE PLAGARUM

D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cx.

Et fit Commem. Feriæ, & legitur ejusdem Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. IV. QUADRAG.

IN FESTO

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa Redemísti. cum Tractu, ut in Dom. I. Julii. p. 400.

Fit Commem. Feriæ, & legitur ejusdem Evangelium in fine.

DOMINICA I. MAJI.
IN FESTO
PATROCINII B. M. V.

(Si nulla Maji Domin. celebrari queat, ad primam hujus mensis diem transfertur non impeditam.)

Missa de Beata Maria, inter Votivas, pro Tempore Paschali, cum Commem. Dominicæ, cujus legitur Evangelium in fine.

Credo. — Præfatio de B. M. V. **Et te in Festivitáte.** p. 198. vel 215.

Si vero contingat celebrari post Pentecosten, dicitur Missa **Salve, sancta Parens.** a Pentecoste usque ad Adventum. **p. xliij.**

DOM. V. POST PASCHA.
IN FESTO B. M. V.
MISERICORDIÆ MATRIS.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, Misericórdiæ Matris, de cujus solemnitáte gaudent Angeli & colláudant Filium Dei. Allelúja, allelúja. Psalm. 63. **Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium : a multitúdine operántium iniquitátem. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, qui univérsum mundum ineffábili providéntia regis atque gubérnas : præsta nobis fámulis tuis ; ut, intercedénte beáta María semper Vírgine, Misericórdiæ Matre, ab hóstibus defénsi, & fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Commem. Dominicæ, cujus legitur Evangelium in fine.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris, & flores mei fructus honóris & honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ & veritátis ; in me omnis spes vitæ & virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, & a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, & hæréditas mea super mel & favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient, & qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur, & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja, allelúja. ℣. Isaiæ 53. **Omnes nos, quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja. ℣. Virgo gloriosíssima, Mater Misericórdiæ, réspice in nos, & dírige nos in viam rectam. Allelúja.**

Extra Tempus Paschale :

Graduale. Cant. 1. **Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, & abi post vestígia gregum. ℣. Pasce hœdos tuos juxta tabernácula pastórum. Allelúja, allelúja.** ℣. Isaiæ 53. **Omnes nos, quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit. Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 19.

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus, María Cléophæ, & María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, & discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium. Prov. 9. **Si quis est párvulus, véniat ad me, & insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, & bíbite vinum quod míscui vobis. Allelúja.**

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut précibus beátæ Maríæ semper Vírginis, fidéles tui hóstiam

salutárem tibi fervéntius ófferant, & efféctum consequántur. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte. p. 198. vel 215.

Communio. Psalm. 137. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, & super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, & salvum me fáciet déxtera tua. Allelúja.

Postcommunio.

Gratias tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti: tuam misericórdiam deprecántes; ut ab illécebris carnis, & mundánis oblectaméntis, sub custódia semper Vírginis Mariæ segregáti, cœléstia gáudia indesinénter appetámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

FER. VI. POST OCT. CORPORIS CHRISTI.

IN FESTO

REPARATIONIS INJURIARUM SS. CORDI JESU IN SS. EUCHARISTIÆ SACRAMENTO ILLATARUM.

(AD OBTINENDAM CONVERSIONEM PECCATORUM.)

Introitus. Psalm. 73.

Quanta malignátus est inimícus in sancto! In terra polluérunt tabernáculum nóminis tui, Dómine. Usquequo, Deus, irrítat adversárius nomen tuum in finem? Psalm. ibid. Ut quid, Deus, repulísti in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri.

Oratio.

Gementes ac doléntes super cunctis abominatiónibus, quæ fiunt in domo tua, propítius réspice, Deus omnípotens: & pro contuméliis, quibus in Sacraménto sui amóris impétitur Dóminus Jesus, ipsum fac pro nobis esse apud te propitiatiónem. Qui tecum vivit & regnat.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 10.

Fratres: Accedámus cum vero corde in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala, & ablúti corpus aqua munda. Teneámus spei nostræ confessiónem indeclinábilem, (fidélis enim est qui repromísit). Et considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum: non deseréntes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibúsdam; sed consolántes, & tanto magis quanto vidéritis appropinquántem diem. Voluntárie enim peccántibus nobis post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia; terríbilis autem quædam expectátio judícii, & ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur. Quanto magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, & Spirítui grátiæ contuméliam fécerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindícta, & ego retríbuam. Et íterum: Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis.

Graduale. I. Mach. 4. Vidérunt altáre profanátum; & scidérunt vestiménta sua, & planxérunt planctu magno. ℣. Imposuérunt cínerem super caput suum, & cecidérunt in fáciem super terram, & clamavérunt in cœlum. Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. 68. Zelus domus tuæ comédit me, Dómine, & oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja & ℣. seq. dicitur:

Tractus. Ps. 73. Inimícus improperávit Dómino, & pópulus insípiens incitávit nomen tuum. ℣. Exúrge,

Deus, júdica causam tuam. Memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 22.

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit íterum in parábolis Princípibus sacerdótum & Pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias; & nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens: Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei & altília occísa sunt, & ómnia paráta; veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt; & abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatiónem suam; réliqui vero tenuérunt servos ejus, & contuméliis afféctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est; & missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, & civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis: Núptiæ quidem parátæ sunt; sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum; & quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes, quos invenérunt, malos & bonos: & implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex ut vidéret discumbéntes: & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris: Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres; ibi erit fletus & stridor déntium: multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti. Credo.

Offertorium. Hebr. 10. Ad Christum accedámus cum vero corde, in plenitúdine fídei, aspérsi corda a consciéntia mala; & considerémus ínvicem in provocatiónem caritátis, & bonórum óperum.

Secreta.

Deus, qui Unigénitum tuum in cruce pro transgressóribus orantem exaudísti: quæsumus, ut nos, qui in altári tuo ipsum offérimus, pro contaminatóribus mensæ illíus orántes, cleménter exaudíre dignéris. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce. p. 191. vel 212.

Communio. Hebr. 10. Quanta putátis meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, & sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est?

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui zelo domus Dei succénsus, vendéntes & eméntes de templo ejecísti: da comedéntibus panem tuum, eódem zelo animári; & propter reos Córporis tui, aut tabéscere geméntes, aut ad prohibéndum fortes ignéscere: Qui vivis.

DOMIN. III. POST PENTECOSTEN.
IN FESTO
SS. CORDIS JESU.

(Si impediatur hac Domin., transfertur ad Dominicam seq.

Missa ut in Supplemento generali. p. cxxvj.

Commemoratio Dominicæ, cujus Evangelium legitur in fine.

DOMINICA I. NON IMPEDITA
POST OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.
COMMEM. OMNIUM SS. SUMM. PONTIFICUM.

Missa ut in Supplemento generali. p. cxxxj.

Et fit Commem. Domin. occurr. cujus Evangelium legitur in fine.

DOM. POST OCT. ASSUMPTIONIS.
IN FESTO
PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Ut in Supplemento gener. p. cliij.

Et fit Commem. Domin. occurrentis, cujus Evang. legitur in fine.

DOMINICA II. OCTOBRIS.
IN FESTO
MATERNITATIS
B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Supplemento generali. p. clvij.

Et fit Commem. Domin. occurr. cujus Evangelium legitur in fine.

DOMINICA III. OCTOBRIS.
IN FESTO
PURITATIS B. MARIÆ V.

Missa ut in Supplemento generali. p. clviij.

Et fit Commem. Domin. occurr. cujus Exangelium legitur in fine.

PRIMA DIE LIBERA
INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM.
IN FESTO
B. M. V. DE SUFFRAGIIS.

Introitus. Psalm. 44.

CONCUPISCET Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, & adorábunt eum : vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis. Psalm. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus, omnípotens Deus : ut beátæ Maríæ semper Vírginis suffrágiis intercedéntibus; & fidélium ánimæ indulgéntiam, & nos grátiæ tuæ dona, ac ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Léctio libri Judith. Judith 13.

BENEDICTA es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum : quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Graduale. I. Esdr. 1. Confúndor, & erubésco leváre fáciem meam, quóniam iniquitátes nostræ multiplicátæ sunt super caput nostrum. ℣. Esth. 15. Invoca Dóminum, & lóquere Regi pro nobis, & líbera nos de morte.

Tractus. Judith 13. Laudáte Dóminum Deum nostrum, qui non deséruit sperántes in se. ℣. Et in me ancílla sua adimplévit misericórdiam suam, quam promísit dómui Israel. ℣. Et interfécit in manu mea hostem pópuli sui.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 2.

IN illo témpore : Erat pater Jesu & mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, & dixit ad Maríam matrem ejus : Ecce pósitus est hic in ruínam & in resurrectiónem multórum in Israel, & in signum cui contradicétur ; & tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Non dicitur Credo.

Offertorium. I. Reg. 7. Peccávimus Dómino ; ne cesses pro nobis clamáre ad Dóminum Deum nostrum, ut salvet nos.

Secreta.

TUA, Dómine, propitiatióne, & beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, vivis ad medélam, mortuísque ad suffrágia oblátio hæc profíciat, usque ad ætérnam prosperitátem & pacem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Præfatio de B. M. V. Et te in Veneratióne. p. 198. vel 215.

Communio. Judith 13. Per manum féminæ percússit hostem pópuli sui Dóminus Deus noster. Confitémini illi omnes, quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, salútis nostræ subsídiis : da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis suffrágiis vivos & mórtuos ubíque prótegi ; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

DOM. INF. OCT. OMN. SANCTORUM.

IN FESTO

SS. RELIQUIARUM.

Ut in Suppl. gener. p. clxxj. præt. Commem. Domin. occurr., cujus Evang. in fine legitur, & Octav.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 20.

IN illo témpore : Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem, & interrogavérunt Jesum, dicéntes : Magíster, Móyses scripsit nobis : Si frater alicújus mórtuus fúerit habens uxórem, & hic sine líberis fúerit, ut accípiat eam frater ejus uxórem, & súscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant; & primus accépit uxórem, & mórtuus est sine fíliis : & sequens accépit illam, & ipse mórtuus est sine fílio : & tértius accépit illam : simíliter & omnes septem; & non reliquérunt semen, & mórtui sunt : novíssime ómnium mórtua est & múlier. In resurrectióne ergo, cujus eórum erit uxor ? síquidem septem habuérunt eam uxórem. Et ait illis Jesus : Fílii hujus sæculi nubunt, & tradúntur ad núptias ; illi vero qui digni habebúntur sæculo illo & resurrectióne ex mórtuis, neque nubent neque ducent uxóres : neque enim ultra mori póterunt; æquáles enim Angelis sunt, & fílii sunt Dei, cum sint fílii resurrectiónis. Quia vero resúrgant mórtui, & Móyses osténdit secus rubum, sicut dicit Dóminum, Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Jacob. Deus autem non est mortuórum, sed vivórum : omnes enim vivunt ei. Credo.

Præfatio SS. Trinitatis.

DOM. POST OCT. OMN. SANCT.

IN ANNIV. DEDICATIONIS

OMNIUM ECCLESIARUM

Missa Terríbilis. p. xxviij. cum Commem. Dominicæ occurrentis, cujus Evangelium in fine legitur.

Non dicitur Sequentia.

Credo. & Præfatio SS. Trinitatis p. 195. vel 214.

DOMIN. ULT. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

OMN. SS. EPISCOPORUM, SACERDOTUM,

CÆTERORUMQUE PATRONORUM

ECCLESIÆ CARNUTENSIS.

Introitus. Dan. 3.

SACERDOTES Dei, benedícite Dóminum ; Sancti & húmiles corde, laudáte Deum, allelúja, allelúja. Psalm. 32 Exultáte, justi, in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui huic sanctæ Ecclésiæ, protegénte beáta Vírgine María, tot præfecísti Pontífices secúndum cor tuum, & fidéles minístros, quique cum illis tot oves cœlésti pábulo nutrítas ad ætérnam glóriam vocáre dignátus es : concéde, quæsumus; ut eórum doctrínæ & exémplis inhæréntes, immarcescíbilem corónam nos quoque percípere mereámur. Per Dóminum.

Commem. Dom. occurrentis, cujus Evangelium in fine legitur.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

JUSTI autem in perpétuum vivent, & apud Dóminum est merces eórum, & cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, & diadéma speciéi de manu Dómini : quóniam déxtera sua teget eos, & bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, & armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, & accípiet pro

gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale. Psalm. 123. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, & nos liberáti sumus : adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum & terram. Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. 67. Justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei : & delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 6.

In illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, & sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere, quia virtus de illo exíbat, & sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páuperes : quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis : quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis : quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, & exultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo. Credo.

Offertorium. Psalm. 149. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis : exaltatiónes Dei in fáucibus eórum. Allelúja.

Secreta.

Munera nostra apud tuam cleméntiam istórum ómnium Sanctórum comméndet orátio, quos de médio nostri ad cœléstem pátriam translátos ineffábili glória coronásti, & perénni pro nobis intercessióne apud te tríbuis subveníre. Per Dóminum.

Præfatio SS. Trinitatis. p. 195. vel 214.

Communio. I. Cor. 4. Jam saturáti estis, jam dívites estis; sine nobis regnátis, útinam & nos regnémus vobíscum.

Postcommunio.

Vigeat in hac Ecclésia tua, Deus, fídei intégritas, morum sánctitas, sincéra píetas & munda relígio : & quos Fílii tui Sacraméntis verbóque páscere non désinis, júgibus étiam ómnium Patronórum nostrórum dignéris favére præsídiis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

FESTA FIXA

FESTA NOVEMBRIS

DIE XXIX.

IN FESTO

SANCTI SATURNINI

EPISC. TOLOS. ET MART.

Missa **Sacerdótes.** de Comm. unius Martyr. Pont. p. iij. cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui per beátum Saturnínum, Mártyrem tuum atque Pontíficem, infidéles pópulos de ténebris ad lucem veritátis veníre tribuísti: da nobis, ejus intercessióne; in fide stábiles, ac in spe Evangélii, quod prædicávit, immóbiles permanére. Per Dóminum.

Commem. Vigiliæ S. Andreæ, Oratio **Quæsumus.** p. 309.

Deinde Feriæ.

Et alterius S. Saturnini, Mart. Oratio **Deus, qui nos.** p. 309.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: & ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

Commem. Vigiliæ, Secreta **Sacrándum.** p. 310.

Deinde Feriæ.

Et alterius S. Saturnini, Secreta **Múnera.** p. 310.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: &, intercedénte beáto Saturníno, Mártyre tuo atque Pontífice; cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Commem. Vigiliæ, Postcommunio **Percéptis.** p. 311. Deinde Feriæ.

Et alterius S. Saturnini, Postcommunio **Sanctíficet.** p. 311.

DIE XXX.

IN FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

COMMEMORATIO

SANCTI TUGDUALI

EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta & Postcommunio ut in Missa **Sacerdótes tui.** de Comm. Conf. Pont. p. xiv.

FESTA DECEMBRIS

DIE I.

IN FESTO

SANCTI ELIGII

EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. p. xiij. cum Commem. Feriæ.

DIE V.

IN FESTO

SANCTÆ BARBARÆ

VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar.** de Comm. Virg. & Mart. p. xx. præter Orat. seq.

Oratio.

Intercessio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ, Vírginis & Mártyris tuæ, nos ádjuvet: ut ante diem éxitus nostri, per veram pœniténtiam & puram confessiónem præparáti; sanctíssimum Sacraméntum córporis & sánguinis Dómini nostri Jesu Christi percípere mereámur: Qui tecum vivit.

Commem. Feriæ, & S. Sabbæ Abbatis, ut in Missali. p. 314.

DIE VII.

IN FESTO

SANCTI ANIANI

CARNUTEN. EPISC. ET CONF.

Missa **Sacerdótes tui.** de Comm. Conf. Pont. **p. xiv.** præter Orationes sequentes.

Oratio.

Da Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus : ut mérita sancti Epíscopi Aniáni pietátem tuam pro ipsa semper exórent; & fructum in nobis labórum ejus custódiant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. Feriæ.

Secreta.

Oblata múnera, quæsumus, Dómine, propítius súscipe, éaque víscera caritátis, quæ beáto Aniáno Pontífici tuo infudísti, fac nos pérpeti ejus suffrágio persentíre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. Feriæ.

Postcommunio.

Propitiare, Dómine, pópulo tuo : &, intercedénte beáto Aniáno Pontífice; perpétuæ misericórdiæ afflíctis ómnibus impénde subsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus.

Commem. Feriæ.

DIE IX.

IN FESTO

SANCTI AMBROSII

EPISC. CONF. ET DOCT.

Missa ut in Missali ad diem VII. hujus mensis. **p. 316.** cum Commem. Octav. & Feriæ.

DIE X.

IN FESTO

TRANSLAT. ALMÆ DOMUS

B. M. V.

Missa ut in Supplemento generali. **p. xc.**

DIE XVIII.

IN FESTO

EXPECTATIONIS PARTUS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Ut in Supplemento generali. **p. xcij.**

DIE XXV.

IN NATIVITATE DOMINI.

Ad Officium Matut. (in Choro tantum) post IX. Lect. cantatur Genealogia D. N. J. C. secundum Matth.

In Ecclesia Cathedrali, sub finem noni Psalmi Matutini, Diaconus, Subdiaconus, Crucifer, Acolythi & Thuriferarii cum aliis ministris adeunt Sacristiam ; ibique Diaconus, indutus amictu, alba, cingulo, manipulo, stola & dalmatica albi coloris, genibus flexis ante Crucifixum, dicit secreto : **Munda cor meum.** & **Jube, Domne, benedicere** ut in Missis privatis ante Evang. Proinde non petit benedictionem ab Hebdomario ut plurimum in Officio Chori impedito. His peractis, surgens Diaconus cum Subdiacono similiter induto, sine manipulo tamen, præcedente Crucifero cum Ceroferariis & Thuriferariis aliisque ministris, procedunt omnes processionaliter, Chorum a parte laterali ingrediuntur, & facta altari debita reverentia, statim vadunt ad inferiorem partem Chori, Thuriferariis continuo incensantibus, Diacono tenente utraque manu librum Evangelii elevatum. Postea Diaconus incensat librum & cantat Genealogiam : qua finita, inchoat Canticum **Te Deum.** & dat librum Subdiacono. Ipse vero junctis manibus ante pectus, omnesque alii ministri redeunt ad Sacristiam processionaliter & per eamdem viam, nec datur liber Evangeliorum osculandus. Tempore congruo, omnes e Sacrario redeunt ad Chorum cum Celebrante ad inchoandam primam Missam in media nocte.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi, filii David, filii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, & fratres ejus. Judas autem génuit Phares & Zaram, de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem, ex ea quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam & fratres ejus, in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis, Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud. Abíud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Elíud. Elíud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus qui vocátur Christus.

DIE XXVI.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMART.

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. MARTYRUM.

Orationes ut in Supplemento generali. p. xciij.

FESTA JANUARII

DIE III.

IN FESTO

SANCTÆ GENOVEFÆ

VIRGINIS.

Missa **Dilexísti.** de Comm. Virginum. **p. xxiij.** cum sequent. Orationibus.

Dicitur **Credo.** propter Octavam.

Oratio.

EFFUNDE super nos, Dómine, Spíritum agnitiónis & dilectiónis tuæ, quo ancíllam tuam Genovéfam implevísti : ut sédula ejus imitatióne, tibi sincére obsequéntes ; fide tibi & ópere placeámus. Per Dóminum.

De die Oct. S. Joannis Evang.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, Dómine, benígnus illústra : ut beáti Joánnis Apóstoli tui & Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Nulla fit Commem. de SS. Innocentibus.

Secreta.

OFFERENTIBUS tibi, Dómine, preces & múnera in honóre sanctæ Vírginis tuæ Genovéfæ; da nobis, ejus exémplo, perseveráre in innocéntia vitæ, in humilitáte pœniténtiæ, in mansuetúdine patiéntiæ. Per Dóminum.

De S. Joanne Evang.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio Apostolorum, propter Octav. S. Joannis.

Postcommunio.

PROSINT nobis, Dómine, quæsumus, ad salútem mentis & córporis, Sacraménta quæ súmpsimus : ut sicut in beáta Vírgine Genovéfa, te mirábilem

prædicámus; sic per ipsíus suffrágia, tuæ sumámus beneficéntiæ largitátem. Per Dóminum.

De S. Joanne Evang.

Postcommunio.

REFECTI cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices deprecámur: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur & précibus. Per Dóminum.

DIE V.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

COMMEMORATIO

S. SIMEONIS STYLITÆ

CONFESSORIS.

Primo loco fit Commemor. S. Simeonis.

Oratio.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Simeónis Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur.

Deinde S. Telesphori Papæ & Mart. p. 33. & 34.

Secreta.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnípotens Deus; ut nostræ humilitátis oblátio, & pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, & nos córpore páriter & mente puríficet.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus: intercedénte beáto Simeóne Confessóre tuo; per hæc contra ómnia advérsa muniámur.

DIE XV.

IN FESTO

SANCTI MALARDI

CARNUTENS. EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pontificis. **p. xiij.**

Et fit Commemoratio S. Mauri Abbatis. **p. 325.**

DIE XVII.

IN FESTO S. ANTONII ABBAT.

COMMEMORATIO

SANCTI SULPITII

EPISC. ET CONF.

Oratio **Da, quæsumus.** Secreta **Sancti tui.** Postcommunio **Præsta, quæsumus.** e Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pontif. **p. xiij.**

DIE XIX.

IN FESTO

S. LAUNOMARI ABBATIS.

Missa **Os justi.** de Comm. pro Abbatibus. **p. xix.** præter seq.

Oratio.

DEUS, bonórum óperum auctor & remunerátor, qui in beáto Launomáro Abbáte, humilitátis & pœniténtiæ nobis exémplar ostendísti: da, quæsumus; ut angústam viam, per quam ille præcéssit, fidéliter insisténtes, ad cœléste regnum perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Commem. SS. Martyrum Marii, Marthæ, Audifacis & Abachum: Oratio **Exáudi, Dómine. p. 328.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Luc. 18.

IN illo témpore: Interrogávit Jesum quidam Princeps, dicens: Magíster bone, quid fáciens vitam ætérnam possidébo? Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. Mandáta nosti: Non occídes; non mœcháberis; non furtum fácies; non falsum testimónium dices; honóra patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc ómnia custodívi a juventúte mea. Quo audíto, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: ómnia quæcúmque habes vende, & da paupéribus, & habébis thesáurum in cœlo; & veni, séquere me. His ille audítis, contristátus est: quia dives

erat valde. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit : Quam difficile, qui pecúnias habent, in regnum Dei intrábunt ! Facílius est enim camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in regnum Dei. Et dixérunt qui audiébant : Et quis potest salvus fíeri ? Ait illis : Quæ impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ait autem Petrus : Ecce nos dimísimus ómnia, & secúti sumus te. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est qui relíquit domum, aut paréntes, aut fratres, aut uxórem, aut fílios, propter regnum Dei, & non recípiat multo plura in hoc témpore, & in sæculo ventúro vitam ætérnam.

Secreta.

ACCEPTUM tibi sit, Dómine, nostræ servitútis offícium ; & præsta, ut beáti Launomári imitatióne, bona visibília contemnéntes, ad invisibília júgiter suspirémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

De SS. Martyribus, Secreta Preces, Dómine. p. 328.

Postcommunio.

HUJUS nobis, Dómine, percéptio Sacraménti : intercedénte beáto Launomáro; pacem tríbuat, fidem áugeat, corda puríficet, lumbos accíngat, & jánuam salútis apériat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus.

De SS. Martyribus, Postcommunio Sanctórum tuórum. p. 328.

DIE XXIII.

IN FESTO

DESPONSATIONIS B. M. V.

CUM SANCTO JOSEPH.

Missa ut in Supplemento generali. p. xciij.

Et fit Commem. S. Joseph, ante Commem. S. Emerentianæ.

DIE XXVI.

IN FESTO S. POLYCARPI.

COMMEMORATIO

SANCTÆ BATHILDIS

REGINÆ FRANC., VIDUÆ.

Oratio Exáudi. Secreta Accépta. Postcomm. Satiásti. e Missa Cognóvi. de Comm. nec Virginis nec Mart. p. xxvij.

DIE XXVII.

IN FESTO S. JOANNIS CHRYSOSTOMI.

COMMEMORATIO

SANCTORUM JULIANI

EPISC. ET CONF.

ET GILDUINI CONF.

De S. Juliano. Oratio.

DEUS, cujus ineffábili misericórdia beátus Póntifex Juliánus in Géntibus evangelizávit investigábiles divítias Christi : da nos, ejus intercessióne, créscere in sciéntia tua ; & in omni ópere bono fructificántes, secúndum Evangélii veritátem coram te ambuláre.

De S. Gilduino. Oratio.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Gilduíni Confessóris tui solemnitáte deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus ; ejus qui tibi plácuit précibus adjuvémur. Per Dóminum.

De sancto Juliano.

Secreta.

IPSE tibi, Deus, sacrifícium nostrum ófferat Póntifex confessiónis nostræ Jesus, qui minístrum suum Juliánum Spíritu caritátis implévit, ut pro grege sibi commísso leváret ad te puras manus, & seípsum tibi júgiter immoláret.

De sancto Gilduino.

Secreta.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnípotens Deus ; ut nostræ humilitátis oblátio, & pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, & nos córpore páriter & mente puríficet. Per.

De sancto Juliano.

Postcommunio.

BEATI Juliáni Pontíficis suffrágiis exorátus, ne permíttas nos, Dómine, animárum nostrárum detriméntum fácere : pro quibus Pastor bonus vitam suam in prétium, & carnem dedit in cibum Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster.

De sancto Gilduino.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus : intercedénte beáto Gilduíno Confessóre tuo; per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XXVIII.

IN FESTO

S. CYRILLI ALEXANDRINI

EPISC. ET CONF.

Missa In médio. de Comm. Doctorum. p. xvj. præter Orationes seq.

Oratio.

DEUS, qui ad debellándos Incarnáti Verbi tui Virginísque Deíparæ hostes, beátum Cyríllum Pontíficem tuum, mira virtúte præcinxísti : da ut ejus fídei vestígiis inhæréntes ; íntegra tanti mystérii confessióne salvémur. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Agnetis secundo, ut in Missali, ad hanc diem XXVIII. Januar. p. 334.

Secreta.

UNIGENITI tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas ; ut natus de Vírgine María, quam vere Dei Genitrícem esse monstrávit beátus Cyríllus, Ecclésiæ tuæ Póntifex, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster : Qui tecum.

Commemoratio S. Agnetis.

Postcommunio.

REFECTI Christi carne ac sánguine, & divínæ facti consórtes natúræ : quæsumus, Dómine Deus noster ; ut, interveniénte beáto Cyríllo Pontífice, in ea fide quam prædicávit, étiam ópere stábiles maneámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus.

Commem. S. Agnetis.

FESTA FEBRUARII

DIE IV.

IN FESTO

SANCTI AVENTINI

CARNUTEN. EPISCOPI ET CONF.

Missa Státuit de Comm. Conf. Pont. p. xiij. In Quadrages. Commem. Feriæ.

DIE VI.

IN FESTO

SANCTÆ JOANNÆ VALESIÆ

VIDUÆ.

Missa Exultábo. ut in Supplemento generali. p. xcix.

Commem. S. Dorotheæ, Virg. & Mart. per Orationes ut in Missali. p. 341.

DIE IX.

IN FESTO

SANCTI TITI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Omnia ut in Missali, die VI. hujus mensis. p. 341.

Omitt. Commem. S. Dorotheæ, & ejus loco dicitur Commem. S. Apolloniæ Virg. & Mart. per Orationes ut in Missali. p. 342.

DIE XI.

IN FESTO

SANCTI PAULI

PRIMI EREMITÆ.

In Missali, ad diem xv. Januarii. p. 324. sine Commem. S. Mauri ; sed fit Commem. Feriæ, si venerit in Quadrag.

DIE XII.
IN FESTO
SANCTI ANDREÆ CORSINI
EPISC. ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem IV. Februar. p. 340.

In Quadragesima Commem. Feriæ.

DIE XIII.
IN FESTO
SANCTI RAYMUNDI
DE PENNAFORT, CONFESS.

In Missali, ad diem XXIII. Jan. p. 330. sine Commem. S. Emerentianæ, cujus loco dicitur : ante Quadrag. secunda Oratio **A cunctis. p. lxij.** tertia ad libitum ; in Quadrag. secunda Oratio Feriæ occurrent. (cujus in fine legitur Evangelium , tertia **A cunctis.**

DIE XIV.
IN FESTO
SANCTI CANUTI
MARTYRIS.

In Missali, ad diem XIX. Januarii. p. 327.

Loco Commem. SS. Marii et Sociorum fit Commem. S. Valentini Presbyteri & Martyris, ut in Missali, hac die XIV. **p. 343.** Tertia Oratio **A cunctis.** p. **lxij.**

DIE XVI.
IN FESTO
SANCTÆ JULIANÆ
VIRG. ET MART.

Missa **Me expectavérunt.** de Comm. Virg. & Mart. secundo loco. **p. xxj.** præter Evangelium.

Ante Quadrag. secunda Oratio **A cunctis.** p. **lxij.** tertia ad libitum. In Quadrag. secunda Oratio de Feria , tertia **A cunctis.**

Evangelium **Accessérunt ad Jesum Pharisæi.** ut in Communi Virginis & Martyris. **p. xxij.**

DIE XXVI.
In anno bissextili XXVII.
IN FESTO
SANCTÆ MARGARITÆ
CORTONENSIS POENIT.

Missa **Cognóvi.** de Comm. pro nec Virg. nec Mart. **p. xxvij.** præt. seq.

Oratio.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti : eádem nobis miseratióne concéde ; ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Ante Quadrag. secunda Oratio **A cunctis.** p. **lxij.** tertia ad libitum.

In Quadrages. secunda Feriæ, tertia **A cunctis.**

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 3 & 8.

Surgam, & circuíbo civitátem : per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum & non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea vidístis ? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea : ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, & in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum ; quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Secreta.

Placationis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem elargiátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Postcommunio.

Uberes, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítiem nostri cordis emólliant : ut per hujus virtútem Sacraménti, débitas reátibus flammas incessánti fletu extinguámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

FESTA MARTII

DIE I.

IN FESTO

SANCTI ALBINI

EPISC. ET CONF.

Missa Sacerdótes. de Comm. Confessoris Pontificis. p. xiv.

Commem. Feriæ in Quadrag.

DIE XV.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

SUB TITULO

DE PARIETIBUS.

Introitus. Isaiæ 37.

Hæc dicit Dóminus : Prótegam civitátem istam, ut salvem eam propter me, & propter David servum meum. Psalm. 45. Deus noster refúgium & virtus : adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Inexpugnabili muro tuæ poténtiæ, quæsumus, Dómine, civitátem istam Carnuténsem ab ómnibus inimicórum insídiis defénde : & quam in honórem Matris tuæ Vírginis, primam apud Gallos de mystério tuæ Incarnatiónis edocéri voluísti; méritis ejúsdem Vírginis, in vínculo pacis unítam, ad cœléstem Jerúsalem transférre dignéris. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Et fit Commem. Feriæ.

Léctio libri Judith. Judith. 13.

Benedicta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cœlum & terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum : quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

Graduale. Judith. 15. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. ℣. Benedíxit te Deus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

Tractus. Psalm. 43. Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum, & in diébus antíquis. ℣. Salvásti enim nos de affligéntibus nos, & odiéntes nos confudísti. In Deo laudábimur in sæculum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

In illo témpore : Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, & exclamávit voce magna, & dixit : Benedícta tu inter mulíeres, & benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : & exultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitá-

tem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus. Credo.

Offertorium. Judith. 16. Omnis pópulus post victóriam venit adoráre Dóminum; & obtulérunt omnes holocáusta, & vota, & repromissiónes suas.

Secreta.

SACRIFICIUM pro collátis nobis, intercessióne beátæ Dei Genitrícis, benefíciis, tibi, Dómine, offeréntes; supplíciter exorámus, ut civitátem istam Carnuténsem, sacratissimúmque templum ab omni infésto casu tueáris, civésque in perpétua pace & fide vera custódias. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Commemoratio Feriæ.

Præfatio de beata Maria. Et te in Commemoratióne. p. 198. vel 215.

Communio. Judith 19. Dies autem victóriæ hujus festivitátis in número sanctórum diérum accípitur, & cólitur ex illo témpore usque in præséntem diem.

Postcommunio.

DIVINIS reexcti munéribus, & ab hóstium formídine, beátæ Maríæ Vírginis protectióne liberáti: te, Dómine, deprecámur; ut nostras grátiarum actiónes benígne suscípias, nobísque mútuam caritátem, et in tuo servítio perseverántiam largiáris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Et fit Commemor. Feriæ, cujus Evangel. in fine legitur.

DIE XVIII.

IN FESTO

SANCTI GABRIELIS

ARCHANGELI.

Missa ut in Supplemento generali. p. cxiij.

FESTA APRILIS

DIE III.

IN FESTO

SANCTÆ MARIÆ EGYPTIÆ

POENITENTIS.

Introitus. Psalm. 118.

ME expectavérunt peccatóres ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi. Omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. (T. P. Allelúja, allelúja.) Psalm. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

LARGIRE nobis, miséricors Deus: ut beáta María quæ, te super ómnia diligéndo, suórum accépit véniam delictórum; pœniténtiæ salútaris dónum nobis obtíneat. Per Dóminum.

Commem. Feriæ in Quadrag.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 54.

IN moménto indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper a te, & in misericórdia sempitérna misértus sum tui, dixit Redémptor tuus Dóminus. Sicut in diébus Noe istud mihi est, cui jurávi ne indúcerem aquas Noe ultra super terram: sic jurávi ut non iráscar tibi, & non íncrepem te. Montes enim commovebúntur, & colles contremíscent: misericórdia autem mea non recédet a te, & fœdus pacis meæ non movébitur: dixit miserátor tuus Dóminus.

Post Septuagesimam:

Graduale. Jerem. 31. Tu, Domine, Deus meus: postquam enim convertísti me, egi pœniténtiam. ℣. Erúbui, quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ.

Tractus. Ps. 4. Delícta juventútis meæ & ignorántias meas ne memíneris. ℣. Dulcis & rectus Dóminus: propter hoc legem dabit delinquéntibus in

via. ℣. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo.

Tempore Paschali, omissis Graduali & Tractu, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Rom. 5. Ubi abundávit delíctum, superabundávit grátia. Allelúja. ℣. Ps. 55. Veníte, audíte, & narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro, quem qui invénit homo abscóndit, & præ gáudio illíus vadit, & vendit univérsa quæ habet, & emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, & véndidit ómnia quæ hábuit, & emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, & ex omni génere píscium congregánti, quam cum impléta esset, educéntes, & secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli, & separábunt malos de médio justórum, & mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus & stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias qui profert de thesáuro suo nova & vétera.

Offertorium. Psalm. 50. Sacrifícium Deo spíritus contribulátus; cor contrítum & humiliátum, Deus, non despícies. (Temp. Pasch. Allelúja.)

Secreta.

Propitiare, Dómine, iniquitátibus nostris, per intercessiónem beátæ Maríæ : ut percépta vénia quam precámur, perpétuo misericórdiæ tuæ múnere gloriémur. Per Dóminum.

Communio. Eccli. 17. Quam magna misericórdia Dómini, & propitiátio illíus converténtibus ad se! (Temp. Pasch. Allelúja.)

Postcommunio.

Deus, qui Córporis tui viáticum, in signum perféctæ reconciliatiónis, Maríæ pœniténti largíri voluísti : præsta, quæsumus; ut qui hoc tuæ caritátis pignus accépimus, tanti benefícii fructum fidéliter conserváre mereámur. Qui vivis & regnas.

DIE X.

IN FESTO

SANCTI FULBERTI

EPISC. CARNUT. ET CONFESS.

Introitus. Eccli. 39.

Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ ; ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur. (Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.) Ps. 70. Deus, docuísti me a juventúte mea : usque nunc pronuntiábo mirabília tua. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Fulbérti Confessóris tui atque Pontíficis, illumináre dignátus es méritis & doctrínis: concéde, propítius; ut, ejus exémplo, lectióni & doctrínæ attendéntes, vitam percípere mereámur ætérnam. Per Dóminum.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 39.

Sapiens cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, & in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, & pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum : & ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, & in oratióne confitébitur Dómino : & ipse díriget consílium ejus & disciplínam, & in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam

fáciet disciplínam doctrínæ suæ, & in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, & usque in sæculum non delébitur; non recédet memória ejus, & nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, & laudem ejus enuntiábit Ecclésia.

Post Septuagesimam :

Graduale. Eccli. 47. De omni corde suo laudávit Dóminum; & stare fecit cantóres contra altáre; & in sono eórum dulces fecit modos. ℣. Dedit in celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini, & amplificárent mane Dei sanctitátem.

Tractus. Psalm. 25. Circúmdabo altáre tuum, Dómine, ut áudiam vocem laudis, & enárrem univérsa mirabília tua. ℣. Dómine, diléxi decórem domus tuæ, & locum habitatiónis glóriæ tuæ. ℣. Ego in innocéntia mea ingréssus sum; rédime me, & miserére mei.

Tempore Paschali, omissis Graduali & Tractu, dicitur :

Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. 93. Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine, & de lege tua docúeris eum. Allelúja. ℣. Matth. 5. Qui fécerit & docúerit, hic magnus vocábitur in regno cœlórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte: quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Ideo & vos estóte paráti: quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus & prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem : Amen, dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. II. Mach. 14. Tu, Dómine universórum, voluísti templum habitatiónis tuæ fieri in nobis. Consérva in ætérnum impollútam domum istam, quæ nuper mundáta est. (T. P. Allelúja.)

Secreta.

In conspéctu tuo, quæsumus, Dómine, tália nostra sint múnera, quália majestáti tuæ óbtulit beátus Póntifex tuus Fulbértus: quæ & placére tibi váleant, & nos tibi placére perfíciant. Per Dóminum.

Communio. II. Paral. 2. Si cœlum & cœli cœlórum cápere eum néqueunt, quantus ego sum ut possim ædificáre ei domum? (T. P. Allelúja.)

Postcommunio.

Deus, qui eádem esca mirábili & oves nutris & pastóres : da ut óvium mansuetúdinem & docilitátem inde hauriámus; unde beátus Póntifex Fulbértus pastóris hausit sollicitúdinem & caritátem. Per Dóminum.

DIE XII.

IN FESTO

SANCTI ODILONIS

ABBATIS.

Missa Os justi. de Communi pro Abbatibus. p. xix. præter Evangelium, quod dicitur ut infra.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ occurrentis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 11.

In illo témpore : Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli & terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus & prudéntibus, & revelásti ea párvulis. Ita Pater; quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, & cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me

omnes, qui laborátis & oneráti estis, & ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, & díscite a me quia mitis sum & húmilis corde; & inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, & onus meum leve.

DIE XIV.

IN FESTO

S. BERNARDI TIRONENSIS

ABBATIS.

Missa **Os justi.** de Comm. pro Abbatibus. **p. xix.** præter Orationes & Epistolam sequent.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Deus noster, beáti Abbátis Bernárdi intercessiónibus sublevári: ut per quem servis tuis perfectiónis Evangélicæ documénta donásti; per eum nobis subsídia perpétuæ salútis impéndas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Fit Commem. Feriæ in Quadrag. Deinde SS. Tiburtii & Soc. Mart. p. 357.

Tempore autem Paschali, Commem. SS. Martyrum, & tertia Oratio **Concéde nos.** p. 239.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8.

Fratres: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe; quia & ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit & párturit usque adhuc, non solum autem illa, sed & nos ipsi primítias Spíritus habéntes: & ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei expectántes, redemptiónem córporis nostri.

Secreta.

Ut nosmetípsos tibi, Dómine, in hoc venerábili sacrifício discámus totos devovére: eam nobis beátus Bernárdus Abbas ímpetret grátiæ tuæ benedictiónem, qua se, suos, súaque ómnia propter te derelínquere & ipse méruit, & álios dócuit. Per.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Bernárdum in solitúdinem duxísti, ut multórum tibi in Christo pater efficerétur filiórum: Eucharísticum manna degustántibus, da in hac terra viam tuam agnóscere, & ad réquiem tuam felíciter perveníre. Per eúmdem Dóminum.

DIE XVIII.

IN FESTO

B. MARIÆ AB INCARNATIONE

VIDUÆ.

Missa **Cognóvi.** de Communi nec Virginis nec Martyris. **p. xxvij.** præter Orationem sequent.

Oratio.

Deus, qui beátam Maríam ardénti honóris tui zelo, & mirábili in advérsis fortitúdine roborásti: ejus intercessióne concéde; ut advérsa ómnia fórtiter toleráre valeámus, & in sanctæ tuæ religiónis amóre persístere. Per.

Secunda Orat. **Concéde nos;** tertia **Ecclésiæ.** vel pro Papa. **p. 239.**

Epistola **Víduas honóra.** secundo loco. **p. xxviij.**

DIE XXIV.

IN FESTO S. FIDELIS A SIGMARINGA.

COMMEMORATIO S. DEODATI ABBATIS.

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis: da nobis, exémplo & intercessióne beáti Deódati, cujus hódie tránsitum celebrámus; temporália ómnia despícere, & ad ætérna tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Secreta.

Munera nostra ad altáre tuum offeréntes, te, Dómine, supplíciter exorámus; ut exémplo beáti Deódati, carnem nostram cum vítiis & concupiscéntiis crucifigéntes, Christi cum ipso cohærédes efficiámur. Qui tecum vivit & regnat.

Postcommunio.

Absconde nos, Dómine, in abscóndito faciéi tuæ Córporis tui sacraménto munítos: ut imitatióne sancti Deódati; in lege tua die ac nocte meditántes, delíciis pérfrui mereámur ætérnis. Qui vivis & regnas.

DIE XXX.

IN FESTO S. CATHARINÆ SENENSIS.

COMMEMORATIO

SANCTI ADJUTORIS CONF.

Oratio.

Quærentium te, Dómine, salvátor & custos, qui beáto Adjutóri, ne párticeps esset coinquinatiónis, renuntiáre sæculo, & sub alas tuas confúgere tribuísti: ejus intercessióne; da pópulo tuo diabólica vitáre contágia, & te solum Dóminum pura mente sectári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Secreta.

Ut tuis, Dómine, digne famulémur altáribus, omnem a nobis ámove rerum terrenárum cupiditátem; & beáti Adjutóris fac imitémur exémpla, in cujus honóre hanc immaculátam hóstiam tuæ offérimus majestáti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

Per hujus virtútem sacraménti, quæsumus, Dómine, tríbue nobis, beáti Adjutóris exémplo, júgiter in tua dilectióne profícere: & opus bonum quod cœpísti in nobis, ipse perfícias usque in diem Christi Jesu: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti.

FESTA MAJI

DIE VII.

IN FESTO S. STANISLAI EP. ET MART.

COMMEMORATIO

SANCTÆ MAXIMÆ

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Oratio **Deus, qui inter cætera.** Secreta **Súscipe, Dómine, múnera.** Postcommnnio **Auxiliéntur nobis.** e Missa **Loquébar.** de Communi Virginum, primo loco. p. **xx.**

DIE IX.

IN FESTO S. GREGORII NAZIANZENI.

COMMEMORATIO

S. BEATI ANACHORETÆ.

Oratio.

Præsta, Dómine, plebi tuæ, sancti Beáti Confessóris tui méritis & intercessióne: ut bonis inténta semper opéribus, in tua grátia persevéret. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, in tuórum honóre Sanctórum: quibus nos & præséntibus éxui malis confídimus, & futúris. Per.

Postcommunio.

Refecti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur & précibus. Per Dóminum.

DIE XI.

IN FESTO

SANCTI MAMERTI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa **Sacerdótes.** de Communi Confessoris Pontificis, secundo loco. p. xiv. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Clamantes ad te, quæsumus, Dómine, dignánter exáudi: ut sicut ad preces beáti Pontíficis Mamérti,

pópulo tuo in afflictióne pósito pepercísti; ita & nobis, ejus intercessióne, in omni tribulatióne succúrras. Per.

Secreta.

VOTIVA tibi, Dómine, múnera offérimus, in festivitáte beáti Mamérti: nos, quæsumus, eo supplicánte, ab iracúndiæ tuæ flagéllis líbera, & misericórdiæ fac largitáte secúros. Per Dóminum.

Postcommunio.

SIT nobis, Dómine, tutéla mentis & córporis, quod in commemoratióne sancti Mamérti de sacri altáris tui benedictióne percépimus: ut nullis adversitátibus premámur; qui tanti mystérii participatióne munímur. Per Dóminum nostrum.

DIE XV.

IN FESTO

S. ISIDORI AGRICOLÆ

CONFESSORIS.

Missa ut in Supplemento generali. p. xxj.

DIE XVI.

IN FESTO

IN FESTO S. EMANI

MARTYRIS.

Tempore Paschali, Missa Protexísti me. pro uno Mart. p. vj.cum sequent. Orationibus & Evangelio.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti Emáni Mártyris tui natalítia cólimus; intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, quia plorábitis & flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos vero contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier, cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ, propter gáudium, quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis: íterum autem vidébo vos, & gaudébit cor vestrum, & gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Secreta.

MUNERIBUS nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis; & cœléstibus nos munda mystériis, & clementer exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio.

DA, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

¶ Si festum transferatur post Pentecosten, Missa In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pontif. p. iv. cum Evangelio præcedenti.

DIE XX.

IN FESTO

SANCTI IVONIS

CARNUTENSIS EPISC. ET CONF.

Introitus Eccl. 49.

DIRECTUS est in pœniténtiam gentis, gubernávit ad Dóminum cor ipsíus, & in diébus peccatórum corroborávit pietátem. (Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.) Psalm. 88. Misericórdias Dómini: in ætérnum cantábo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

ESTO nobíscum, Dómine, & líbera nos beáti Pontíficis Ivónis intercessióne placátus: quem in domo tua lucérnam ardéntem & lucéntem constituísti. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 45.

FACTUM est illi in testaméntum ætérnum, & sémini ejus sicut dies cœli, fungi sacerdótio, & habére laudem, &

glorificáre pópulum suum in nómine ejus. Ipsum elégit áb omni vivénte offérre sacrifícium Deo, incénsum & bonum odórem, in memóriam placáre pro pópulo suo : & dedit illi in præcéptis suis potestátem, in testaméntis judiciórum, docére Jacob testimónia, & in lege sua lucem dare Israel.

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. ℣. I. Mach. 2. **Pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Allelúja.** ℣. Psalm. 104. **Corrípuit pro eis reges, donec veníret verbum ejus. Allelúja.**

Si celebretur post Pentecosten:

Graduale. Eccli. 50. **Quasi stella matutína in médio nébulæ, & quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei.** ℣. **Quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt fílii Aaron. Allelúja, allelúja.** ℣. I. Mach. 2. **Pater noster, zelándo zelum Dei, accépit testaméntum sacerdótii ætérni. Allelúja.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** Matth. 10.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Omnis qui confitébitur me coram homínibus, confitébor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est : qui autem negáverit me coram homínibus, negábo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram : non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, & fíliam advérsus matrem suam, & nurum advérsus socrum suam : & inimíci hóminis, doméstici ejus.

Offertorium. Eccli. 50 **Consummatióne fungens in ara, porréxit manum suam in libatióne, & libávit de sánguine uvæ : effúdit in fundaménto altáris odórem divínum excélso Príncipi.** (Temp. Pasch. **Allelúja.**)

Secreta

Deus, qui in Ecclésia tua beátum Ivónem Pontíficem lucére simul & ardére fecísti : oblátis inténde munéribus; ut lúmine & igne ex eis concépto, dicátæ tibi famíliæ devótio júgiter augeátur. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 104. **Auxit pópulum suum veheménter, & firmávit eum : convértit cor eórum.** (Tempore Pasch. **Allelúja.**)

Postcommunio.

Altaris tui, Dómine, pastos munéribus : eo caritátis ardóre confírma; quo beátus Póntifex Ivo te solum Dóminum in ómnibus pura mente sectátus est. Qui vivis & regnas.

DIE XXI.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI

MARTYRIS.

Missa **Dedit mihi.** ut in Supplem. generali. **p. cxxj.** præter :

Evangelium **Nihil est opértum.** de Comm. unius Mart. **p. v.**

DIE XXII.

IN FESTO

SANCTI UBALDI

EPISC. ET CONF.

In Missali ad diem XVI. Maji p. 373.

DIE XXIII.

IN FESTO

S. BERNARDINI SENENSIS

CONFESSORIS.

In Missali ad diem XX. huj. **p. 374.**

DIE XXIV.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Ut in Supplemento generali. **p. cxxv.**

Fit Commemoratio SS. Donatiani & Rogatiani Martyrum.

Oratio.

PRÆSTA, Dómine, précibus nostris cum exultatióne provéntum: ut sanctórum Mártyrum Donatiáni & Rogatiáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus; étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

SANCTORUM Mártyrum tuórum Donatiáni & Rogatiáni, quæsumus, Dómine, tibi grata conféssio & múnera nostra comméndet, & tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine Deus noster: ut beatórum Mártyrum tuórum Donatiáni & Rogatiáni deprecatiónibus; sacraménta sancta quæ súmpsimus, ad tuæ nobis prosint placatiónis augméntum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXVIII.

IN FESTO

SANCTI CARAUNI

MARTYRIS.

Introitus. Isaiæ 66.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam; & annuntiábunt glóriam meam géntibus. (Tempore Paschali. Allelúja, allelúja.) Psalm. 95. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, cujus ineffábili misericórdia beátus Caráunus nobis evangelizávit investigábiles divítias Christi: da nos, ejus intercessióne, créscere in sciéntia tua; & in omni ópere bono fructificántes, secúndum Evangélii veritátem coram te ambuláre. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Fit Commem. S. Germani Episc. & Confessoris.

Oratio.

DEUS, Sanctórum tuórum splendor mirábilis, qui hanc diem beáti Germáni Pontíficis depositióne consecrásti: da Ecclésiæ tuæ ejus natalítiis gaudére; ut apud misericórdiam tuam exémplis ejus protegámur & méritis. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 3.

FRATRES: Quid est Apóllo? Quid vero Paulus? Minístri ejus cui credidístis, & unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit, sed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat; sed qui increméntum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres; Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui; álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujúsque opus maniféstum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujúsque opus quale sit, ignis probábit.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. ℣. Act. 26. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. Allelúja. ℣. I. Cor. 4. In Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. Rogo ergo vos, imitatóres mei estóte, sicut & ego Christi. Allelúja.

Si celebretur post Pentecosten :

Graduale. Act. 26. In Gentes ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertántur a ténebris ad lucem, & de potestáte Sátanæ ad Deum. ℣. Ut accípiant remissiónem peccatórum, & sortem inter sanctos, per fidem quæ est in me. Allelúja, allelúja. ℣. Ibid. Auxílio adjútus Dei, géntibus annuntiábam, ut pœniténtiam ágerent, & converteréntur ad Deum, digna pœniténtiæ ópera faciéntes. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos : quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis; sed ego elégi vos, & pósui vos ut eátis, & fructum afferátis, & fructus vester máneat ; ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium. I. Cor. 2. Nos non spíritum hujus mundi accépimus, sed spíritum qui ex Deo est ; & lóquimur, non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus. (Temp. Pasch. Allelúja.)

Secreta.

Benedictio tua, Dómine, super hæc múnera descéndat, quæ in solemnitáte sancti Mártyris tui Caráuni majestáti tuæ offérimus : & præsta ut dignas super inenarrábili dono fidei grátias tibi referéntes, quod mente crédimus, corde sectémur & ópere impleámus. Per Dóminum.

De S. Germano. Secreta.

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent ; ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Act. 9. Ecclésia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, & consolatióne Sancti Spíritus replebátur. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio.

Per hujus operatiónem mystérii, Dómine, confírma nos fámulos tuos in fide veritátis : ut eam ubíque ore & ópere confiteámur ; per quam gloriósus Martyr Caráunus, pro Unigénito tuo & pro nobis ánimam suam pósuit. Per Dóminum.

De S. Germano. Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes ; intercedénte beáto Germáno Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per.

DIE XXIX.

IN FESTO

SS. MARIÆ JACOBI ET MARIÆ SALOME VIDUARUM.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sanctárum Sorórum : de quarum solemnitáte gaudent Angeli, & colláudant Fílium Dei. (Temp. Pasch. Allelúja, alleluja.) Psalm. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, Dómine Jesu Christe, sanctárum Maríæ Jacóbi & Maríæ Sálome piis patrocíniis adjuvári : quæ tibi tam vivénti quam mórtuo studuérunt devótis obséquiis famulári. Qui vivis.

Commem. S. Maximini Ep. Conf.

Oratio.

Exaudi, quæsumus, Dómine, preces nóstras, quas in beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontíficis so-

lemnitáte deférimus : & qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ; ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3.

In léctulo meo per noctes quæsívi quem díligit ánima mea ; quæsívi illum & non invéni. Surgam & circuíbo civitátem : per vicos & platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum & non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea vidístis ? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea. Ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, & in cubículum genitrícis meæ.

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 28. Surréxit Dóminus, & occúrrens muliéribus ait : Avéte. Tunc accessérunt & adoravérunt eum. Allelúja. ℣. O flores florum, gemináta lucérna Sorórum, sursum vestrórum deférte preces famulórum. Allelúja.

Si celebretur post Pentecosten :

Graduale. Psalm. 47. Lætétur mons Sion, & exúltent fíliæ Judæ propter judícia tua, Dómine. ℣. Psalm. 44. Fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur. Allelúja, allelúja. ℣. O flores florum, gemináta lucérna Sorórum, sursum vestrórum deférte preces famulórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

In illo témpore : Cum transísset sábbatum, María Magdaléne, & María Jacóbi & Sálome emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. Et dicébant ad ínvicem : Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti ? Et respiciéntes vidérunt revolútum lápidem. Erat quippe magnus valde. Et introeúntes in monuméntum, vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, & obstupuérunt. Qui dicit illis : Nolíte expavéscere ; Jesum quæritis Nazarénum, crucifíxum : surréxit, non est hic ; ecce locus ubi posuérunt eum. Sed ite, dícite discípulis ejus & Petro, quia præcédit vos in Galilæam : ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis.

Offertorium. Angelus Dómini descéndit de cœlo, & dixit muliéribus : Quem quæritis, surréxit, sicut dixit. Temp. Pasch. Allelúja.)

Secreta.

Domine Jesu Christe, qui in ara crucis te veram hóstiam pro salúte humáni géneris obtulísti : munus oblátum tibi sanctífica ; &, intercedéntibus beátis María Jacóbi & María Sálome, ad salútem nostrárum tránseat animárum. Qui vivis.

De S. Maximino. Secreta.

Sancti Maximíni Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos ; ut per hæc piæ placatiónis officia, & illum beáta retribútio comitétur, & nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. In die resurrectiónis meæ, dicit Dóminus, præcédam vos in Galilæam. (T. P. Allelúja.)

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis, te súpplices exorámus : ut méritis & précibus mulierum sanctárum, quæ emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum Christum ; virtútum aromátibus inungámur. Qui tecum.

De S. Maximino. Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum : præsta, ut beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

¶ Missa S. Angelæ Mericiæ reperitur in Missali. p. 378.

FESTA JUNII

DIE II.

IN FESTO

SANCTORUM POTHINI,

EPISCOPI,

BLANDINÆ VIRG.

ET ALIORUM MART.

Temp. Paschali, Missa **Sancti tui.** de Comm. p. ciij. Si celebretur post Pentecosten, Missa **Intret.** p. ix.

Orationes & Evangel. ut infra.

Oratio.

MARTYRUM tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínæ Vírginis & Sociórum solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut in tua caritáte radicáti & fundáti; passiónes hujus témporis, amóre illíus glóriæ quæ reveláanda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. Per.

Fit Commem. SS. Mart. Marcellini, Petri & Erasmi: Oratio **Deus, qui nos ánnua.** p. 379.

Tertia Oratio, Temp. Pasch. **Concéde nos.** p. 239. post Pentecost. **A cunctis.** p. lxij.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Lucæ 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, & post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis. Timéte eum, qui, postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, & unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed & capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére; multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, & Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Secreta

ADESTO, Dómine, munéribus nostris: & præsta, ut sicut unánimis píetas beatórum Mártyrum tuórum, nobis indivíduæ caritátis præbet exémplum; sic spíritum grátiæ tuæ quo júgiter muniámur, semper implóret. Per.

Pro SS. Martyribus, Secreta **Hæc hóstia.** p. 380.

Postcommunio.

DEUS, cujus virtútis esse cognóscimus, ut sancti Mártyres tui ánimas suas odiéndo dilígerent, & perdéndo servárent: præsta, ut per hujus participatiónem mystérii; ad tantæ fídei exémpla sectánda, & eórum beáta recordátio nos íncitet, & orátio digna perdúcat. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus, Postcommunio **Sacro múnere.** p. 380.

DIE III.

IN FESTO

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ, VIDUÆ.

Introitus. Prov. 31.

MULIER timens Dóminum, ipsa laudábitur: date ei de fructu mánuum suárum, & laudent eam in portis ópera ejus. (Temp. Pasch. **Allelúja, allelúja.**) Psalm. 127. **Beáti omnes qui timent Dóminum: qui ámbulant in viis ejus.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

RESPICE, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium: & quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iísdem per ejus intercessiónem, tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 7.

FRATRES: Si qua mulier fidélis habet virum infidélem, & hic conséntit habitáre cum illa, non dimíttat virum; sanctificátus est enim vir infidélis per

mulierem fidélem, & sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem; alióquin fílii vestri immúndi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si infidélis discédit, discédat; non enim servitúti subjéctus est frater aut soror in hujúsmodi: in pace autem vocávit nos Deus. Unde enim scis, múlier, si virum salvum fácies? aut unde scis, vir, si mulíerem salvam fácies? Nisi unicuíque sicut divísit Dóminus, unumquémque sicut vocávit Deus, ita ámbulet.

Tempore Paschali:

Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. 44. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, & regna. Allelúja. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja.

Si celebretur post Pentecosten:

Graduale. Ibid. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, & mansuetúdinem, & justítiam: & dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja, allelúja. ℣. Spécie tua & pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, & regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 13.

IN illo témpore: Dicébat Jesus hanc similitúdinem: Cui símile æstimábo regnum Dei? Símile est ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ sata tria, donec fermentarétur totum. Et ibat per civitátes & castélla docens, & iter fáciens in Jerúsalem. Ait autem illi quidam: Dómine, si pauci sunt qui salvántur? Ipse autem dixit ad illos: Conténdite intráre per angústam portam: quia multi, dico vobis, quærent intráre, & non póterunt.

Offertorium. Psalm. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis; proptérea benedíxit te Deus in ætérnum & in sæculum sæculi. (T. P. Allelúja.)

Secreta.

EXAUDI, Dómine, obláti virtúte múneris, pópulum sub patrocínio Regínæ suæ sanctæ tibi supplicántem, regnúmque quod tibi subjécit perpétua protectióne custódi. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ibid. Dilexísti justítiam & odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. (Temp. Pasch. Allelúja.)

Postcommunio.

AUXILIENTUR nobis, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: & quos per beátam Clotíldem ad cœléste regnum vocáre dignátus es; ejúsdem fac regni possessióne felíces. Per Dóminum nostrum.

DIE V.

IN FESTO

B. M. V. DE GRATIA.

Introitus. Psalm. 44.

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi, in lætítia & exultatióne. (Tempore Paschali. Allelúja, allelúja.) Psalm. ibid. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui humáno géneri, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut quam grátiæ Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: & flores mei, fructus honóris & honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, & timóris, & agnitiónis, & sanctæ spei. In me grátia omnis viæ & veritátis; in me omnis

spes vitæ & virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, & a generatiónibus meis impléminí. Spíritus enim meus super mel dulcis, & hæréditas mea super mel & favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: & qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : & qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale **Benedícta & venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris, invénta es Mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo. Allelúja, allelúja. ℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúja.**

Tempore Paschali :

Allelúja, allelúja. ℣. Virga Jesse flóruit: Virgo Deum & hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja. ℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

Evangelium **Missus est.** ut in Missa votiva de S. Maria, ab Adventu usque ad Nativitatem Domini. **p. xl.**

Credo.

Offertorium. **Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, & benedíctus fructus ventris tui.** (Temp. Pasch. **Allelúja.**)

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, & beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem & pacem. Per.

Præfatio de B. Maria. **Et te in Festivitáte.** p. 198. vel 215.

Communio. **Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.** (Temp. Pasch. **Allelúja.**)

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis : da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE VIII.

IN FESTO

SANCTI MEDARDI

EPISC. ET CONF.

Missa **Sacerdótes.** de Communi Confessoris Pontificis, secundo loco. **p. xiv.**

DIE XVI.

IN FESTO

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS

CONFESSORIS.

Missa **Os justi.** de Comm. Conf. non Pont. **p. xvij.** præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Francíscum Confessórem tuum mirábili caritáte & invícta patiéntia decorásti : concéde propítius ; ut ejus exémplis instrúcti & intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum.

Pro Commemorat. SS. Cyrici & Julittæ Martyrum.

Oratio.

Pietatem tuam, Dómine, súpplices deprecámur : ut dum sanctórum Cyrici & Julíttæ matris ejus passiónem cólimus; peccatórum véniam consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hoc sacrifícium singuláre, quod in honóre sanctórum Mártyrum tuórum Cyrici & Julíttæ tibi offérimus, caritátem nobis infúndat, & inexpugnábile præsídium fiat. Per.

Postcommunio.

MARTYRUM tuórum Cyrici & Julíttæ festa celebrántibus, prosint nobis, quæsumus, Dómine, percépta sacraménta: & Sanctis tuis, quibus conférre dignátus es in passióne virtútem; intercedéndi pro nobis tríbue facultátem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XVII.

IN FESTO

SANCTI AVITI

ABBATIS.

Missa **Os justi.** de Communi pro Abbatibus. **p. xix.**

Orationes & Evangel. ut infra.

Oratio.

DEUS, qui ómnia pro te relinquéntibus, in hoc sæculo céntuplum, & in futúro vitam ætérnam promisísti: concéde propítius; ut sancti Avíti Abbátis vestígiis inhæréntes, peritúra contemnámus, & ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 18.

IN illo témpore: Interrogávit Jesum quidam princeps, dicens: Magíster bone, quid fáciens vitam ætérnam possidébo? Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus. Mandáta nosti: Non occídes; Non mœcháberis; Non furtum fácies; Non falsum testimónium dices; Honóra patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc ómnia custodívi a juventúte mea. Quo audíto, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: ómnia quæcúmque habes vende, & da paupéribus, & habébis thesáurum in cœlo: & veni, séquere me. His ille audítis, contristátus est, quia dives erat valde. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecúnias habent, in regnum Dei intrábunt! Facílius est enim camélum per forámen acus transíre, quam dívitem intráre in regnum Dei. Et dixérunt qui audiébant: Et quis potest salvus fieri? Ait illis: Quæ impossibília sunt apud hómines, possibília sunt apud Deum. Ait autem Petrus: Ecce nos dimísimus ómnia, & secúti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui relíquit domum, aut paréntes, aut fratres, aut uxórem, aut fílios, propter regnum Dei, & non recípiat multo plura in hoc témpore, & in sæculo ventúro vitam ætérnam.

Secreta.

UT tuis, Dómine, digne famulémur altáribus, omnem a nobis ámove rerum terrenárum cupiditátem; & beáti Avíti fac imitémur exémpla, in cujus honóre hanc immaculátam hóstiam tuæ offérimus majestáti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus.

Postcommunio.

DEUS, cujus grátia beátus Avítus Abbas terréna despíciens, ineffabílibus méruit pasci delíciis: præsta, quæsumus; ut sacraménti tui suavitáte recreáti, quæ sursum sunt, non quæ super terram, sapiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus.

DIE XX.

IN FESTO

SS. GERVASII ET PROTASII

MARTYRUM.

Missa ut in Missali, ad diem xix. hujus mensis. **p. 387.**

Et fit Commem. S. Silverii Papæ & Mart. ut in Missali. p. 387.

DIE XXIX.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

COMMEMORATIO OMN. SS. APOSTOLORUM.

Orationes ut in Supplemento generali. **p. cxxxj.**

FESTA JULII

DIE III.

IN FESTO

SANCTÆ MONEGUNDIS

VIDUÆ.

Missa **Cognóvi.** de Comm. nec Virg. nec Mart. **p. xxvij.**

Commem. Octavæ SS. Apostolorum. **p. 403.** Tertia Oratio **Concéde.** p. **239.**

DIE IV.

IN FESTO

ORDINAT. ET TRANSLATIONIS

SANCTI MARTINI

EPISC. ET CONF.

Missa ut in die Festi, XI. Novembris. **p. 485.** præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui in beáto Martíno Pontífice, sive per vitam, sive per mortem magnificátus es : ínnova éadem grátiæ tuæ mirácula in córdibus nostris; ut neque mors, neque vita separáre nos possit a caritáte Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit & regnat.

Commem. Octavæ SS. Apostolorum. **p. 403.** Tertia Oratio **Concéde.** p. **239.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Lucæ 11.

In illo témpore : Turbis concurréntibus cœpit Jesus dícere : Nemo lucérnam accéndit, & in abscóndito ponit, neque sub módio; sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus; si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit : si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, & sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Secreta.

Accedentibus ad altáris tui treménda mystéria eúmdem, quæsumus, Dómine, timóris & amóris spíritum infúnde; quo beátus Martínus venerándum sacerdótii ministérium & reformidávit oblátum, & impósitum fidéliter implévit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Da nobis, Dómine, unitátis sacraménto reféctis, veram in ómnibus cum tua voluntáte concórdiam : ut sicut beátus Martínus totum se tibi, sive ad vitam, sive ad mortem subjécit; ita & nos, sive vivámus, sive moriámur, tui esse gloriémur. Per Dóminum nostrum.

DIE V.

IN FESTO

IN FESTO S. IRENÆI

EPISC. ET MART.

Missa ut in Supplemento generali, die IV. huj. **p. cxxxiij.**

Fit Commem. Oct. SS. Apost. Petri & Pauli. **p. 403.**

Credo. propter Octavam.

Præfatio Apost. **p. 199.** vel **215.**

DIE IX.

IN FESTO

PRODIGIORUM B. M. V.

TITULO

REGINÆ PACIS.

Missa **Salve, sancta Parens.** inter votivas, a Pentecoste ad Adventum. **p. xliij.**

DIE XIII.

IN FESTO S. ANACLETI.

COMMEMORATIO

SANCTI TURIAVI

EPISC. ET CONF.

Oratio **Da, quæsumus.** Secreta & Postcommunio e Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. **p. xij.**

DIE XVIII.

IN FESTO S. CAMILLI DE LELLIS.

COMMEMORATIO

SANCTI ARNULPHI

EPISC. ET MART.

Post Orationes SS. Symphorosæ & ejus filiorum, fit, ultimo loco, Commem. S. Arnulphi :

Oratio **Infirmitátem.** Secreta & Postcommunio e Missa **Státuit.** de Comm. unius Mart. Pontificis. p. ij.

DIE XIX.

IN FESTO

S. VINCENTII A PAULO

CONFESSORIS.

Missa **Páuperes Sion.** ut in Supplemento generali. **p. cxxxviij.**

DIE XXXI.

IN FESTO SANCTI IGNATII CONFESS.

COMMEMORATIO

SANCTI GERMANI

EPISC. ET CONF.

Oratio.

Da nobis, Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte, cœléstis grátiæ, quam ille verbis, opéribus & miráculis asséruit, præsens adésse præsídium : ut dum tanti Præsulis exémpla mirámur & cólimus, ejus étiam fidem & actiónes imitémur. Per.

Secreta.

Sancti Germáni, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis officia, & illum beáta retribútio comitétur, & nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum : præsta, ut beáti Germáni, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem ; précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

DIE II.

IN FESTO S. BETHARII

EPISC. CARNUT. ET CONF.

Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. **p. xiij.** præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Bethárium, Confessórem tuum atque Pontíficem, misericórdiæ viscéribus implevísti : quæsumus, ut quem páuperum & pupillórum patrem tua grátia effecísti, benígnum pro nobis intercessórem júgiter esse largiáris. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Stephani Papæ & Mart. Oratio **Deus, qui nos.** p. 425.

Secreta.

Respice propítius ad múnera nostra, quæsumus, Dómine : & eum nobis tríbue caritátis afféctum, quem beáto Pontífici Bethário infúndere dignátus es. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. S. Stephani, Secreta **Múnera tibi.** p. 425.

Postcommunio.

Propitiare, Dómine, pópulo tuo per hoc quod súmpsimus caritátis tuæ sacraméntum : &, intercedénte beáto Pontífice Bethário, afflíctis ómnibus præsens impénde subsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

De S. Stephano. Postcommunio **Hæc nos commúnio.** p. 425.

DIE VI.

IN FESTO TRANSFIGURAT. D. N. J. C.

BENEDICT. NOVÆ UVÆ.

Hodie, in Ecclesia Cathedrali tantum, intra Missæ solemnia, benedicuntur novæ Uvæ, ritu sequenti :

Post hæc verba Canonis : **Intra quorum nos consórtium, non æstimátor**

mériti, sed véniæ, quæsumus, largítor admítte : Per Christum Dóminum nostrum, Celebrans dicit continuo : **Béne ✠ dic, Dómine, & hos novos fructus Uvæ; & præsta, ut quos dedísti ad usus nostros, cum gratiárum actióne percípere mereámur, in nómine Dómini nostri Jesu Christi.**

Hic aspergit Uvas aqua benedicta.

Deinde prosequitur : **Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, sanctíficas,** &c.

DIE IX.

IN FESTO

S. ALPHONSI MARIÆ

DE LIGORIO, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, ad diem XI. hujus mensis. **p. 423.**

Et fit Commem. Vigiliæ S. Laurentii, & S. Romani Mart. in Missali. **p. 431.**

DIE X.

IN FESTO S. LAURENTII.

COMMEM. SUSCEPTIONIS SS. SPINEÆ CORONÆ.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus : ut qui in memóriam Passiónis Dómini nostri Jesu Christi, Corónam ejus spíneam venerámur in terris; ab ipso glória & honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum.

Secreta.

DEUS, qui, ut peccatórum nostrórum spinas evélleres, Fílii tui caput spinis transfígi voluísti : carnem nostram & corda nostra casto tuo timóre confíge, hujus oblatiónis mérito; ut in méntibus nostris Spíritus tui grátia renovátis, & cupíditas exstirpáta defíciat, & cáritas plantáta profíciat. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, qui Passiónis Fílii tui instruménta fecísti ejus ornaménta triúmphi : præsta, per hæc mystéria quæ súmpsimus; ut non erubescámus illíus impropérium portáre, cujus ignomíniæ insígnia venerámur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

DIE XI.

IN FESTO S. TAURINI

EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa **Sacerdótes.** de Comm. Confess. Pontif. secundo loco. **p. xiv.** præt. Evang. quod dicitur ut infra.

Fit Commem. Octavæ S. Laurentii, & SS. Tiburtii & Susannæ Mart. **p. 434.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 6.

IN illo témpore : Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, & turba discipulórum ejus, & multitúdo copiósa plebis ab omni Judæa, & Jerúsalem, & marítima, & Tyri, & Sidónis, qui vénerant ut audírent eum & sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere : quia virtus de illo exíbat, & sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat : Beáti páuperes, quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis, quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis, quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, & cum separáverint vos, & exprobráverint, & ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, & exultáte : ecce enim merces vestra multa est in cœlo.

In Cathedrali, dicitur **Credo.**

DIE XIII.

IN FESTO

SANCTÆ RADEGUNDIS

REGINÆ, VIDUÆ.

Missa **Cognóvi.** de Comm. nec Virg. nec Mart. **p. xxvij.** cum Orationibus sequent.

Oratio.

DEUS, pro cujus amóre beáta Radegúndis ex aulæ tumúltu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit: tríbue nobis; ex ejus imitatióne, terréna despícere, & amáre cœléstia. Per Dóminum.

Fit Commem. Octav. S. Laurentii; post SS. Hippolyti & Cassiani Mart. p. 434.

Secreta.

DEUS, qui beátæ Radegúndis Reginæ mánibus præparátas oblatiónes suscípere dignátus es; fac nos, ejus intercessióne, ita tuis inhærére obséquiis, ut gratum tibi sacrifícium offérre valéamus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. ut supra.

Postcommunio.

BEATÆ Radegúndis Reginæ, Dómine, suffrágiis exorátus: percépta nos Sacraménti tui virtúte defénde. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Commem. ut supra.

DIE XV.

IN FESTO

ASSUMPTIONIS B. M. V.

Ut in Missali.p. 437. hac addita Sequentia.

EN imménsum per áera,
Ad cœléstes Sion domos
Triumphátrix erígitur
Virgo Mater Dei.
Triumphánti multus adest
Comes chorus Alígerum;
Dulcisonísque résonat
Æther concéntibus.
Alii sublíme ferunt
Dulce pondus gestántibus,
Portis cœlum paténtibus,
Maríam récipit.
Intránti Christus óbviam
Venit, Matrem throno sibi
Jubet sedére próximam,
Et requiéscere.
Sedes beátas lúmine
Novo fulgére séntiunt
Poli: terræ miráculum
Mirántur Cœlites.
In ore quanta Vírginis
Splendet majéstas! lábiis
Quæ grátia diffúnditur!
Solo minor Deo.
Opus nullum perféctius
Agnóscit ipsa Trínitas;
Nulli fulget splendídior
Coróna cápiti.
Totum se dat Natæ Pater;
Totum se Matri Fílius;
Sponsæ péctori Spíritus
Totus illábitur.
Quis óculus mortálium
Ad tam late micans jubar
Non calíget? Angélica
Quæ vis sustíneat?
Quæ sinu portávit Deum,
Puro quæ lacte nútriit,
Hoc sola pondus glóriæ
Virgo mater ferat.
O beáta! cœlo potens,
Tui sumus; poténtiam
In natos éxere tuam;
Adsis vocántibus!
Per te stat Gálliæ decus:
Per te semper stet Gállia:
Te nos semper amábimus,
Tu nos semper ama.
Amen. Allelúja.

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI ROCHI

CONFESSORIS.

Ut in Supplemento generali. p. cxlix.

DIE XVIII.

IN FESTO

SANCTI HYACINTHI

CONFESSORIS.

In Missali, die xvi. hujus mensis. p. 439.

Missa Os justi. de Comm. Conf. non Pontificis. p. xvij.

Fit Commem. Octavæ Assumpt. p. 439. & S. Agapiti Mart. p. 441.
Credo. propter Octav. & Præfatio B. M. V. p. 198. vel 215.

DIE XIX.
IN FESTO
SANCTÆ PHILUMENÆ
VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar.** de Comm. Virg. p. xx.
Fit Commem. Octavæ Assumpt.
Pro Commem. S. Ludovici Episc. & Conf. Oratio, Secreta & Postcommunio e Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. p. xiij.
Credo. & Præfatio Assumpt.

DIE XXII.
IN OCTAVA ASSUMPTIONIS.
COMMEMORATIO
VOTI LUDOVICI XIII.
GALLIARUM REGIS.

Missa ut in die, cum Oratione sequent. & Sequentia. p. 35*.

Oratio.

Deus, qui sanctíssimam Vírginem Maríam, Genitrícem tuam, super choros Angelórum exaltátam, fidélibus tuis Patrónam providísti : óculis misericórdiæ Francórum respícere dignéris impérium; quod tutélæ ejúsdem Vírginis Rex piíssimus voto perpétuo commendávit. Qui vivis.

Et fit Commem. SS. Mart. Timothei & Soc. p. 442.

DIE XXV.
IN FESTO
SANCTI LUDOVICI
GALLIÆ REGIS ET CONF.

Introitus. Psalm. 20.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur rex, & super salutáre tuum exultábit veheménter; desidérium cordis ejus tribuísti ei, & voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. Ps. ibid. **Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beátum regem Ludovícum de terréno regno ad cœléstis regni glóriam transtulísti : ejus, quæsumus, méritis & intercessióne; Regis regum Jesu Christi Fílii tui fácias nos esse consórtes. Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Léctio libri Machabæórum.

I. Mach. 3.

In diébus illis : Dilatávit Judas glóriam pópulo suo, & índuit se lorícam sicut gigas, & succínxit se arma béllica sua in præliis, & protegébat castra gládio suo. Símilis factus est leóni in opéribus suis, & sicut cátulus leónis rúgiens in venatióne. Et persecútus est iníquos, perscrútans eos : & qui conturbábant pópulum suum, eos succéndit flammis; & repúlsi sunt inimíci ejus præ timóre ejus, & omnes operárii iniquitátis conturbáti sunt; & dirécta est salus in manu ejus. Et exacerbábat reges multos, & lætificábat Jacob in opéribus suis, & in sæculum memória ejus in benedictióne. Et perambulávit civitátes Juda, & pérdidit ímpios ex eis, & avértit iram ab Israel. Et nominátus est usque ad novíssimum terræ.

Graduale. Psalm. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum.** ℣. **Manus mea auxiliábitur ei, & bráchium meum confortábit eum. Allelúja, Allelúja.** ℣. Psalm. 143. **Benedíctus Dóminus Deus, qui docet manus meas ad prælium. Allelúja.**

Evangelium **Homo quidam nóbilis.** ut in Missali. p. 445.

Offertorium. Eccli. 47. **De omni corde suo laudávit Dóminum, & diléxit Deum, qui fecit illum : dedit in**

celebratiónibus decus, ut laudárent nomen sanctum Dómini & amplificárent mane Dei sanctitátem.

Secreta.

Da nobis, quæsumus, Dómine, per hæc múnera quæ tibi offérimus, eam ánimi constántiam, quam beáto Ludovíco tribuísti; ut nec prósperis efferámur, nec dejiciámur advérsis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte.

Communio. Eccli. 47. Dóminus exaltávit in ætérnum cornu ejus, & dedit illi testaméntum regni, & sedem glóriæ.

Postcommunio.

Deus, qui beáto Ludovíco, inter falláces temporális regni delícias, veram ætérni regni felicitátem toto corde concupíscere tribuísti : fac nos, quæsumus ; ejúsdem felicitátis amatóres, cujus in hoc Sacraménto pignus accépimus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

DIE XXVII.

IN FESTO S. JOSEPHI CALASANCTII.

COMMEMORATIO

SANCTI CESARII

EPISC. ET CONF.

Oratio, Secreta & Postcommunio e Missa Státuit. de Communi Conf. Pont. primo loco. p. xxiij.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE I.

IN FESTO

SANCTI LUPI

EPISC. ET CONFESS.

Missa Sacerdótes. de Comm. Conf. Pont. p. xiv.

Et fit Commem. S. Ægidii Abb. & SS. Duodecim Fratrum, ut in Missali. p. 449. & 450.

DIE III.

IN FESTO

SANCTI LAZARI

EPISC. ET MART.

Introitus. Psalm. 27.

Dominus adjútor meus, & protéctor meus ; in ipso sperávit cor meum, & adjútus sum. Psalm. ibid. Et reflóruit caro mea : & ex voluntáte mea confitébor ei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Lázarum, Christi discípulum, quatriduánum mórtuum suscitátum, pontifício & martyrio decorásti : concéde nobis, ejus méritis ; a peccátis resúrgere, & vita ætérna gaudére. Per eúmdem.

Léctio libri Regum. IV. Reg. 4.

Facta est quædam dies, & transíbat Eliséus per Sunam. Erat autem ibi múlier magna, quæ ténuit eum ut coméderet panem. Cumque frequénter inde transíret, divertébat ad eam, ut coméderet panem. Quæ dixit ad virum suum : Animadvérto quod vir Dei sanctus est iste, qui transit per nos frequénter ; faciámus ergo ei cœnáculum parvum ; & ponámus ei in eo léctulum, & mensam, & sellam, & candelábrum ; ut cum vénerit ad nos, máneat ibi. Facta est ergo dies quædam, & véniens divértit in cœnáculum, & requiévit ibi.

Graduale. Sap. 8. In amicítia sapiéntiæ deléctátio bona, & præcláritas in communicatióne sermónum ipsíus. ℣. Non habet amaritúdinem conversátio illíus, nec tœdium convíctus illíus, sed lætítiam & gáudium. Allelúja, allelúja. ℣. Joan. 11. Diligébat Jesus Martham, & sorórem ejus Maríam, & Lázarum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11.

In illo témpore : Erat quidam lánguens Lázarus a Bethánia, de ca-

stéllo Maríæ, & Marthæ soróris ejus. (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, & extérsit pedes ejus capíllis suis: cujus frater Lázarus infirmabátur.) Misérunt ergo sorores ejus ad eum, dicéntes : Dómine, ecce quem amas, infirmátur. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham, & sorórem ejus Maríam, & Lázarum. Ut ergo audívit quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diébus. Deínde post hæc dixit discípulis suis : Eámus in Judæam íterum. Dicunt ei discípuli : Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, & íterum vadis illuc ? Respóndit Jesus : Nonne duódecim sunt horæ diéi ? Si quis ambuláverit in die, non offéndit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambuláverit in nocte, offéndit, quia lux non est in eo. Hæc ait; & post hæc dixit eis: Lázarus amícus noster dormit: sed vado ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus : Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus ; illi autem putavérunt quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo Jesus dixit eis maniféste : Lázarus mórtuus est : & gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam non eram ibi : sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dydimus, ad condiscípulos : Eámus & nos, ut moriámur cum eo. Venit ítaque Jesus, & invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. Erat autem Bethánia juxta Jerosólymam quasi stádiis quíndecim. Multi autem ex Judæis vénerant ad Martham, & Maríam, ut consolaréntur eas de fratre suo. Martha ergo ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi; María autem domi sedébat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus : sed & nunc scio, quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus : Resúrget frater suus. Dicit ei Martha : Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio, & vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet; & omnis, qui vivit, & credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc ? Ait illi : Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. Et cum hæc dixísset, ábiit, & vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens : Magíster adest, & vocat te. Illa ut audívit, surgit cito, & venit ad eum : nondum enim vénerat Jesus in castéllum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabántur eam, cum vidíssent Maríam, quia cito surréxit & éxiit, secúti sunt eam, dicéntes : Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo, cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, & dicit ei : Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, & Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, & turbávit seípsum, & dixit : Ubi posuístis eum? Dicunt ei : Dómine, veni, & vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi: Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt : Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur ? Jesus ego rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca : & lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : Tóllite lápidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi, quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei ? Tulérunt

ergo lápidem. Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi, quóniam audísti me : ego autem sciébam quia semper me audis; sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi, ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit : Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes & manus ínstitis, & fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus : Sólvite eum, & sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam & Martham, & víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum.

Offertorium. Psalm. 29. Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam : salvásti me a descendéntibus in lacum : psállite Dómino, sancti ejus, quóniam vita in voluntáte ejus.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Dómine, in hac festivitáte, hóstiam salutárem, tuam pro peccatóribus misericórdiam deprecántes ; ut, intercedéntibus sanctis hospítibus tuis, a peccáti consuetúdine ad eam vocem excitáti resipíscant, quæ suscitávit quatriduánum a monuménto. Per Dóminum.

Communio. Joan. 12. Fecérunt cœnam Jesu ; & Martha ministrábat : Lázarus vero unus erat ex discumbéntibus cum eo : María unxit pedes Jesu, & extérsit capíllis suis.

Postcommunio.

DOMINE Jesu, qui in nobis per hæc divína Sacraménta manére dignáris : fac nos, quæsumus ; cœléstium benedictiónum partícipes, quibus sanctos hóspites tuos, Lázarum, Martham, & Maríam cumulásti. Qui vivis & regnas.

DIE IV.

IN FESTO

S. ROSÆ VITERBIENSIS

VIRGINIS.

Ut in Supplemento generali. p. clv.

DIE VII.

IN FESTO

SANCTI CLODOALDI

CONFESSORIS.

Missa Justus. de Comm. Conf. non Pont. p. xviij. præter Orationes sequentes.

Oratio.

DEUS, qui beátum Clodoáldum propter te humiliátum in sæculo, & sacerdótii múnere, & virtútum splendóre sublimásti : tríbue nos, ejus exémplo ; tibi digne ministráre, & per ejus intercessiónem grátia semper & mérito profícere. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum.

Secreta.

PROPITIARE, quæsumus, Dómine : &, intercedénte beáto Clodoáldo, ab omni culpa nos líberos esse concéde ; ut tua nos purificánte grátia, divínis quibus famulámur mystériis emundémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

DEUS cordis nostri, & pars nostra in ætérnum : tríbue nobis, intercedénte beáto Clodoáldo ; ut tibi uni adhæreámus in terris, a quo sperámus ætérnam restítui nobis hæreditátem in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI LEOBINI

CARNUTENSIS EPISC. ET CONF.

Introitus. Psalm. 77.

ELEGIT Dóminus servum suum, & sústulit eum de grégibus óvium páscere hæreditátem suam ; & pavit eos in innocéntia cordis sui. Psalm. ibid. Atténdite, pópule meus, legem meam : inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui ad pascéndam hæreditátem tuam, beátum Leobínum Pontíficem de grégibus óvium & de post fœtántes accepísti : concéde propítius ; ut ejus muniámur précibus, cujus instrúimur & mónitis & exémplis. Per Dóminum.

Fit Commem. SS. Mart. Euphemiæ & Soc. Oratio Præsta. ut in Missali. p. 457.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 1.

FRATRES : Scriptum est : Perdam sapiéntiam sapiéntium, & prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens ? Ubi scriba ? Ubi conquisítor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi ? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum : plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam & Judæi signa petunt; & Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam; ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, & Dei sapiéntiam. Quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus ; & quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres ; quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes ; & infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia ; & ignobília mundi, & contemptibília elégit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret : ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus.

Graduale. Psalm. 112. Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, & humília réspicit in cœlo & in terra ? ℣. Súscitans a terra inopem, ut cóllocet eum cum princípibus pópuli sui. Allelúja, allelúja. ℣. I. Reg. 1. Dóminus élevat páuperem, ut sólium glóriæ téneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, & non síneret pérfodi domum suam. Ideo & vos estóte paráti : quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, & prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Eccl. 35. Oblátio justi impínguat altáre, & odor suavitátis est in conspéctu Altíssimi : sacrifícium justi accéptum est, & memóriam ejus non obliviscétur Dóminus.

Secreta.

DEUS, qui beátum Leobínum Pontíficem de petra desérti ad montem svíliæ Sion perduxísti ; fac nos, ejus intercessióne, tua sic tractáre mystéria, ut eórum boni dispensatóres esse mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. SS. Mart. Euphemiæ & Soc. p. 457.

Commúnio. Psalm. 76. Deduxísti sicut oves pópulum tuum in manu ejus.

Postcommunio.

SATIATI, Dómine, munéribus tuis, humíliter deprecámur : ut quam beátus Póntifex Leobínus doctrína & vita formam exhíbuit ; hanc fide & ópere teneámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Commem. SS. Mart. Euphemiæ & Soc. p. 457.

DIE XXII.
IN FESTO
SS. MAURITII ET SOC.
MARTYRUM.

Ut in Missali. p. 462.

DIE XXV.
IN FESTO
SANCTI SOLEMNIS
CARNUT. EPISC. ET CONFESSORIS.

Introitus. Psalm. 54.

ECCE elongávi fúgiens, & mansi in solitúdine: expectábam eum qui salvum me fecit a pusillanimitáte spíritus & tempestáte. Ps. ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam, & ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, & exáudi me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui sancti Solémnis, Confessóris tui atque Pontíficis, memóriam multíplici virtútum glória venerábilem & pópulis fecísti & princípibus: concéde propítius; ut sicut illi eminéntem grátiam contulísti, sic ad consequéndam misericórdiam tuam, ejus nos fácias précibus adjuvári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. II. Cor. 10.

FRATRES: Non audémus insérere, aut comparáre nos quibúsdam, qui seípsos comméndant; sed ipsi in nobis nosmetípsos metiéntes, & comparántes nosmetípsos nobis. Nos autem non in imménsum gloriábimur; sed secúndum mensúram régulæ, qua mensus est nobis Deus, mensúram pertingéndi usque ad vos. Non enim quasi non pertingéntes ad vos, superexténdimus nos: usque ad vos enim pervenímus in Evangélio Christi. Non in imménsum gloriántes in aliénis labóribus: spem autem habéntes crescéntis fídei vestræ, in vobis magnificári secúndum régulam nostram in abundántiam, étiam in illa, quæ ultra vos sunt, evangelizáre, non in aliéna régula in iis quæ præparáta sunt gloriári. Qui autem gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat.

Graduale. Psalm. 96. Confundántur omnes qui adórant sculptília, & qui gloriántur in simulácris suis: quóniam Dóminus altíssimus super omnem terram. ℣. Psalm. 95. Quóniam omnes dii géntium dæmónia: Dóminus autem cœlos fecit. Allelúja, allelúja. ℣. Rom. 15. Confitébor tibi in géntibus, Dómine, & nómini tuo cantábo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14.

IN illo témpore: Dixit Jesus ad Legisperítos & Pharisæos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco, ne forte honorátior te sit invitátus ab illo; & véniens is, qui te & illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco, ut, cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur; & qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Rom. 15. Miníster sum Christi in géntibus, ut fiat oblátio géntium accépta & sanctificáta in Spíritu sancto.

Secreta.

DEUS, qui beátum Solémnem Pontíficem onus sacerdotále formidántem confortásti; quæsumus, ut ad sanctuárium tuum ejus exémplo pavére, & præsens sacrifícium puris tibi méntibus offérre mereámur. Per.

Communio. I. Thess. 2. Facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos.

Postcommunio.

Gratias tibi, Dómine, pro Córporis & Sánguinis tui perceptióne reférimus : supplíciter deprecántes ; ut beáti Solémnis Pontíficis intercessióne & exémplo, non alta sápere, sed humílibus consentíre discámus. Per.

DIE XXVI.

IN FESTO

S. THOMÆ DE VILLANOVA

EPISC. ET CONF.

Ut in Missali, die XXII. hujus mensis. **p. 462.** omissa Commem. SS. Mauritii & Soc.

Et fit Commem. SS. Mart. Cypriani & Justinæ, per Orationes in Missali positas ad hanc diem. **p. 464.**

DIE XXVII.

IN FESTO SS. COSMÆ ET DAMIANI.

COMMEM. SS. MART.

FLORENTINI ET HILARII.

Oratio **Deus, qui nos ánnua.** Secreta & Postcommunio e Missa **Salus.** de Comm. plur. Mart. **p. xij.**

DIE XXIX.

IN FESTO DEDICATIONIS

SANCTI MICHAELIS

ARCHANGELI.

Missa ut in Missali. **p. 465.**

¶ In Cathedrali, ad Missam Capitularem, dum gravi mensura cantatur Offertorium, duo Canonici, in Cappis albis, SS. Sacramentum, flexis genibus, in infimo gradu Altaris alternatim incensant.

FESTA OCTOBRIS

DIE I.

IN FESTO

SANCTI REMIGII

EPISC. ET CONF.

Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. **p. xiij.** præter Orationes seq.

Oratio

Deus, qui per beáti Remígii documénta, Francórum tibi colla subdidísti : largíre supplícibus tuis ; ut per iter salútis quo sanctus Póntifex incéssit, dono tuæ pietátis ad te gradiámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Secreta.

Qua virtúte obláta dona immutatúrus es, Dómine, eádem innova corda nostra, beáti Remígii précibus ; ad cujus præcéptum, victórem regem persuasísti incéndere quod adoráverat, & quod incénderat adoráre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

Reparationis nostræ mystéria suméntes : quæsumus, Dómine, ut beáti Remígii Pontíficis oratiónibus fulciámur ; quátenus in trádita nobis ab eo fide, constánter perseverémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE II.

IN FESTO SS. ANGELORUM CUSTODUM.

COMMEMORATIO

SANCTI LEODEGARII

EPISC. ET MART.

Oratio **Infirmitátem.** Secreta & Postcommunio e Missa **Státuit.** de Comm. unius Mart. Pont. **p. ij.**

DIE III.

IN FESTO

SANCTI PIATI MARTYRIS.

Introitus. Psalm. 15.

Caro mea requiéscet in spe; quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. Ps. ibid. **Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te ; dixi Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

VISITA, Dómine, infirmitátes nostras & perícula : &, intercedénte beáto Piáto Mártyre tuo ; cuncta a nobis adversántia propitiátus exclúde. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. II. Tim. 2.

CARISSIME : Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos : ut & ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes ; quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii & Lystris : quales persecutiónes sustínui ; & ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Psalm. 34. Anima mea exultábit in Dómino, & delectábitur super salutári suo; ómnia ossa mea dicent : Dómine, quis símilis tibi? ℣. Eccli. 49. Ossa ipsíus visitáta sunt, & post mortem prophetavérunt. Allelúja, allelúja. ℣. Psalm. 33. Custódit Dóminus ossa eórum ; unum ex his non conterétur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 12.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam ; & qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur : & ubi sum ego, illic & miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

In Eccl. Cathedr. dicitur Credo.

Offertorium. Dan. 9. Nunc ergo exáudi, Deus noster, oratiónem servi tui, & preces ejus; & osténde fáciem tuam super sanctuárium tuum.

Secreta.

MUNERA, quæsumus, Dómine, pópuli tui, sub beáti Piáti Mártyris præsídio ad te confugiéntis, patérna récipe pietáte ; & præsta, ut pretiósam ejus mortem, vitæ nostræ oblatióne imitémur. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 67. Date glóriam Deo; mirábilis Deus in Sanctis suis; ipse dabit virtútem : benedíctus Deus.

Postcommunio.

QUOS, Dómine, in festivitáte sancti Mártyris tui Piáti, cœlésti refecísti mystério : ab iis iracúndiæ tuæ flagélla, ejus intercessióne, cleménter avérte. Per Dóminum.

DIE V.

IN FESTO

SS. CORNELII ET CYPRIANI

PONT. ET MART.

(E die 16. Septemb.)

Missa Intret in conspéctu tuo. de Comm. plurimorum Mart. p. ix.

Fit Commem. SS. Placidi & Soc. item Mart. Orationes ut in Missali, ad hanc diem. p. 469.

DIE VI.

IN FESTO

SANCTÆ FIDIS

VIRG. ET MART.

Missa Loquébar. de Communi Virg. & Mart. p. xx. præter seq.

Oratio.

BEATÆ Fidis, Vírginis & Mártyris, quæsumus, Dómine, précibus áugeas in nobis fidem : ut, quod humáno non póssumus auxílio, ejus assequámur suffrágio. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Lucæ 12.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ignem veni míttere in terram, & quid volo nisi ut accendátur ? Baptísmo autem hábeo baptizári; & quómodo coárctor úsquedum perficiátur ! Putátis quia pacem veni dare in terram ? Non, dico vobis, sed separatiónem : erunt enim ex hoc quinque in domo una divísi, tres in duos, & duo in tres dividéntur : pater in fílium, & fílius in patrem suum ; mater in fíliam, & fília in matrem.

Secreta.

Suscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Fidis, Vírginis & Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus : cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per.

Postcommunio.

Auxilientur nobis, Dómine, sumpta mystéria : &, intercedénte beáta Fide, Vírgine & Mártyre tua; sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

DIE VII.

IN FESTO

SS. SERGII ET BACCHI

MARTYRUM.

Missa Sapiéntiam. de Comm. plur. Mart. p. xj. præter Orationes seq.

Oratio.

Sanctorum Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii & Bacchi beáta mérita prosequántur : & tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per.

Commem. S. Marci, Papæ & Conf.

Oratio.

Exaudi, Dómine, preces nostras : &, interveniénte beáto Marco Confessóre tuo atque Pontífice ; indulgéntiam nobis tríbue placátus & pacem.

Et SS. Marcelli & Apuleii Mart.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Marcélli & Apuléii solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Evangelium Si quis vult post me veníre. e Missa Sacerdótes. de Communius Mart. Pont. secundo loco. p. iij.

Secreta.

Oblatorum tibi múnerum, Deus, auctor & dator; præsta ut hoc sacrifícium singuláre, quod Sanctis tuis in passióne cóntulit claritátem, nobis tríbuat in tribulatióne præsídium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

De S. Marco. Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum ; quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium.

De SS. Marcello & Apuleio.

Secreta.

Majestatem tuam nobis, Dómine, quæsumus, hæc hóstia reddat immolánda placátam, tuórum digna postulatióne Sanctórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Postcommunio.

Per hæc sacraménta, quæsumus, Dómine, da nobis fídei miserátus augméntum : ut quam Mártyres tui Sérgius & Bacchus sánguinis effusióne conféssi sunt; eam nos opéribus serváre valeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

De S. Marco. Postcommunio.

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis : Sanctórum tuórum semper veneratióne lætári, & eórum perpétua supplicatióne muníri.

De SS. Mart. Marcello & Apuleio.

Postcommunio.

Sacramentis, Dómine, muniámur accéptis : & sanctórum Mártyrum tuórum Marcélli & Apuléii intercessióne ; contra omnes nequítias irruéntes, armis cœléstibus protégamur. Per Dóminum.

DIE VIII.

IN FESTO

SANCTI CALETRICI

CARNUT. EPISC. ET CONF.

Missa **Sacerdótes.** de Comm Conf. Pont. **p. xiv.** præter Orationes & Evangelium, quæ leguntur ut infra.

Oratio.

Deus, qui beátum Caletrícum exaltásti de portis mortis, ut in Pontíficem assúmptus annuntiáret laudatiónes tuas : fac nos, ipso intercedénte, sic tuis obedíre mandátis; ut a morte perpétua liberémur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.** Marc. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit & baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, & bene habébunt.

Secreta.

Oblata nos, Dómine, múnera sanctíficent, & in omni aptent bono, beáti Pontíficis Caletríci précibus; quem vas in honórem sanctificátum & ad omne opus bonum parátum effecísti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

Deus, cujus dono sanctus Caletrícus in tractándis ánimi morbis mira arte & caritáte excélluit: hujus perceptióne sacraménti, & beáti Pontíficis suffragántibus méritis; animórum nostrórum medére languóribus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE IX.

IN FESTO

SS. DIONYSII ET SOC.

MARTYRUM.

Ut in Missali. **p. 471.**

DIE XI.

IN FESTO

SANCTI BRUNONIS

CONFESSORIS.

Ut in Missali, die vi. hujus mensis. **p. 469.**

Fit Commem. SS. Mart. Nigasii & Soc. Oratio **Deus, qui nos concédis.** Secreta & Postcommunio e Missa **Sapiéntiam.** de Communi plur. Mart. **p. xj.**

DIE XII.

IN FESTO

SANCTÆ BIRGITTÆ

VIDUÆ.

Ut in Missali, die viii. hujus mensis. **p. 470.**

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTÆ SOLINÆ

VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar.** de Comm. Virg. **p. xx.** præter Orationes sequentes.

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus : ut méritis precibúsque beátæ Vírginis & Mártyris tuæ Solínæ; verus sol méntibus nostris irrádiet, & ténebras peccatórum nostrórum depéllat. Per Dóminum.

Pro Commemorat. SS. Prisci & Soc. Martyrum.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Prisci & Sociórum ejus solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis.

Tertia Oratio. **A cunctis nos. p. lxij.**

Secreta.

Da nobis, quæsumus, Dómine, beátæ Solínæ Vírginis ita puritátem imitári, ut corpus nostrum Spíritus sancti templum fíeri mereátur, & in corde mundo acceptábile tibi præparétur holocáustum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

De SS. Prisco & Soc.

Secreta.

Oblatis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus; &, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Prisco & Sóciis ejus, a cunctis nos defénde perículis.

Tertia Secreta. Exáudi nos. p. lxij.

Postcommunio.

Deus, qui beátæ Solínæ tribuísti sanctam esse córpore & spíritu, & vitam suam dare pro dilectióne tua: per immaculátam, quam obtúlimus, hóstiam nobis concéde; ut, ejus exémplo, tibi uni, sive per vitám, sive per mortem nostram placére valeámus. Per Dóminum.

De SS. Prisco & Sociis.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: &, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Prisco & Sóciis ejus; cœléstis remédii fáciat esse consórtes.

Tertia Postcommunio. Mundet. p. lxij.

DIE XVII.

IN ANNIVERSARIO

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CARNUTENSIS.

Introitus. Gen. 28.

Terribilis est locus iste: hic domus Dei est, & porta cœli: & vocábitur aula Dei. Allelúja, allelúja. Psalm. 83. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! Concupíscit & déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

(Extra Ecclesiam Cathedral. omittitur vox hoc.)

Aperi, Dómine, óculos tuos, die ac nocte super (hoc) sanctum Templum tibi sunt beátæ Maríæ tutéla dicátum: & propitiáre servis tuis qui te deprecáti fúerint in loco isto; ut tímeant te, & ámbulent in viis tuis cunctis diébus vitæ suæ. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Epistola In diébus illis: Vidi sanctam civitátem. ut in Comm. Dedicat. p. xxix.

Graduale. Isaiæ 56. Addúcam servos meos in montem sanctum meum; & lætificábo eos in domo oratiónis meæ. ℣. Holocáusta eórum, & víctimæ eórum placébunt mihi super altári meo; quia domus mea domus oratiónis vocábitur cunctis pópulis. Allelúja, allelúja. ℣. Dan. 3. Benedíctus es, Dómine, in templo sancto glóriæ tuæ; & superlaudábilis, & supergloriósus in sæcula.

Sequentia.

Ergone cœléstium
Auctor & Rex máximus
Amat hic hospítium!
Ergo nobis próximus
Terras Deus hábitat!
Cœli vastis órbibus
Si non circumscríbitur,
Templórum limítibus
Quanto minus cláuditur,
Quibus volens látitat?
Tanta quis commércia
Iníre non cúpiat?
In tua palátia
Quæ mens non defíciat,
O Deus amábilis!
Sancta sanctis: pálleat
Ad prima sons límina:
Qui profános árceat
Adest, vibrans fúlmina,
Deus formidábilis.
Hic sacro baptísmate
Gens fidélis náscitur:

Hic divíno chrísmate
Inúncta perfícitur,
Jam in hostes ácrior.
Commíssis hic clávibus
Petrus judex útitur:
Hic litáti cárnibus
Agni justus álitur,
Vigétque divínior.
Testes hic connúbium
Inter aras néctitur:
Hinc in Sacerdótium,
Hinc in ægros fúnditur
Sacri liquor ólei.
Cœléstes hic ígneas
Fundit eloquéntia
Voces: hic & lácteas
Cómbibit infántia
Primítias fídei.
Fides at in spéciem
O quando mutábitur!
Deus, quando fáciem
Tuam pleno dábitur
Intuéri lúmine!
Sédibus qui súperis,
Templórum nil índigus,
Templum ipse pánderis,
Circúmfluo pródigus
Nos consúmma númine.
Amen. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 21.

In illo témpore: Cum intrásset Jesus Jerosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta a Názareth Galilææ. Et intrávit Jesus in templum Dei, & ejiciébat vendéntes & eméntes in templo: & mensas nummulariórum, & cáthedras vendéntium colúmbas evértit; & dixit eis: Scriptum est: Domus mea, domus oratiónis vocábitur; vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci & claudi in templo; & sanávit eos. Vidéntes autem príncipes sacerdótum & scribæ mirabília quæ fecit, & púeros clamántes in templo, & dicéntes: Hosánna Fílio David; indignáti sunt, & dixérunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique; numquam legístis quia ex ore infántium & lacténtium perfecísti laudem? Et relíctis illis, ábiit foras extra civitátem in Bethániam, ibíque mansit.

Offertorium. Deut. 12. Ad locum, quem elégerit Dóminus Deus noster de cunctis tríbubus vestris, ut ponat nomen suum ibi, & hábitet in eo, veniétis; & offerétis in loco illo holocáusta & víctimas vestras.

Secreta.

Incruentum sacrifícium, in loco in quo voluísti nomen tuum invocári, Dómine, immolántes; fac nos eo igne caritátis ardére, quo accénsa immaculáta Virgo, ad suscipiéndum Verbum in Templo tuo sese parábat. Per.

Præfatio Dedicationis, ad calcem hujus Supplem.

Communio. Psalm. 26. Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ: ut vídeam voluptátem Dómini, & vísitem templum ejus.

Postcommunio.

Accende in nobis, miséricors Deus, intercedénte pia Vírgine María, zelum domus tuæ: ut commíssa in (hoc) sancto Templo tuo scélera lugeámus, & committénda avértere satagámus. Per Dóminum.

DIE XIX.

IN FESTO

SS. SAVINIANI

EPISCOPI,

POTENTIANI ET SOC.

MARTYRUM.

Introitus. Psalm. 95.

Annuntiate inter gentes, quóniam omnes dii géntium dæmónia; Dóminus autem cœlos fecit. Ps. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

MARTYRUM tuórum Saviniáni Pontíficis, Potentiáni & Sociórum festa venerántes : quæsumus, Dómine, ut corda nostra ignis ille cœléstis inflámmet; quem ad testificándam voce & sánguine veritátem, in eórum pectóribus accendísti. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

In Cathedr. Commem. Octavæ Dedicationis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. I. Thess. 2.

FRATRES : Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo : sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis, Mémores enim estis fratres, labóris nostri, & fatigatiónis : nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis & Deus, quam sancte, & juste, & sine queréla, vobis, qui credidístis, fúimus: sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos, deprecántes vos & consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum & glóriam. Ideo & nos grátias ágimus Deo sine intermissióne : quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed sicut est vere, verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.

Graduale. II. Cor. 1. Glória vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. ℣. I. Cor. 9. & 4. Opus meum vos estis in Dómino; nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. Allelúja, allelúja. ℣. II. Cor. 2. Grátias Deo, qui triúmphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ maniféstat per nos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore : Præcépit Jesus discípulis suis, dicens : Eúntes, prædicáte, dicéntes : Quia appropinquávit regnum cœlórum. Infrmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite : gratis accepístis, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque argéntum, neque pecúniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam: dignus enim est operárius cibo suo. In quamcúmque autem civitátem aut castéllum intravéritis, interrogáte quis in ea dignus sit; & ibi manéte donec exeátis. Intrántes autem in domum, salutáte eam, dicéntes : Pax huic dómui. Et si quidem fúerit domus illa digna, véniet pax vestra super eam : si autem non fúerit digna, pax vestra revertétur ad vos. Et quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros, exeúntes foras de domo vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris. Amen, dico vobis, tolerabílius erit terræ Sodomórum & Gomorrhæórum in die judícii, quam illi civitáti.

In Cathedrali Credo. propter Octavam.

Offertorium. I. Thess. 2. Tradídimus vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis.

Secreta.

PRÆSTA, Dómine, quæsumus, ut sicut in tuo conspéctu mors est pretiósa Sanctórum, ita eórum mérita venerántium accépta tibi reddátur oblátio. Per Dóminum.

In Cathedr. Commem. Octavæ, & Præfatio Dedicationis.

Communio. Prov. 11. Eccli. 44. **In benedictióne justórum exaltábitur cívitas; & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem. Allelúja.**

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, in festivitáte Mártyrum tuórum Saviniáni, Potentiáni, & Sociórum tua Sancta lætántes: da nobis, quæsumus, eórum intercessióne; fidem quæ nostris cooperétur opéribus, & ex opéribus consummáta coronétur. Per Dóminum.

In Cathedr. Commem. Octavæ.

DIE XXI.

IN FESTO

S. PETRI DE ALCÁNTARA

CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem XIX. huj. mensis. **p. 475.**

Fit Commem. (Octavæ in Cathedr.) S. Hilarionis Abbat. & SS. Ursulæ & Sociar. Mart. ut in Missali ad hanc diem. **p. 476.**

Non additur Oratio **A cunctis.**

In Cathedr. dicitur **Credo.** & Præfatio Octavæ.

DIE XXII.

(In Cathedrali.)

VI. DIE INFRA OCTAVAM.

Missa ut in die Festi. **p. 46*.** Secunda Oratio **Concéde nos.** tertia **Ecclésiæ.** vel pro Papa. **p. 239.**

DIE XXIII.

IN FESTO

SS. REDEMPTORIS.

Ut in Supplemento generali. **p. clxj.**

In Cathedr. Commem. Octavæ.

DIE XXIV.

IN OCT. DEDICATIONIS ECCLESIÆ CARNUTENSIS.

(In Cathedrali tantum.)

Missa ut in die Festi. **p. 46*.**

DIE XXV.

IN FESTO

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI

MARTYRUM.

Missa **Intret in conspéctu tuo.** de Comm. plurim. Martyrum. **p. ix.** præter Orationem sequent.

Oratio.

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, ne nos apud tuam justítiam peccáta condémnent: germanórum Mártyrum Crispíni & Crispiniáni suffrágiis adjuvémur; quos sánguinis propínquitas, fídei conféssio, Evangélii opus, & eádem martyrii coróna glorióse conjunxérunt. Per Dóminum.

Et fit Commem. SS. Chrysanti & Dariæ Mart. per Orationes ut in Missali. **p. 477.**

Tertio loco dicuntur Orationes ad poscenda suffragia Sanctorum. **A cunctis.** p. **lxij.**

DIE XXVI.

IN FESTO

SANCTI RAPHAELIS

ARCHANGELI.

Ut in Supplemento generali, die XXIV. huj. mensis. **p. clxij.**

Commem. S. Evaristi, Papæ & Mart. Oratio **Infirmitátem.** Secreta **Hóstias.** Postcommunio **Reféčti.** e Missa **Státuit.** de Comm. unius Mart. **p. ij.**

DIE XXVII.

IN FESTO

SANCTÆ HEDWIGIS

VIDUÆ.

Ut in Missali ad diem XVII. huj. mensis. **p. 473.**

Fit Commem. Vigiliæ SS. Apost. Simonis & Judæ. p. 478. cujus Evangelium in fine legitur.

Tertia Oratio **A cunctis.** p. **lxij.**

DIE XXX.

IN FESTO

SANCTI LUCANI

MARTYRIS.

Missa **Lætábitur justus.** de Communi unius Martyris non Pont. **p. v.** præter Orat. sequent.

Oratio.

Da nobis, quæsumus, Dómine, intercedénte beáto Lucáno Mártyre tuo, in tua fide & sinceritáte constántiam : ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte divellámur. Per Dóminum.

Secunda Oratio **A cunctis.** p. **lxxij.** Tertia ad libitum.

DIE XXXI.

IN FESTO

SANCTI QUINTINI

MARTYRIS.

Missa **In virtúte tua,** de Communi unius Martyris non Pontificis. **p. iv.**

Et fit Commem. Vigiliæ Omn. Sanctorum. **p. 480.** cujus Evangelium in fine legitur.

Tertia Oratio **A cunctis.** p. **lxij.**

FESTA NOVEMBRIS

DIE XI.

IN FESTO

SANCTI MARTINI

EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, sub hac die. **p. 485.**

DIE XIII.

IN FESTO

S. STANISLAI KOSTKÆ

CONFESSORIS.

Missa ut in Supplemento generali. **p. clxvj.**

DIE XIV.

IN FESTO

SANCTI BRICTII

EPISC. ET CONFESS.

Missa **Státuit.** de Comm. Conf. Pont. **p. xiij.**

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI DIDACI

CONFESSORIS.

Missa ut ordinatur in Missali, ad diem XIII. hujus mensis Novembris. **p. 486.**

MISSÆ VOTIVÆ

Qualibet Feria V. non impedita Officio IX. Lectionum, etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Ferias & Vigilias privilegiatas, scilicet quæ excludunt Officia IX. Lectionum, Missa votiva dicitur de SS. Sacramento, sub ritu Semidupl.

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, & sub eodem ritu, dicitur Missa votiva de Immaculata Conceptione B. M. V.

MISSA DICENDA
OCCASIONE XL. HORARUM
SCILICET FERIA V. POST SEXAGES.
DOMIN. QUINQUAG.
ET FERIIS II. ET III. SEQUENTIBUS.

Introitus. II. Paral. 30.

Filii Israel, fratres vestri recessérunt a Dómino, ut ipsi cérnitis: veníte ad sanctuárium ejus : servíte Dómino Deo patrum vestrórum, & fratres vestri habébunt misericórdiam & reverténtur : pius enim & clemens est Dóminus, & non avértet fáciem suam a vobis. Psalm. 73. **Ut quid, Deus, repulísti in finem : irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, da nobis voluntátem tuam & fidéli mente retinére, & pia conversatióne exprímere : ut Ecclésia tua a profánis vanitátibus expiáta ; non áliud profiteátur verbis, áliud exérceat actióne. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 65.

Hæc dicit Dóminus : Quómodo si inveniátur granum in botro, & dicátur : Ne díssipes illud, quóniam benedíctio est ; sic fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum. Et edúcam de Jacob semen, & de Juda possidéntem montes meos : & hæreditábunt eam elécti mei, & servi mei habitábunt ibi. Et erunt campéstria in caulas gregum, & vallis Achor in cubíle armentórum pópulo meo qui requisiérunt me. Et vos, qui dereliquístis Dóminum ; qui oblíti estis montem sanctum meum ; qui pónitis fortúnæ mensam, & libátis super eam : numerábo vos in gládio, & omnes in cæde corruétis : pro eo quod vocávi, & non respondístis ; locútus sum, & non audístis : & faciebátis malum in óculis meis, & quæ nólui elegístis. Propter hoc, hæc dicit Dóminus Deus : Ecce servi mei cómedent, & vos esuriétis ; ecce servi mei bibent, & vos sitiétis ; ecce servi mei lætabúntur, et vos confundémini ; ecce servi mei laudábunt præ exultatióne cordis, & vos clamábitis præ dolóre cordis, & præ contritióne spíritus ululábitis.

Graduale. Psalm. 67. **Péreant peccatóres a fácie Dei : & justi epuléntur, & exúltent in conspéctu Dei ; & delecténtur in lætítia.** ℣. Judæ 15. 13. **Impie egérunt peccatóres, secúndum desidéria sua ambulántes ; vos autem, caríssimi, in Spíritu Sancto orántes, illos salváte, de igne rapiéntes.**

Tractus. Psalm. 77. **Defecérunt in vanitáte dies eórum, & anni eórum, cum festinatióne.** ℣. **Dilexérunt eum**

in ore suo, & lingua sua mentíti sunt ei : cor autem eórum non erat rectum cum eo, nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus. ℣. Ipse autem est miséricors, & propítius fiet peccátis eórum : & non dispérdet eos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 22.

In illo témpore : Respóndens Jesus, dixit íterum in parábolis princípibus Sacerdótum & Pharisæis, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, & nolébant veníre. Iterum misit álios servos dicens : Dícite invitátis : Ecce prándium meum parávi, tauri mei, & altília occísa sunt, & ómnia paráta : veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt, & abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatiónem suam : réliqui vero tenuérunt servos ejus, & contuméliis afféctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est : & missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, & civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis : Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, & quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérunt, malos & bonos : & implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex, ut vidéret discumbéntes, & vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi : Amíce, quómodo huc intrásti, non habens vestem nuptiálem ? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris : Ligátis mánibus & pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres : ibi erit fletus & stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti. Credo.

Offertorium. II. Mach. 1. Dómine Deus, ómnium creátor, terríbilis & fortis, justus & miséricors : áccipe sacrifícium pro univérso pópulo tuo Israel, & custódi partem tuam, & sanctífica. Cóngrega dispersiónem nostram, líbera eos qui sérviunt géntibus, & contémptos & abominátos réspice.

Secreta.

Hostias pópuli tui, Dómine, propítius réspice : & præsta, ut a diabólicis, quibus renuntiávit, láqueis constánter ábstinens, toto tibi corde prostrátus, misericórdiæ tuæ donis multiplicétur & crescat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Præfatio de Cruce. p. 191. vel 212.

Communio. Luc. 23. Pater, dimítte illis, non enim sciunt quid fáciunt.

Postcommunio.

Domine Jesu Christe, qui pro inimícis tuis véniam implorásti : per hæc Córporis & Sánguinis tui sacraménta quæ súmpsimus, concéde ; ut qui mundi vanitátibus errant decépti, amóris tui mémores, ad te rédeant convérsi. Qui vivis.

MISSA VOTIVA

PRO FIDEI PROPAGATIONE.

Missa ut in Supplemento generali. p. clxxij.

MISSA

PRO GRATIIS DEO AGENDIS.

Dicitur Missa de SS. Trinitate, vel de Sancto Spiritu, vel de B. M. V. secundum tempus, cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, & bonitátis infinítus est thesáurus : piíssimæ Majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes ; ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Secreta.

PRO collátis donis sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus; supplíciter deprecántes, ut quod imméritis contulísti, ad laudem grátiæ tuæ & nóminis tui glóriam referámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

DEUS, qui cónspicis quia nihil ex nobis habémus quod pro tuis benefíciis réddere valeámus : concéde, quæsumus; ut ipse, qui se pro nobis sacrifícium óbtulit, dignas tibi réferat gratiárum actiónes, Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus : Qui tecum vivit & regnat.

MISSA DE B. M. V.

PRO DEFUNCTIS.

Missa **Concupíscet Rex.** ut in Festo B. M. V. de Suffragiis. **p. 6*.** cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

SUBVENIAT fámulo tuo N. (vel fámulæ tuæ N.), quæsumus, Dómine, beátæ Maríæ semper Vírginis intercéssio ; ipsíque júdicem placábilem fáciat, quem mundo péperit, Redemptórem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Secreta.

INTERVENIAT pro nobis, Deus miséricors, beáta Virgo María, & ejus suffrágiis concéde ; ut aspersióne sánguinis Christi, ánima fámuli tui N. (vel fámulæ tuæ N.) ab ómnibus peccátis mundáta, salútem ætérnam consequátur. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

PER hæc mystéria, quæsumus, Dómine, repellátur hostis ille, quem beáta María virgíneo partu contrívit : ut ánima fámuli tui N. (vel fámulæ tuæ N.) de potestáte tenebrárum erépta, transferátur in regnum Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit & regnat.

ORATIONES

PRO FRUCTIBUS TERRÆ.

Oratio.

EFFUNDE, quæsumus, Dómine Deus noster, benedictiónem tuam super pópulum tuum, & super omnes fructus terræ ; ut collécti ad laudem & honórem sancti nóminis tui dispenséntur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Secreta.

VOTA pópuli tui, Dómine, propítius réspice ; ut per hæc dona quæ tibi ex frúctibus terræ offérimus, frúctuum nobis ubertátem salúbriter largiáris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Postcommunio.

LARGIRE fidélibus tuis, omnípotens Deus, cóngruam terræ frúctuum ubertátem : quibus temporáliter enutríti, ad ætérna bona capesénda spirituálibus increméntis profíciant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

PRÆFATIONES SINE CANTU

IN ANNIVERSARIO
DEDICATIONIS ECCLESIÆ CARNUTENSIS
(Et in Cathedrali per Octavam.)

PER ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum & justum est.

VERE dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus; Qui hanc oratiónis domum, quam ædificávimus, bonórum ómnium largítor inhábitas; & Ecclésiam quam ipse fundásti, incessábili operatióne sanctíficas. Hæc est enim vere domus oratiónis, visibílibus ædifíciis adumbráta; templum habitatiónis glóriæ tuæ; sedes incommutábilis veritátis; sanctuárium ætérnæ caritátis. Hæc est arca, quæ nos a mundi eréptos dilúvio, in portum salútis indúcit. Hæc est dilécta & única sponsa, quam acquisívit Christus sánguine suo, quam vivíficat spíritu suo : cujus in sinu, renáti per grátiam tuam, lacte verbi páscimur, pane vitæ roborámur, misericórdiæ tuæ subsídiis confovémur. Hæc fidéliter in terris, sponso adjuvante, mílitat, & perénniter in cœlis, ipso coronánte, triúmphat. Et ídeo cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes :

Sanctus, &c.

IN MISSIS
DEFUNCTORUM,
Loco Præfationis communis, dicitur sequens Præfatio.

PER ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum & justum est.

VERE dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum; in quo nobis spem beátæ resurrectiónis concessísti; ut dum natúram contrístat certa moriéndi condítio, fidem consolétur futúræ immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur; & dissolúta terréstris hujus habitatiónis domo, ætérna in cœlis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ canimus, sine fine dicéntes :

Sanctus, &c.

PRÆFATIONES CUM CANTU


IN ANNIVERSARIO

DEDICATIONIS ECCLESIÆ CARNUTENSIS.

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Festo Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis, & per Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus, nisi propriam habuerint.






cas. Hæc est enim ve-re do-
mus o-ra-ti-ó-nis, vi-si-bí-li-bus æ-
di-fí-ci-is adum-brá-ta; templum
ha-bi-ta-ti-ónis gló-ri-æ tu-æ;
sedes incommutábi-lis ve-ri- tá-
tis; sanctu-á-rium ætérnæ ca-
ri-tá-tis. Hæc est arca quæ nos,
a mun-di e-réptos di- lú-vi-
o, in por-tum sa-lú- tis in-dú-
cit. Hæc est di-lé-cta & ú-ni-
ca spon-sa, quam ac-qui-sí-vit
Chri-stus sángui-ne su-o, quam
vi-ví-ficat spí-ri-tu su-o; cu-
jus in sinu rená-ti per grá-ti-
am tu-am, lacte verbi pásci-
mur, pane vi-tæ ro-bo-rá-mur,
mi-se-ri-córdi-æ tu-æ sub-si-dí-
is confo-vé-mur. Hæc fi-dé-li-
ter in ter-ris, spon-so adju-ván-
te, mí-li-tat, & pe-rénni-ter in
cœ-lis, i-pso coronán-te, tri-úm-
phat. Et í- de-o, cum Ange-lis
& Ar-chán-ge-lis, cum Thronis
& Do-mina-ti-ó- nibus, cumque
o-mni mi-lí-ti-a cœ-lé-stis ex-
ér-citus, hymnum gló-ri-æ tu-
æ cá-ni-mus, si- ne fi- ne
di-céntes.

PRÆFATIO

PRO DEFUNCTIS.

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum & in Exequiis solemnioribus.

PER ómni-a sæ-cu-la sæ-cu-ló-rum. ℟. A-men. ℣. Dó-mi-nus vo-bís-cum. ℟. Et cum spíri-tu tu-o. ℣. Sursum cor-da.

℟. Ha-bé-mus ad Dóminum.

℣. Grá-ti-as a-gá-mus Domino De-o no-stro. ℟. Di-gnum & ju-stum est.

VE-RE di-gnum & ju-stum est, æquum & sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper & u-bíque gráti-as á-ge-re, Dó-mine sancte, Pa-ter omnípotens, æ-térne De-us, per Christum Dó-minum no-strum : in quo nobis spem be-á-tæ re-sur-re-cti-ónis con-ces-sí-sti; ut dum natú-ram con-trí-stat certa mori-éndi con-dí-ti-o, fidem con-solétur fu-túræ im-mor-ta-li-tá-tis pro-mís-si-o. Tu-is e-nim fidé-li-bus, Dó-mi-ne, vi-ta mutátur, non tól-li-tur, et dissolú-ta ter-ré-stris hu-jus habi-ta-ti-ó-nis do-mo, æ-tér-na in cœ-lis habi-tá-ti-o



Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Exequiis minus solemnibus, & in aliis Missis Defunctorum.






tu-ræ immor-ta-li- tá-tis promíssi-
o. Tu-is enim fi-dé-li-bus, Dó-
mine, vi-ta mutátur, non tól-li-
tur, & dis-so-lú-ta ter-ré-stris
hu-jus ha-bi-ta-ti-ó-nis do-mo,
æ-tér-na in cœ- lis ha-bi-tá-ti-
o com-pará-tur. Et í-de-o cum


Ange-lis & Archánge-lis, cum
Thro-nis & Do-mina-ti-ó-ni-bus,
cumque o-mni mi-lí- ti- a cœ-lé-
stis e-xér-citus hymnum glo-
ri-æ tu-æ cá-ni-mus, si-ne fi-ne
di-céntes :

Sanctus, &c.

MODUS INCHOANDI


GLORIA IN EXCELSIS ET CREDO


AC CANTANDI


ITE MISSA EST VEL BENEDICAMUS DOMINO


IN MISSA CANTATA AUT SOLEMNI.

I. — In Festis Dupl. 1. classis.












A Sabbato Sancto usque ad Sabbatum in Albis inclusive.








II. — In Festis Dupl. 2. classis (iis exceptis quæ sunt de B. M. V.), in Dupl. maj. D. N. J. C. in Domin. occurrent. & in Festis SS. Angelorum.





Vel (ad libitum) pro Dupl. 2 class.













III. — In Festis B. M. V.






In Dupl. 2. class.







In Dupl. maj.







IV. — In Dominicis per annum, in Festis Dupl. Sanctorum in Dom. occurrent. & per Octavas Paschæ & Pentecostes.







A Natali Domini ad Purificationem (ad libitum.)







Temp. Pasch. (ad libitum.)










V. — In Festis Dupl. maj. & min. infra hebdomad. in Missis votivis, & per Octavas D. N. J. C.






Credo. ut supra, IV., n. 1.



VI. — In Festis Semiduplicibus & per Octavas B. M. V.




Credo. ut supra, IV.. n. 1.




VII. — In Festis Simplicibus & in Feriis Temporis Pasch. ac per Octavas Sanctorum.




Credo. ut supra, IV., n. 1.




VIII. — In Dominicis Adventus, Septuagesimæ & Quadragesimæ.
Credo. ut supra, IV., n. 1.



IX. — In Feriis per annum.



X. — In Missis Defunctorum.



INDEX MISSARUM

QUÆ DIOECESI CARNUTENSI SUNT PROPRIÆ

VEL ALIQUID PROPRIUM HABENT.

JUNIUS.

JULIUS.

AUGUSTUS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

MISSÆ VOTIVÆ.

ADJUNCTA.

KALENDARIUM PERPETUUM

AD USUM

CLERI, CIVITATIS ATQUE DIŒCESIS CATALAUNENSIS.

JANUARIUS.

1 CIRCUMCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *dupl.* 2 classis.
2 Dies Octava S. Stephani, Protomartyris, *dupl.* Comm. Octavarum.
3 Dies Octava S. Joannis Apostoli et Evangelistæ, *dupl.* Comm. Octavæ.
4 Dies Octava SS. Innocentium, Martyrum, *dupl.*
5 Vigilia Epiphaniæ, *semid.* Comm. S. Telesphori I, Papæ et Martyris.
6 EPIPHANIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *dupl.* 1 classis, cum Octava.
7 De infra Octavam vel de Dominica infra Octavam quando occurrit, *semidupl.*
8 De infra Octavam, *semidupl.*
9 De infra Octavam, *semidupl.*
10 De infra Octavam, *semidupl.*
11 De infra Octavam, *semidupl.* Comm. S. Hygini I, Papæ et Martyris.
12 De infra Octavam, *semidupl.*
13 Dies Octava Epiphaniæ Domini, *dupl.*
14 S. Hilarii, Episcopi, Conf. et Doct., *dupl.* Comm. S. Felicis, Presbyteri et Martyris.
15 S. Pauli, primi Eremitæ, Conf., *dupl.* Comm. S. Mauri, Abb.
16 S. Marcelli I, Papæ et Martyris, *dupl.*
17 S. Antonii, Abbatis, *dupl.*
18 Cathedra S. Petri, Apost., Romæ, *dupl. maj.* Comm. S. Pauli, Apost., et S. Priscæ, Virg. et Mart.
19 S. Canuti, Reg., Mart., *semidupl. ad libitum.* Comm. SS. Marii et Sociorum, Martyrum.
20 SS. Fabiani I, Papæ, et Sebastiani, Martyrum, *dupl.*
21 S. Agnetis, Virg. et Mart., *dupl.*
22 S. VINCENTII, DIACONI, MARTYRIS, *dupl. maj.* In Eccl. Cathedrali, *dupl.* 2 classis.
23 Desponsatio Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.* Comm. S. Joseph, ejus Sponsi, et S. Emerentianæ, Virg. et Mart.
24 S. Timothei, Ep. et Mart., *dupl.*

25 Conversio S. Pauli, Apost., *dupl. maj.* Comm. S. Petri, Apost.
26 S. Polycarpi, Ep. et Mart., *dupl.* Comm. S. Bathildis, Franc. Reginæ, Viduæ.
27 S. Joannis Chrysostomi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
28 S. Agnetis, Virginis et Martyris, secundo. *simplex.*
29 S. Francisci Salesii, Ep. et Conf., *dupl.*
30 S. Martinæ, Virg. et Mart., *semidupl.*
31 S. Petri Nolasci, Conf., *dupl.*

MOBILIA.

Dominica II post Epiphan., Festum SS. Nominis Domini Nostri Jesu Christi, *dupl.* 2 classis.
Feria III post Dominicam Sexagesimæ, Orationis Domini Nostri Jesu Christi in Monte Oliveti, *dupl. maj.*

FEBRUARIUS.

1 S. Ignatii, Ep. et Mart., *dupl.*
2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis, *dupl.* 2 classis.
3 S. Genovefæ, Virginis, *dupl.* (dies fixa ex 3 jan.) Commem. S. Blasii, Ep. et Mart.
4 S. Joannæ Valesiæ, Franc. Reginæ, nec Virginis nec Martyris, *dupl.*
5 S. Agathæ, Virg. et Mart., *dupl.*
6 S. Andreæ Corsini, Ep. et Conf., *dupl.* (dies fixa ex 4 hujus). Comm. S. Dorotheæ, Virg. et Mart.
7 S. Romualdi, Abb., *dupl.*
8 S. Joannis de Matha, Conf., *dupl.*
9 S. Anastasii, Mart., *semidupl.* (dies fixa ex 22 januarii). Comm. S. Apolloniæ, Virg. et Mart.
10 S. Scholasticæ, Virginis, *dupl.*
11 S. Raymundi de Pennafort, Conf., *semidupl.* (dies fixa ex 23 januarii).
12
13 S. Gregorii II, Papæ et Conf., *dupl.*
14 S. Valentini, Presb. et Mart., *simplex.*
15 SS. Faustini et Jovitæ, Mart., *simplex.*
16 Beati Gregorii X, Papæ et Conf., *dupl.*
17 S. Julianæ, Virg. et Mart., *semidupl.* (dies fixa ex heri).
18 S. Simeonis, Ep. et Mart., *semidupl.*
19
20
21
22 Cathedra S. Petri, Apost., Antiochiæ, *dupl. maj.* Comm. S. Pauli, Apost.
23 S. Petri Damiani, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. Vigiliæ.
24 S. Mathiæ, Apost., *dupl.* 2 cl.
25 S. Felicis III, Pap. et Conf., *dupl.*

26 S. Margaritæ Cortonensis, Pœnitentis, *semidupl.* (dies fixa ex 22 hujus).
27
28

In anno bissextili habet dies 29, et tunc de S. Mathia fit die 25; de S. Felice III, die 26, et de S. Margarita, die 27.

MOBILIA.

Feria VI post Cineres, Comm. Passionis Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.*
Feria VI post Dom. primam Quadragesimæ, Sacræ Spineæ Coronæ Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.*
Feria VI post Dom. secundam Quadragesimæ, SS. Lanceæ et Clavorum Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.*
Feria VI post Dom. tertiam Quadragesimæ, Sacratissimæ Sindonis Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.*

MARTIUS.

1 S. Albini, Ep. et Conf., *semidupl.*
2 S. Simplicii, Pap. et Conf., *dupl.*
3
4 S. Lucii I, Pap. et Mart., *dupl.*
5 S. Casimiri, Conf., *semidupl.* (dies fixa ex heri).
6
7 S. Thomæ Aquinatis, Conf. et Doct., *dupl.* Comm. SS. Perpetuæ et Soc., Mart.
8 S. Joannis de Deo, Conf., *dupl.*
9 S. Franciscæ Romanæ, Vid., *dupl.*
10 SS. Quadraginta Martyrum, *semidupl.*
11
12 S. Gregorii I, Magni, Papæ, Conf. et Doct., *dupl.*
13
14
15 S. Zachariæ I, Pap. et Conf., *dupl.*
16
17 S. Patritii, Ep. et Conf., *dupl.*
18 S. Gabrielis Archangeli, *dupl. maj.*
19 S. JOSEPH, SPONSI BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 classis.
20
21 S. Benedicti, Abb., *dupl.*
22
23
24
25 ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 classis.
26
27

28 S. Sixti III, Pap. et Conf., *dupl.*
29
30
31

MOBILIA.

Feria VI post Dom. quartam Quadragesimæ, Sacrorum quinque Vulnerum Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.*

Feria VI post Dom. Passionis, Septem Dolorum Beatissimæ Virg. Mariæ, *dupl. maj.*

APRILIS.

1
2 S. Francisci de Paula, Conf., *dupl.*
3
4 S. Isidori, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
5 S. Vincentii Ferrerii, Conf., *dupl.*
6 S. Sixti I, Pap. et Mart., *dupl.*
7 S. Cœlestini I, Pap. et Conf., *dupl.*
8
9
10
11 S. Leonis I, Magni, Pap., Conf. et Doct., *dupl.*
12
13 S. Justini, Philosophi, Mart., *dupl.*
14 SS. Tiburtii et Soc., Mart., *simplex.*
15 S. Hermenegildi, Reg., Mart., *semidupl.* (dies fixa ex 13 hujus).
16
17 S. Aniceti I, Pap. et Mart., *dupl.*
18
19
20
21 S. Anselmi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
22 SS. Soteris et Caii, Pontif. et Mart., *dupl.*
23 S. Georgii, Mart., *dupl.*
24 S. Leodegarii, Presb. et Conf., *dupl.*
25 S. MARCI, EVANG., *dupl.* 2 cl.
26 SS. Cleti et Marcellini, Pont. et Mart., *dupl.*
27 S. Fidelis a Sigmaringa, Mart., *dupl.* (dies fixa ex 24 hujus).
28 S. Vitalis, Mart., *simplex.*
29 S. Petri, Mart., *dupl.*
30 S. Catharinæ Senensis, Virg., *dupl.*

MOBILIA.

Dominica III post Pascha, Festum PATROCINII S. JOSEPH, SPONSI BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 cl.

MAIUS.

1 SS. PHILIPPI ET JACOBI, APOSTOLORUM, *dupl.* 2 cl.
2 S. Athanasii, Episc., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. Transl. S. Alpini, Episc. et Conf.
3 INVENTIO S. CRUCIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *dupl.* 2 classis. Comm. SS. Alexandri, Pap., et Soc., Mart.
4 S. Monicæ, Viduæ, *dupl.*
5 S. Pii V, Pap. et Conf., *dupl.*
6 S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ, ante Portam Latinam, *dupl. maj.*
7 S. Gibriani, Presbyteri et Conf., *dupl.*
8 Apparitio S. Michaelis Archangeli, *dupl. maj.*
9 S. Gregorii Nazianzeni, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
10 S. Antonini, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. SS. Gordiani et Epimachi, Mart.
11 S. Stanislai, Ep. et Mart., *dupl.* (dies fixa ex 7 hujus).
12 SS. Nerei, Achillei, Domitillæ, Virginis, atque Pancratii, Mart., *semidupl.*
13
14 S. Bonifacii, Mart., *simplex.*
15 S. Isidori, Agricolæ, Conf., *dupl.*
16 S. Joannis Nepomuceni, Presbyt. et Mart., *dupl.*
17 S. Paschalis Baylon, Conf., *dupl.*
18 S. Venantii, Mart., *dupl.*
19 S. Pudentianæ, Virginis, *dupl.*
20 S. Bernardini Senensis, Conf., *semidupl.*
21 S. Petri Cœlestini, Pap. et Conf., *dupl.* (dies fixa ex 19 hujus).
22 S. Ubaldi, Ep. et Conf., *semidupl.* (dies fixa ex 16 hujus).
23
24 Beatæ Mariæ Virginis sub titulo : Auxilium Christianorum, *dupl. maj.*
25 S. Gregorii VII, Papæ et Conf., *dupl.* Comm. S. Urbani I, Papæ et Mart.
26 S. Philippi Nerii, Conf., *dupl.* Commem. S. Eleutherii I, Papæ et Mart.
27 S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virginis, *dupl.* Comm. S. Joannis I, Pap. et Mart.
28 S. Germani, Ep. Parisiensis et Conf., *dupl.*
29
30 S. Felicis I, Pap. et Mart., *simpl.*
31 S. Petronillæ, Virginis, *simpl.*

MOBILIA.

Dominica III post Pentecosten, Festum SACRATISSIMI CORDIS JESU CHRISTI, *dupl.* 2 classis.

JUNIUS.

1
2 SS. Pothini, Episc., Blandinæ, Virginis, et Soc., Mart., *dupl.* Comm. SS. Marcellini et Soc., Mart.
3 S. Clotildis, Franc. Reginæ, Vid., *dupl.*
4 S. Francisci Caracciolo, Conf. *dupl.*
5
6 S. Norberti, Episc. et Conf., *dupl.*
7
8
9 SS. Primi et Soc., Mart., *dupl.*
10 S. Margaritæ, Reginæ Scotiæ, Vid., *semidupl.*
11 S. Barnabæ, Apostoli, *dupl. maj.*
12 S. Joannis a S. Facundo, Conf., *dupl.* Comm. SS. Basilidis et Soc., Mart.
13 S. Antonii Patavini, Conf., *dupl.*
14 S. Basilii Magni, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
15 SS. Viti et Soc., Mart., *simpl.*
16
17
18 SS. Marci et Soc., Mart., *simpl.*
19 S. Julianæ de Falconeriis, Virg., *dupl.* Comm. SS. Gervasii et Soc., Mart.
20 S. Silverii I, Pap. et Mart., *simpl.*
21 S. Aloysii Gonzagæ, Conf., *dupl.*
22 S. Paulini, Ep. et Conf., *simpl.*
23 Vigilia.
24 NATIVITAS S. JOANNIS BAPTISTÆ, PRÆCURSORIS DOMINI, *dupl.* 1 cl. cum Octava.
25 S. Guilielmi, Abb., *dupl.* Comm. Oct.
26 SS. Joannis et Pauli, Mart., *dupl.* Comm. Oct.
27 De infra Oct., *semidupl.*
28 S. Leonis II, Pap. et Conf., *dupl.* Comm. Oct. et Vigiliæ.
29 SS. PETRI ET PAULI, APOST., *dupl.* 1 cl. cum Oct. Comm. Omnium SS. Apostol.
30 Commemor. S. Pauli, Apost., *dupl.* Comm. S. Petri, Ap., et Oct. S. Joannis Baptistæ.

JULIUS.

1 Dies Octava Nativit. S. Joannis Baptistæ, *dupl.* Comm. Oct. SS. Apostolorum.
2 VISITATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 cl. Comm. SS. Processi et Soc., Mart., tantum.

3 S. Irenæi, Ep. et Mart., *dupl.* Comm. Oct. SS. Apostolorum.
4 De infra Octavam, *semidupl.*
5 De infra Octavam, *semidupl.*
6 Dies Octava SS. Petri et Pauli, Apostol., *dupl.*
7
8 S. Elisabeth, Reginæ Portugalliæ, Vid., *semidupl.*
9
10 SS. Septem Fratrum, Mart., et SS. Rufinæ ac Secundæ, Virg. et Mart., *semidupl.*
11 S. Pii I, Pap. et Mart., *dupl.*
12 S. Joannis Gualberti, Abb., *dupl.* Comm. SS. Naboris et Soc., Mart.
13 S. Anacleti I, Pap. et Mart., *dupl.*
14 S. Bonaventuræ, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
15 S. Henrici, Imperat., Conf., *dupl.*
16 Commemoratio Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo, *dupl. maj.*
17 S. Alexii, Conf., *semidupl.*
18 S. Camilli de Lellis, Conf., *dupl.* Comm. SS. Symphorosæ et Septem Filiorum, Mart.
19 S. Vincentii a Paulo, Conf., *dupl. maj.*
20 S. Hieronymi Æmiliani, Conf., *dupl.* Comm. S. Margaritæ, Virg. et Mart.
21 S. Praxedis, Virg., *simpl.*
22 S. Mariæ Magdalenæ, Pœnitentis, *dupl.*
23 S. Apollinaris, Ep. et Mart., *dupl.* Comm. S. Liborii, Ep. et Conf.
24 S. Christinæ, Virg. et Mart., *semidupl.* Comm. Vigiliæ.
25 S. Jacobi, Apost., *dupl.* 2 cl. Comm. S. Christophori, Mart.
26 S. Annæ, Matris Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*
27 S. Pantaleonis, Mart., *simpl.*
28 SS. Nazarii, Celsi et Victoris, Papæ, Martyrum, ac S. Innocentii, Papæ et Conf., *semidupl.*
29 S. Lupi, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. SS. Felicis et Soc., Mart.
30 S. Marthæ, Virg., *semidupl.* (dies fixa ex heri). Comm. SS. Abdon et Soc., Mart.
31 S. Ignatii de Loyola, Conf., *dupl.*

MOBILIA.

Dom. I Julii, Festum Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, *dupl.* 2 cl.; quod, occurrente alio Officio potioris vel æqualis ritus, reponendum est Feria II immediate sequenti, translato juxta Rubricas Officio ea Feria occurrente in primam diem liberam.

AUGUSTUS.

1 S. Petri ad Vincula, *dupl. maj.* Comm. S. Pauli, Apost., et SS. Machabæorum, Martyrum.
2 S. Alphonsi Mariæ de Ligorio, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. S. Stephani I, Papæ et Mart.

3 INVENTIO CORPORIS S. STEPHANI, PROTOMART., *dupl. maj.* In Eccl. Cathedrali, *dupl.* 2 cl.
4 S. Dominici, Conf., *dupl.*
5 Dedicatio Basilicæ Sanctæ Mariæ ad Nives, *dupl. maj.*
6 Transfiguratio Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.* Comm. SS. Sixti, Papæ, et Soc., Mart.
7 S. Cajetani Thienæi, Conf., *dupl.* Comm. S. Donati, Ep. et Mart.
8 S. Pomæ, Virginis, *dupl. maj.*
9 SS. Cyriaci et Soc., Mart., *semidupl.* (dies fixa ex heri). Comm. Vigiliæ et S. Romani, Mart.
10 S. LAURENTII, LEVITÆ, MART., *dupl.* 2 cl. cum Octava.
11 S. Philumenæ, Virg. et Mart., *dupl.* Comm. Oct. et SS. Tiburtii et Soc., Mart.
12 S. Claræ, Virg., *dupl.* Comm. Oct. et S. Radegundis, Franc. Reginæ, Viduæ (dies fixa ex 13 hujus).
13 De infra Octavam, *semidupl.* Comm. SS. Hippolyti et Soc., Mart.
14 De infra Octavam, *semidupl.* Comm. Vigiliæ et S. Eusebii, Conf.
15 ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 1 cl. cum Octava.
16 S. Rochi, Conf., *dupl.* Comm. Octavarum.
17 Dies Octava S. Laurentii, Mart., *dupl.* Comm. Oct. Assumptionis.
18 S. Hyacinthi, Conf., *dupl.* (dies fixa ex 16 hujus). Comm. Oct. et S. Agapiti, Mart.
19 S. Elaphii, Ep. et Conf., *dupl. maj.* Comm. Octavæ.
20 S. Bernardi, Abb., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. Octavæ.
21 S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ, *dupl.* Comm. Octavæ.
22 Dies Octava Assumpt. Deiparæ, *dupl.* Comm. SS. Timothei et Soc., Mart.
23 S. Philippi Benitii, Conf., *dupl.* Comm. Vigiliæ.
24 S. BARTHOLOMÆI, AP., *dupl.* 2 cl.
25 S. Ludovici, Franc. Regis, Conf., *dupl. maj.*
26 S. Zephirini I, Papæ et Mart., *simpl.*
27 S. Josephi Calasanctii, Conf., *dupl.*
28 S. Augustini, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. S. Hermetis, Mart.
29 Decollatio S. Joannis Baptistæ, *dupl. maj.* Comm. S. Sabinæ, Mart.
30 S. Rosæ Limanæ, Virg., *dupl.* Comm. SS. Felicis et Soc., Mart.
31 S. Raymundi Nonnati, Conf., *dupl.*

MOBILIA.

Dominica I Augusti, SS. MEMMII, DONATIANI et DOMITIANI, EPISCOPORUM et CONF., PATRONORUM CATALAUNENS., *dupl.* 1 clas. cum Octava.

Dominica II, dies Octava eorumdem Sanctorum, *dupl.*

Dominica infra Oct. Assumpt., S. Joachim, Conf., Patris Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

Dominica postrema Augusti, Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

SEPTEMBER.

1 S. Ægidii, Abbatis, *simpl.* Comm. SS. duodecim Fratrum, Mart.
2 S. Stephani, Regis, Conf., *semidupl.*
3 S. Mansueti, Ep. et Conf., *dupl.*
4
5 S. Laurentii Justiniani, Ep. et Conf., *semidupl.*
6
7 S. Alpini, Ep. et Conf., *dupl. maj.*
8 NATIVITAS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 cl. cum Octava. Comm. S. Adriani, Mart.
9 De infra Octav. *semidupl.* Comm. S. Gorgonii, Mart.
10 S. Nicolai de Tolentino, Conf., *dupl.* Comm. Octavæ.
11 De infra Octavam, *semidupl.* Comm. SS. Proti et Soc., Mart.
12 De infra Octavam, *semidupl.*
13 De infra Octavam, *semidupl.*
14 Exaltatio S. Crucis Domini Nostri Jesu Christi, *dupl. maj.* Comm. Octavæ.
15 Dies Octava Nativitatis Deiparæ, *dupl.* Commem. S. Nicomedis, Mart.
16 SS. Cornelii I, Papæ, et Cypriani, Ep., Mart., *semidupl.* Comm. SS. Euphemiæ et Soc., Mart.
17 Impressio Stigmatum in Corpore S. Francisci Assisiensis, *dupl.*
18 S. Josephi a Cupertino, Conf., *dupl.*
19 SS. Januarii, Ep. et Soc., Mart., *dupl.*
20 SS. Eustachii et Soc., Mart., *dupl.* Comm. Vigiliæ.
21 S. MATTHÆI, APOST. ET EVANG., *dupl.* 2 cl.
22 S. Thomæ de Villanova, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. SS. Mauritii et Soc., Mart.
23 S. Lini I, Papæ et Mart., *dupl.* Comm. S. Theclæ, Virg. et Mart.
24 Beatæ Mariæ Virg. de Mercede, *dupl. maj.*
25
26 SS. Cypriani et Soc., Mart., *simpl.*
27 SS. Cosmæ et Damiani, Mart., *semidupl.*
28 S. Wenceslai, Ducis, Mart. *semidupl.*
29 DEDICATIO S. MICHAELIS ARCHANGELI, *dupl.* 2 cl.
30 S. Hieronymi, Presbyteri, Conf. et Doct., *dupl.*

MOBILIA.

Dominica infra Oct. Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctissimi Nominis ejusdem, *dupl. maj.*

Dominica III Septembris, Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

OCTOBER.

1 S. Remigii, Ep. et Conf., *dupl.*
2 SS. Angelorum Custodum, *dupl.*
3 S. Leudomiri, Ep. et Conf., *dupl. maj.* Comm. S. Juvini, Conf.
4 S. Francisci Assisiensis, Conf., *dupl.*
5 SS. Placidi et Sociorum, Mart., *simpl.*
6 S. Brunonis, Conf., *dupl.*
7 S. Marci I, Papæ et Conf., *dupl.* Comm. SS. Sergii et Soc., Mart.
8 S. Birgittæ, Viduæ, *dupl.*
9 SS. Dionysii, Rustici et Eleutherii, Mart., *dupl.*
10 S. Francisci Borgiæ, Conf., *dupl.*
11
12
13 S. Eduardi, Regis, Conf., *semidupl.*
14 S. Manehildis, Virg., *dupl.*
15 S. Theresiæ, Virg., *dupl.*
16 S. Bercharii, Abbatis, Mart., *dupl.*
17 S. Hedwigis, Viduæ, *semidupl.*
18 S. LUCÆ, EVANGELISTÆ, *dupl.* 2 cl.
19 S. Petri de Alcantara, Conf., *dupl.*
20 S. Joannis Cantii, Conf., *dupl.*
21 S. Hilarionis, Abb., *semid.* Comm. SS. Ursulæ et Sociarum, Virg. et Mart.
22 S. Lupentii, Abb., Mart., *dupl.*
23 Sanctissimi Redemptoris Jesu, *dupl. maj.*
24 S. Raphaelis Archangeli, *dupl. maj.*
25 SS. Chrysanthi et Dariæ, Mart., *semidupl.*
26 S. Evaristi I, Papæ et Mart., *dupl.*
27 S. Callisti I, Papæ et Mart., *dupl.* (dies fixa ex 14 hujus). Comm. Vigiliæ.
28 SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOSTOLORUM, *dupl.* 2 cl.
29 SS. Crispini et Crispiniani, Mart., *semidupl.* (dies fixa ex 25 hujus).
30
31 S. Quintini, Mart., *dupl.* Comm. Vigiliæ.

MOBILIA.

Dominica I Octobris, SS. Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

Dominica II Octobris, Maternitatis Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

Dominica III Octobris, Puritatis Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

Dominica IV Octobris, Patrocinii Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*

NOVEMBER.

1 Solemnitas OMNIUM SANCTORUM, *dupl.* 1 cl. cum Octava.
2 De infra Octavam, *semidupl.* Comm. Omnium Fidelium Defunctorum, *dupl.*
3 De infra Octavam, *semidupl.*
4 S. Caroli Borromæi, Ep., Card. et Conf., *dupl.* Comm. Oct. et SS. Vitalis et Soc., Mart.
5 De infra Octavam, *semidupl.*
6 De infra Octavam, *semidupl.*
7 De infra Octavam, *semidupl.*
8 Dies Octava Omnium Sanctorum, *dupl.* Comm. SS. Quatuor Coronatorum, Mart.
9 Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris Lateran., *dupl.* Comm. S. Theodori, Mart.
10 S. Andreæ Avellini, Conf., *dupl.* Comm. SS. Tryphonis et Soc., Mart.
11 S. Martini, Ep. et Conf., *dupl.* Comm. S. Mennæ, Mart.
12 S. Martini I, Papæ et Mart., *dupl.*
13 S. Stanislai Kostkæ, Conf., *dupl.*
14 S. Didaci, Conf., *semidupl.* (dies fixa ex heri).
15 S. Gertrudis, Virginis, *dupl.*
16
17 S. Gregorii Thaumaturgi, Ep. et Conf., *dupl.*
18 Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli, Apost., *dupl.*
19 S. Elisabeth, Viduæ, *dupl.* Comm. S. Pontiani I, Papæ et Mart.
20 S. Felicis de Valois, Conf., *dupl.*
21 PRÆSENTATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 cl.
22 S. Cæciliæ, Virg. et Mart., *dupl.*
23 S. Clementis I, Papæ et Mart., *dupl.* Comm. S. Felicitatis, Mart.
24 S. Joannis a Cruce, Conf., *dupl.* Comm. S. Chrysogoni, Mart.
25 S. Catharinæ, Virg. et Mart., *dupl.*
26 S. Basoli, Conf., *dupl.* Comm. S. Petri Alexandrini, Ep. et Mart.
27
28 S. Gregorii III, Papæ et Conf., *dupl.*
29 Vigilia. Comm. S. Saturnini, Mart.
30 S. ANDREÆ, APOST., *dupl.* 2 cl.

MOBILIA.

Dominica infra Octavam Omnium Sanctorum, SACRARUM RELIQUIARUM seu Sanctorum, quorum Corpora et Reliquiæ in Cathedrali et aliis Ecclesiis asservantur, *dupl.* 2 cl.

Dominica post Oct. Omn. Sanctorum, ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS CATHEDRALIS cæterarumque Ecclesiarum in Gallia, *dupl.* 1 cl. cum Octava.

Dominica sequenti, Dies Octava Dedicationis Ecclesiarum, *dupl.*

DECEMBER.

1 S. Eligii, Ep. et Conf., *dupl.*
2 S. Bibianæ, Virg. et Mart., *semidupl.*
3 S. Francisci Xaverii, Conf., *dupl.*
4 S. Petri Chrysologi, Ep., Conf. et Doct., *dupl.* Comm. S. Barbaræ, Virg. et Mart.
5 S. Sabbæ, Abb., *simpl.*
6 S. Nicolai, Ep. et Conf., *dupl.*
7 S. Ambrosii, Ep., Conf. et Doct., *dupl.*
8 IMMACULATA CONCEPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS, *dupl.* 2 cl., cum Octava.
9 De infra Octavam, *semidupl.*
10 Translatio Almæ Domus Lauretanæ, *dupl. maj.* Comm. S. Melchiadis, Papæ et Mart.
11 S. Damasi I, Papæ et Conf., *dupl.* Comm. Octavæ.
12 De infra Octavam, *semidupl.*
13 S. Luciæ, Virg. et Mart., *dupl.* Comm. Octavæ.
14 SS. Nicasii et Soc., Mart., *dupl.* Comm. Octavæ.
15 Dies Octava Immaculatæ Conceptionis Deiparæ, *dupl.*
16 Inventio et Translatio S. Memmii, Ep. et Conf., *dupl.*
17 S. Lazari, Discipuli Domini, Ep. et Conf., *dupl.*
18 Expectatio Partus Beatæ Mariæ Virginis, *dupl. maj.*
19 S. Eusebii, Ep. et Mart., *semidupl.* (dies fixa ex 16 hujus).
20 Vigilia.
21 S. THOMÆ, AP., *dupl.* 2 cl.
22
23
24 Vigilia Nativitatis Domini.
25 NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, *dupl.* 1 cl. cum Octava.
26 S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS, *dupl.* 1 cl. cum Octava. Comm. Omnium Sanctorum Mart. et Octavæ.
27 S. JOANNIS, APOST. ET EVANGELISTÆ, *dupl.* 2 cl. cum Octava Comm. Octavarum.
28 SS. INNOCENTIUM MARTYRUM, *dupl.* 2 cl. cum Octava Comm. Octavarum.
29 S. Thomæ, Cantuariensis Ep. et Mart., *semidupl.* Comm. Octavarum.
30 De Dominica vel de Die infra Octavam, *semidupl.* Comm. Octavarum.
31 S. Silvestri I, Pap. et Conf., *dupl.* Comm. Octavarum.

OFFICIA VOTIVA.

Qualibet Feria quinta non impedita Officio novem Lectionum, etiam translato, extra Quadragesimam, Adventum, Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas, Officium Votivum SS. Sacramenti, sub ritu *semiduplici*.

Quolibet Sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus et ritu, Officium Votivum Immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

Catalaunen.

Quod semper in votis habuit Reverendissimus Catalaunensis Episcopus, nimirum ut in sua, qua late patet, Diœcesi Divina Psalmodia expleretur juxta Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matris et Magistræ, id tandem aliquando obtinuisse congaudet. Etenim quum sibi commissus Clerus et ipse jam sponte constituerit hucusque usitatam Liturgiam peculiarem dimittere, Romanamque in omnibus reassumere, Reverendissimus idem Episcopus Kalendarium perpetuum concinnandum curavit, in quo, præter Festa universalis Ecclesiæ, et alia quædem aliquibus in locis celebrari solita, singula potissimum ordinarentur Festa Cœlitum illorum, qui specialem inter Catalaunenses venerationem obtinent. Quod quidem Kalendarium quum humillimis dictis precibus exhibuerit Sanctissimo Domino nostro Pio IX, Pontifici Maximo, ut de more adprobare dignaretur, Cleroque Catalaunensi concedere, Sanctitas Sua, referente me subscripto sacrorum Rituum Congregationis Pro-Secretario, piis hujusmodi precibus benigne annuens, Kalendarium idem antea diligenti examine perpensum, et emendatum, uti superiori Exemplari adnotatur, ita Suprema Auctoritate sua adprobavit, ut juxta ipsum deinceps Clerus Catalaunensis Divinas Laudes persolvere adigatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 decembris 1852.

A. Card. Lambruschini, S. R. C. Præfectus.

Dom. Gigli, S. R. C. Pro-Secretarius.

CATALAUNEN.

Quum præter Kalendarium Perpetuum pro Clero Catalaunensi formaliter hac ipsa die adprobatum, Reverendissimus illius Ecclesiæ Episcopus Sanctissimum Dominum Nostrum Pium IX, Pontificem Maximum, rogavit enixe ut insimul adprobare dignaretur Officia quædam peculiaria cum Missis Diœcesis suæ, hæc singula proposita Sanctissimus idem Dominus diligenti examini de more et revisioni subjiciendo præcepit. Qua tandem revisione peracta juxta Sanctitatis Suæ Mentem, Officia ipsa, ut in adjectis codicibus per quatuor anni partes distributa, Missasque in apposito codice adnotatas Sanctitas ipsa Sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Secretario, adprobavit Cleroque Catalaunensi concessit, ne vel in minimo illos inter Fideles decrescat cultus, vel imminuatur pietas, qua ipsi Cœlestes Patronos suos venerari assolent. Mandavit vero Sanctissimus ut postquam Kalendarium ipsum Perpetuum et Proprium Officiorum atque Missarum typis mandata fuerint, duplex omnium authenticum exemplar ad Sacrorum Rituum Congregationem illico transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 30 decembris 1852.

A. Card. LAMBRUSCHINI, S. R. C. Præfectus.

Dom. GIGLI, S. R. C. Pro-Secretarius.

9

PROPRIUM MISSARUM
DIOECESIS CATALAUNENSIS.

Missæ Sanctorum quæ in hoc Proprio non assignantur, dicendæ sunt prout in Missali Romano describuntur, habita nihilominus ratione ritus quo gaudent eorum Festa in Diœcesi Catalaunensi.

MISSÆ FESTORUM MOBILIUM.

FERIA III INFRA HEBD. SEXAGESIMÆ.

ORATIONIS D. N. J. C.

IN MONTE OLIVETI.

Missa Cor meum, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. cxvij.

FERIA VI POST CINERES.

COMMEMORATIO

PASSIONIS D. N. J. C.

Missa Humiliávit, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. cxviij.

FERIA VI INFRA HEBD. I QUADRAG.

S. SPINEÆ CORONÆ

D. N. J. C.

Missa Egredímini, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. cxviij.

FERIA VI INFRA HEBD. II QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAVORUM

D. N. J. C.

Missa Fodérunt manus meas, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. xcix.

FERIA VI INFRA HEBD. III QUADRAG.

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Missa Humiliávit, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. c.

FERIA VI INFRA HEBD. IV QUADRAG.

SS. QUINQUE VULNERUM

D. N. J. C.

Missa Humiliávit, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. cj.

DOMINICA III POST PENTECOSTEN.

SS. CORDIS D. N. J. C.

Missa Miserébitur, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. cij.

DOMINICA I AUGUSTI.

SANCTORUM

MEMMII, DONATIANI ET DOMITIANI, EPISC. ET CONF., PATRONORUM CATALAUNENSIUM.

Introitus. Psalm. 95.

ANNUNTIATE inter Gentes quóniam magnus Dóminus super omnes deos : quóniam omnes dii Géntium, dæmónia; Dóminus autem cœlos fecit. *Psalm.* Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beatórum Mémmii Pontificis, sociorúmque et succes-

sórum ejus, Donatiáni et Domitiáni ministério, de ténebris nos in admirábile lumen tuum vocásti : fac ut eórum intercessióne crescámus in grátia et cognitióne Dómini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit et regnat.

Fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. 1. *Thess.* 2.

FRATRES ; Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo : sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium : ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis : neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli : sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tanquam si nutrix fóveat filios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras : quóniam charíssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, Fratres, labóris nostri et fatigatiónis : nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis, qui credidístis, fúimus : sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum (sicut pater filios suos) deprecántes vos et consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. Ideo et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne : quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.

Graduale. Is. 60. Qui sunt isti qui ut nubes volant, et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. *Act.* 16. Isti hómines servi Dei excélsi sunt qui annúntiant vobis viam salútis. Allelúia, allelúia. ℣. *Act.* 13. Audiéntes Gentes, gavísæ sunt, et glorificábant verbum Dómini : et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. *Marc.* 16.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit. Qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur : In nómine meo dæmónia ejícient; linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Credo. *Et dicitur per totam Oct., etiam in Festis occurr.*

Offertorium. 2. *Thess.* 1. Orámus semper pro vobis, ut dignétur vos vocatióne sua Deus noster, ut ímpleat omnem voluntátem bonitátis, et opus fídei in virtúte; ut clarificétur nomen Dómini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo; allelúia.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, Deus, in hac solemnitáte beatórum Mémmii, Donatiáni et Domitiáni Pontificum, vocatiónis suæ diem celebrántis preces exáudi, súscipe gratiárum et laudis pro ineffábili dono sacrifícium : et præsta; ut de potestáte tenebrárum erépti, in ætérnum vidére mereámur datum nobis Salvatórem et hóstiam Jesum Christum Filium tuum Dóminum nostrum. Qui tecum.

Fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Dicitur Præfatio Omnium Sanctorum, ut infra, f. 30.

Communio. Coloss. 1. Cum essétis alienáti et inimíci sensu in opéribus malis; reconciliávit Deus in córpore carnis Christi, exhibére vos sanctos coram ipso : si tamen permanétis in fide fundáti et immóbiles a spe Evangélii, quod audístis.

Postcommunio.

Salutari mystério, quæsumus Dómine, confírma in nobis opus tuæ pietátis : ut qui per beátos Pontífices Mémmium, Donatiánum et Domitiánum reconciliatiónem in Christo percépimus; ipsórum adjúti suffrágiis, sancti coram te et irreprehensíbiles reperiámur. Per eúmdem Dóminum.

Fit Comm. Domin. occurr.

Ultimum Evangelium de Domin.

DIEBUS INFRA OCTAVAM,

Fit de ea Commemoratio per Orationes Festi in Semiduplicibus et Duplicibus, modo non sint 2 Classis.

Et nisi propriam habeant Præfationem, dicitur Præfatio de Octava SS. Memmii et Soc.

DOMINICA II AUGUSTI.

DIES OCTAVA

SS. MEMMII ET SOCIORUM.

Missa ut in Festo, cum Commemoratione Dominicæ.

DOMINICA POSTREMA AUGUSTI.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. civ.

In Præfatione dicitur Et te in Festivitáte immaculáti Cordis.

DOMINICA II OCTOBRIS.

MATERNITATIS B. M. V.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. clxxij.

DOMINICA III OCTOBRIS.

PURITATIS B. M. V.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. clxxiij.

DOMINICA IV OCTOBRIS.

PATROCINII B. M. V.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliquibus locis,* f. clxxv.

DOM. INFRA OCTAV. OMN. SANCTORUM.

SANCTARUM

RELIQUIARUM, seu SANCTORUM

QUORUM CORPORA ET RELIQUIÆ IN CATHEDRALI ALIISQUE ECCLESIIS ASSERVANTUR.

Missa Multæ tribulatiónes, *ut in Appendice pro aliq. locis,* f. clxxviij, *præter sequentia.*

Fit Commemoratio de Dominica occurrente ; non vero de Octava, nisi sit Octava dies.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc.* 20.

In illo témpore : Accessérunt quidam Sadducæórum, qui negant esse resurrectiónem, et interrogavérunt Jesum, dicéntes : Magister, Móyses scripsit nobis : Si frater alicújus mórtuus fúerit habens uxórem, et hic sine liberis fúerit, ut accípiat eam frater ejus in uxórem, et súscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant : et primus accépit uxórem, et mórtuus est sine fíliis. Et sequens accépit illam, et ipse mórtuus est sine fílio. Et tértius accépit illam. Simíliter et omnes septem, et non reliquérunt semen, et mórtui sunt. Novíssime ómnium mórtua est et múlier. In resurrectióne ergo, cujus eórum erit uxor? síquidem septem habuérunt eam uxórem. Et ait illis Jesus : Filii hujus sæculi nubunt, et tradúntur ad núptias : illi vero, qui digni habebúntur sæculo illo, et resurrectióne ex mórtuis, neque nubent, neque ducent uxóres : neque enim ultra mori póterunt; æquáles enim Angelis sunt, et fílii sunt Dei, cum sint fílii resurrectiónis. Quia vero resúrgant mórtui, et Móyses osténdit secus rubum, sicut dicit Dóminum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. Deus autem non est mortuórum, sed vivórum; omnes enim vivunt ei. Credo.

Præfatio de Omnibus Sanctis, ut infra, f. 30.

Ultimum Evangelium de Dom.

DOMIN. POST OCTAV. OMN. SANCTORUM.

ANNIVERS. DEDICATIONIS

CATHEDRALIS CATALAUNENSIS,

CÆTERARUMQUE ECCLES. IN GALLIA.

Missa Terríbilis est, *de Anniver. Dedicationis Ecclesiæ, ut in Missali,* f. xxxij.

Fit Commemoratio de sola Dominica occurrente.

Dicitur Præfatio propria, ut infra, f. 32.

In fine Missæ, Evang. Domin.

DIEBUS INFRA OCTAVAM,

Fit de ea Comm. per Orat. Festi in Semiduplici et Duplici, modo non sit 2 Classis.

Et nisi propriam habeant Præfationem, dicitur Præfatio Octavæ Dedicationis.

DOMINICA SEQUENTI.

DIES OCTAVA

ANNIVERSARII DEDICATIONIS.

Missa ut in Festo.

Fit Commem. Domin. occurr.

In fine Missæ, Evang. Domin.

MISSÆ VOTIVÆ.

Extra Adventum, Quadragesimam, Ferias, Vigilias, Octavasque privilegiatas, modo non occurrat Festum IX Lect., etiam translatum, aut Officium Dominicæ anticipatum, dicitur Missa votiva sub ritu semiduplici :

1° *Singulis Feriis V, de SS. Sacramento,* Cibávit eos, *inter Missas votivas,* f. xl, *cum Præfatione de Festo Corporis Christi, ut infra,* f. 27.

2° *Singulis Sabbatis, de Immaculata Conceptione B. M. V.* Venite et vidéte, *ut in Appendice pro aliq. locis,* f. cv.

MISSÆ SANCTORUM.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

SANCTI ELIGII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xvij.

In Adventu fit Commem. Feriæ.

DIE VIII.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

B. M. V.

Missa Veníte et vidéte, *de Appendice pro aliq. locis*, f. cv.

Comm. de Adventu.

Eadem Missa dicitur infra Octavam, quando fit de ea.

DIE X.

TRANSLATIONIS

ALMÆ DOMUS LAURETANÆ.

Missa Terríbilis est, *de Appendice pro aliquibus locis*, f. cvj; *et in ea fit Commemoratio de Feria et de S. Melchiade, Papa et Martyre, ex Missa* Státuit ei Dóminus, *de Communi unius Martyris Pontificis*, f. iij.

DIE XIV.

SS. NICASII, REM. EPISC.,

ET SOCIORUM EJUS, MART.

Missa Sapiéntiam, *de Comm. plur. Mart.*, f. xiij; *et in ea fit Comm. de Oct. et de Feria.*

¶ *Si occurrant Quatuor Tempora, Evang. Feriæ legetur ultimum; et sic in Festis seq.*

DIE XVI.

INVENTIONIS ET TRANSLATIONIS

SANCTI MEMMII,

PRIMI CATAL. EPISCOPI ET CONFESS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv, *præter sequentia.*

Oratio.

Deus, qui beátum Mémmium, Confessórem tuum atque Pontíficem, nobis fídei præcónem tribuísti: concéde propítius; ut qui festíva ejus Inventióne et Translatióne lætámur, ejus quoque protectiónis auxílium semper sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Fit Comm. de Feria.

Evangelium Ecce nos relíquimus ómnia, *de Com. Abbatum*, f. xxij.

DIE XVII.

S. LAZARI, DISCIPULI DOMINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Confessoris Pontificis*, f. xvij, *præter sequentia.*

Com. de Feria.

Evangelium Erat quidam languens Lázarus, *de Feria VI infra Hebd.* IV *Quadragesimæ*, f. 101.

Communio. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judæis, et exclamávit: Lázare, veni foras. Et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

DIE XVIII.

EXPECTATIONIS PARTUS

B. M. V.

Missa Roráte cœli, *ut in Appendice pro aliq. locis,* f. cix.

Fit Com. de Feria.

DIE XIX.

SANCTI EUSEBII,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., die XVI *hujus mensis,* f. 338.

DIE XXVI.

IN FESTO S. STEPHANI,

PROTOMARTYRIS,

OMNIUM SS. MARTYRUM

COMMEMORATIO.

Oratio.

DEUS, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum : réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eorum précibus adjuvári mereámur.

Postea fit Commem. de Nativitate.

Secreta.

ADESTO Dómine supplicatiónibus nostris, quas in Sanctorum tuórum commemoratióne deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum, qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur.

Postcommunio.

QUÆSUMUS Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur.

FESTA JANUARII.

DIE XXII.

SANCTI VINCENTII,

DIAC., MART.

Missa Lætábitur, *de Comm. unius Mart. non Pont.,* f. vj, *præter seq.*

Evangelium Nisi granum fruménti, *de Festo sancti Laurentii,* f. 444.

DIE XXIII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliq. locis,* f. cxj; *et fit Comm. de S. Joseph et de S. Emerentiana, Virg. et Mart.,* ibidem.

DIE XXVI.

IN FESTO S. POLYCARPI,

COMMEMORATIO

SANCTÆ BATHILDIS,

FRANC. REGINÆ, VIDUÆ.

Orationes ex Missa Cognóvi, *de Com. nec Virg. nec Mart.,* f. xxx.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

S. GENOVEFÆ, VIRGINIS.

Missa Dilexísti, *de Comm. Virg. tantum,* f. xxvj; *et in ea fit Com. S. Blasii, Episc. et Mart., ex Missa* Sacerdótes Dei, *de Comm. unius Mart. Pont.,* f. iv.

DIE IV.

S. JOANNÆ VALESIÆ,

FRANC. REG., VIDUÆ.

Missa ut in Appendice pro aliquibus locis, f. cxvj.

DIE VI.

S. ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die IV *hujus mensis,* f. 358; *et fit Commem. de S. Dorothea, Virg. et Mart., ex Missa* Me expectavérunt, *de Com. Virg. et Mart.,* f. xxiv.

¶ *Si celebretur in Quadrag., prima Com. erit de Feria, cujus Evang. legetur in fine Missæ. Et sic in similibus casibus.*

DIE IX.

S. ANASTASII, MARTYRIS.

Missa Lætábitur, *de Com. unius Mart. non Pont.*, f. vj. *Fit Comm. S. Apolloniæ, Virg. et Mart.*, *ex Missa* Loquébar, *de Com. Virg. et Mart.*, f. xxiij. *Tertia Oratio* A cunctis.

DIE XI.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT,

CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die XXIII *Januarii*, f. 348. *Secunda Oratio* A cunctis. *Tertia, ad libitum.*

DIE XIII.

SANCTI GREGORII II,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Com. Confess. Pont.*, f. xv.

DIE XVI.

BEATI GREGORII X,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *cum Orat. propria, ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxxj.

DIE XVII.

SANCTÆ JULIANÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Missa Loquébar, *de Comm. Virg. et Mart.*, f. xxiij. *Secunda Oratio* A cunctis. *Tertia, ad libitum.*

DIE XXV; *in biss.* XXVI.

SANCTI FELICIS III,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv.

DIE XXVI; *in biss.* XXVII.

S. MARGARITÆ CORTONENSIS,

PŒNITENTIS.

Missa Cognóvi, *ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxxj. *Secunda Oratio* A cunctis. *Tertia, ad libitum.*

FESTA MARTII.

DIE I.

SANCTI ALBINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xvij. *Secunda Oratio* A cunctis. *Tertia, ad libitum.*

DIE II.

SANCTI SIMPLICII,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv.

DIE IV.

SANCTI LUCII I,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Missa Sacerdótes Dei, *de Comm. unius Mart. Pont.*, f. iv.

DIE V.

SANCTI CASIMIRI,

CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die IV *hujus mensis*, f. 363, *excepta Com. S. Lucii.*

DIE XV.

SANCTI ZACHARIÆ I,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Confess. Pont.*, f. xv.

DIE XVIII.

S. GABRIELIS ARCHANGELI.

Missa Benedícite, *ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxxiv.

DIE XXVIII.

SANCTI SIXTI III,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv.

FESTA APRILIS.

DIE VI.

SANCTI SIXTI I,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Missa Státuit, *de Comm. unius Mart. Pont.*, f. iij. *Temp. Pasch.*, *Missa* Protexísti, *f.* viij.

DIE VII.

SANCTI CŒLESTINI I,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit ei Dóminus, *de Communi Confessoris Pontificis*, f. xv.

DIE XIII.

SANCTI JUSTINI,

PHILOSOPHI, MARTYRIS.

In Quadrag., *Missa* In virtúte, *de Communi unius Martyris non Pontificis,* f. v. *Tempore Paschali*, *Missa* Protexísti, *de Communi unius Martyris,* f. viij, *cum Orationibus e tertio loco.*

DIE XV.

SANCTI HERMENEGILDI,

REGIS, MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., die XIII *hujus mensis,* f. 374.

DIE XVII.

SANCTI ANICETI I,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., *hac die*, f. 375.

Si autem celebretur extra Tempus Paschale, Missa Sacerdótes Dei, *de Comm. unius Mart. Pontificis*, f. iv.

DIE XXIV.

SANCTI LEODEGARII,

PRESB. ET CONF.

Missa Os justi, *de Com. Conf. non Pont.*, f. xx.

DIE XXVII.

S. FIDELIS A SIGMARINGA,

MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., die XXIV *hujus mensis*, f. 377.

FESTA MAII.

DIE II.

IN FESTO S. ATHANASII,

COMMEMORATIO

TRANSLATIONIS S. ALPINI,

CATAL. EPISC. ET CONF.

Oratio.

Deus, qui beátum Alpínum Pontíficem et salútis ætérnæ minístrum nobis tribuísti : præsta quæsumus; ut cujus Reliquiárum Translatiónem recólimus in terris, ejúsdem précibus adjuvémur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias pópuli tui, Dómine, propítius intuére : ut quod nostra fidúcia non merétur, per eum quem nobis constituísti Præsulem, incessabíliter largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sanctifica nos, Dómine quæsumus, salutári mystério : et pro nobis beáti Alpíni non desit orátio, cujus nos donásti ministério gubernári. Per Dóminum.

DIE VII.

SANCTI GIBRIANI,

PRESB. ET CONF.

Missa Os justi, *de Comm. Conf. non Pontif.*, f. xx.

DIE XI.

SANCTI STANISLAI,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., die VII *hujus mensis*, f. 386.

DIE XV.

SANCTI ISIDORI,

AGRICOLÆ, CONFESSORIS.

Missa Justus ut palma, *ut supra in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxxxij.

DIE XVI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

PRESB. ET MARTYRIS.

Missa Lætábitur, *vel* Protexísti, *pro tempore, ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxxxiij.

DIE XIX.

SANCTÆ PUDENTIANÆ,

VIRGINIS.

Missa Dilexísti, *de Comm. Virg. tantum* , f. xxvj , *excepta Oratione.*

Oratio.

Deus, qui beátam Pudentiánam, Vírginem tuam, exímiæ pietátis opéribus et insígni in fídei tuæ Confessóres charitáte mirábilem effecísti : fac nos ejus méritis et intercessióne, perfécta charitáte fervéntes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit et regnat.

DIE XXI.

S. PETRI COELESTINI,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die XIX *hujus mensis*, f. 390, *præter Commem. S. Pudentianæ.*

DIE XXII.

SANCTI UBALDI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die XVI *hujus mensis*, f. 389.

DIE XXIV.

B. M. V. SUB TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa Salve, sancta Parens, *ut in Appendice pro aliquibus locis, hac die*, f. cxxxvij.

DIE XXVIII.

SANCTI GERMANI,

PARIS. EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xvij.

FESTA JUNII.

DIE II.

SANCTI POTHINI,

LUGD. EPISCOPI,

SANCTÆ BLANDINÆ, VIRGINIS,

ET SOC., MART.

Tempore Paschali, Missa Sancti tui, *de Com. Mart.*, f. x, *cum Orat.* Deus, qui nos concédis, *secundo loco.*

Comm. SS. Marcellini, etc., ut in proprio Sanctorum, hac die, f. 393.

Post Pentecosten, Missa Sapiéntiam, *de Com. plur. Mart.*, f. xiij; *et fit Comm. SS. Marcellini, etc., ut supra.*

DIE III.

SANCTÆ CLOTILDIS,

FRANC. REG., VIDUÆ.

Missa Cognóvi, *de Com. nec Virg. nec Mart.*, f. xxx, *præter sequentes Orationes.*

Oratio.

Respice, quæsumus Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti; iísdem per ejus intercessiónem tribue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

Secreta.

MUNERA nostra benígnus súscipe, Deus : et qui sanctæ Clotildis gémitus exaudísti, pópulum sub ejus patrocínio deprecántem ne despícias, regnúmque quod tibi subjécit, perpétua protectióne custódi. Per Dóminum.

Postcommunio.

ANGELORUM pane satiáti, te, Dómine, súpplices exorámus : ut quos per beátam Clotíldem ad cœléste regnum vocáre dignátus es, fácias ejúsdem regni possessióne felíces. Per Dóminum.

DIE XXIX.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI,

OMNIUM SS. APOSTOLORUM

COMMEMORATIO.

Oratio Exáudi nos, etc., *ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. cxliv, *secundo loco.*

FESTA JULII.

DIE III.

SANCTI IRENÆI,

LUGD. EPISC. ET MART.

Missa Státuit, *de Comm. unius Mart. Pont.*, f. iij, *præter seq.*

Oratio.

DEUS, qui beáto Irenæo Mártyri tuo atque Pontífici tribuísti, ut in veritáte doctrínæ expugnáret hæreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret : da quæsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. PerDóminum.

Fit Com. de Octava SS. Petri et Pauli.

Evangelium Ego sum pastor bonus, *de Dominica II post Pascha*, f. 252.

DIE XXIV.

SANCTÆ CHRISTINÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Missa Me expectavérunt, *de Com. Virg. et Mart.*, f. xxiv.

Fit Com. Vigiliæ S. Jacobi, cujus Evang. legitur in fine Missæ.

Tertia Oratio A cunctis.

DIE XXIX.

SANCTI LUPI,

TREC. EPISC. ET CONF.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xvij.

Fit Com. SS. Felicis, etc., de Proprio SS., sub hac die, f. 432.

DIE XXX.

SANCTÆ MARTHÆ,

VIRGINIS.

Missa ut in Proprio SS., die XXIX *hujus mensis*, f. 431.

Fit Com. SS. Abdon et Sennen, Mart., de Proprio SS., die XXX, f. 432.

Tertia Oratio A cunctis.

FESTA AUGUSTI.

DIE VIII.

SANCTÆ POMÆ,

VIRGINIS.

Missa Dilexisti, *de Comm. Virg. tantum*, f. xxvj.

Si hodie sit Sabbatum, fit Comm. Vigiliæ S. Laurentii, de qua legitur Evangelium in fine Missæ.

DIF IX.

SANCTORUM MARTYRUM

CYRIACI, LARGI ET SMARAGDI.

Missa ut in Proprio SS., die VIII *hujus mensis*, f. 441 ; *et in ea fit Comm. de Vigilia S. Laurentii et de S. Romano, Mart., die* IX, f. 442.

DIE XI.

SANCTÆ PHILUMENÆ,

VIRGINIS ET MARTYRIS.

Missa Loquébar, *de Comm. Virg. et Mart.*, f. xxiij.

Fit Comm. de Octava S. Laurentii et de SS. Tiburtio et Suzanna, Mart., ut in Proprio SS., hac die, f. 444.

DIE XII.

IN FESTO SANCTÆ CLARÆ,

COMMEMORATIO

SANCTÆ RADEGUNDIS,

FRANC. REG., VIDUÆ.

Oratio.

Tuorum corda fidélium, Deus miserátor, illústra : et beátæ Radegúndis précibus gloriósis, fac nos próspera mundi despícere, et cœlésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, Dómine, múnera quæ in beátæ Radégundis commemoratióne deférimus : cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per.

Postcommunio.

Auxilientur nobis, Dómine, sumpta mystéria : et intercedénte beáta Radegúnde, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per.

DIE XVI.

SANCTI ROCHI,

CONFESSORIS.

Missa Justus ut palma, *ut in Appendice pro aliquibus locis*, f. clxj.

DIE XVIII.

SANCTI HYACINTHI,

CONFESSORIS.

Missa ut in Proprio SS., die XVI *hujus mensis,* f. 449, *addita Commem. S. Agapiti, ut in eodem Proprio, die* XVIII, f. 450.

DIE XIX.

SANCTI ELAPHII,

CATAL. EPISC. ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv, *prœter sequentia.*

Oratio.

Omnipotens Deus, qui beátum Eláphium, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Fit Comm. de Oct. Assumptionis. Credo. *Prœfatio de Assumptione.*

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE III.

SANCTI MANSUETI,

TULL. EPISC. ET CONF.

Missa Sacerdótes tui, *de Comm. Confessoris Pontificis*, f. xvij.

DIE VII.

SANCTI ALPINI,

CATAL. EPISC. ET CONF.

Missa Státuit, *de Comm. Confess. Pont.*, f. xv, *prœter seq. Orationem.*

Oratio.

Omnipotens Deus, qui beátum Alpínum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS.

DIE III.

SANCTI LEUDOMIRI,

CATAL. EPISC. ET CONF.

Missa Státuit, *de Comm. Conf. Pont.*, f. xv, *præter seqentia.*

Oratio.

OMNIPOTENS Deus, qui beátum Leudomírum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pópulo tuo præésse, et quibus præerat, verbo et exémplo prodésse voluísti : eódem intercedénte, Pastóres Ecclésiæ tuæ, cum grégibus sibi commíssis, dírige in viam salútis ætérnæ; ut omnes, te donánte, tibi plácita cúpiant, et tota virtúte perfíciant. Per Dóminum.

Fit Comm. S. Juvini, Conf., per Orat. ex Missa Justus ut palma, *de Comm. Conf. non Pont.*, f. xxj.

DIE XIV.

SANCTÆ MANEHILDIS,

VIRGINIS.

Missa Vultum tuum, *de Comm. Virg. tantum*, f. xxvij.

DIE XVI.

SANCTI BERCHARII,

ABBATIS ET MART.

Missa In virtúte, *de Comm. unius Mart. non Pont.*, f. v.

DIE XXII.

SANCTI LUPENTII,

ABBATIS ET MARTYRIS.

Missa In virtúte, *de Comm. unius Mart. non Pont.*, f. v.

DIE XXIII.

SS. REDEMPTORIS JESU.

Missa Gaudens gaudébo, *ut in Appendice pro aliquibus locis, hac die*, f. clxxv.

DIE XXIV.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Missa Benedícite, *ut in Appendice pro aliquibus locis, hac die*, f. clxxvij.

DIE XXVII.

SANCTI CALLISTI I,

PAPÆ ET MARTYRIS.

Missa ut in Proprio SS., die XIV *hujus mensis*, f. 479.

Fit Comm. Vigiliæ SS. Simonis et Judæ, ut f. 483, *cujus Evangelium legitur in fine Missæ.*

DIE XXIX.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI,

MARTYRUM.

Missa Sapiéntiam, *de Com. plur. Mart.*, f. xiij.

DIE XXXI.

SANCTI QUINTINI,

MARTYRIS.

Missa Lætábitur, *de Com. unius Mart. non Pont.*, f. vj.

Fit Comm. Vigiliæ Omnium SS., ut f. 486, *cujus Evangelium legitur in fine Missæ.*

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ,

CONFESSORIS.

Missa Consummátus, *ut in Appendice pro aliquibus locis, hac die*, f. clxxj.

DIE XIV.

SANCTI DIDACI,

CONFESSORIS.

Missa, ut in Proprio SS., die XIII *hujus mensis*, f. 492.

DIE XXVI.

SANCTI BASOLI,

SOLIT. ET CONFESSORIS.

Missa Os justi, *de Communi Abbatum,* f. xxij, *omissis, in Orationibus, vocibus* Abbátis *et* Abbas.

Fit Comm. S. Petri Alexandrini ex Missa Státuit, *de Comm. unius Mart. Pont.*, f. iij.

DIE XXVIII.

SANCTI GREGORII III,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Missa Státuit, *de Comm. Confess. Pont.*, f. xv.

In Adventu, Comm. de Feria.

PRÆFATIONES PROPRIÆ.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI,

Et per ejus Octavam, etiam in Festis occurr., quibus propria non assignatur; item in Missis votivis de SS. Sacramento.

Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : per Christum Dóminum nostrum. Qui, remótis carnálium victimárum inánibus umbris, corpus et sánguinem suum nobis in sacrifícium commendávit; ut in omni loco offerátur nómini tuo, quæ tibi sola complácuit, oblátio munda. In hoc ígitur inscrutábilis sapiéntiæ, et imménsæ charitátis mystério, idípsum quod semel in cruce perfécit, non cessat mirabíliter operári, ipse ófferens, ipse et oblátio. Et nos, unam secum hóstiam effécto, ad sacrum invítat convívium, in quo ipse cibus noster súmitur, recólitur memória passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

EADEM PRÆFATIO CUM CANTU.




obla- ti- o mun-da. In hoc i-
· gi-tur in-scru-ta-bi-lis sa-pi-en-
ti-æ, et immensæ charitatis
my-ste- ri- o, id-ipsum quod se-
mel in cru-ce perfe-cit, non ces-
sat mi-ra-bi-li-ter o- pe- ra- ri,
ip- se of- ferens, ip- se et
o- bla- ti-o. Et nos, unam se-
cum hostiam effectos, ad sa-
crum invitat con- vi- vi- um, in
quo ip- se cibus noster su- mi-
tur, re-co-li-tur memori-a pas-
si- o- nis e- jus, mens imple-
tur gra-ti- a, et futuræ glo-
ri- æ no-bis pi-gnus da- tur.
Et id- e- o cum Angelis et
Ar-chan-ge-lis, cum Thronis
et Domi-na-ti- o - nibus, cum-
que omni mi-li- ti- a cœlestis
ex- er-ci-tus, hymnum glo-ri-
æ tu- æ ca- nimus, sine fi-
ne di-cen-tes.

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM,

Et per ejus Octavam, etiam in Festis occurrentibus, propriam non habentibus. Hæc Præfatio dicitur pariter in Festo S. Patroni, vel Titularis Ecclesiæ, et infra ejus Octavam, nisi hoc Festum propriam habeat, vel incidat infra aliam Octavam sua Præfatione gaudentem.

Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.


Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui glorificáris in concílio Sanctórum, et eórum coronándo mérita, corónas dona tua: qui nobis in eórum præbes et conversatióne exémplum, et communióne consórtium, et intercessióne subsídium: ut tantam habéntes impósitam nubem téstium, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, et cum eis percipiámus immarcescíbilem glóriæ corónam: per Jesum Christum Dóminum nostrum, cujus sánguine ministrátur nobis intróitus in ætérnum regnum. Per quem majestátem tuam treméntes adórant Angeli, et omnes Spirítuum cœléstium chori sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:


Sanctus, etc.

EADEM PRÆFATIO CUM CANTU.




stum est. Ve- re dignum et
justum est, æquum et sa- lu-
ta- re, nos ti- bi semper et u-
bique, gra-ti- as a- ge-re,
Domine sancte, Pater omni-
potens, æ-ter-ne De-us. Qui
glo-ri-fi-ca-ris in con-ci- li- o
San-cto-rum, et e-o-rum coro-
nando me-ri- ta, co-ro-nas
do- na tu- a : qui nobis in e-
orum præbes et conversa-ti-
o- ne ex- em- plum, et commu-
ni- o- ne con-sor- ti- um, et in-


terces-si- o- ne subsi- di-um :
ut tantam habentes im-po-si-
tam nubem te- stium, per pa-
ti-en-ti-am curramus ad pro-
positum nobis cer-ta-men, et
cum e- is per-ci- pi- a-mus im-
marcesci-bi-lem glo- ri- æ co-
ro-nam : per Jesum Christum
Dominum no-strum, cujus san-
guine ministratur nobis intro-
i-tus in æ- ter-num re-gnum.
Per quem majestatem tu-am
trementes a-do-rant An-ge- li,



IN DEDICATIONE ET ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ,

Ac per ejus Octavam, etiam in Festis occurrentibus, nisi propriam habeant.


Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus; cujus virtus magna, píetas copiósa. Réspice, quæsumus, Dómine, de cœlo, et vide, et vísita domum istam; ut quisquis in ea nómini tuo supplicáverit, libénter exáudias, et satisfaciéntibus cleménter ignóscas. Hic tibi Sacerdótes tui sacrifícium laudis ófferant; hic fidélis pópulus vota persólvat. Hic peccatórum ónera deponántur; hic fides sancta stabiliátur. Hinc píetas absolúta rédeat; hinc iníquitas emendáta discédat. Invéniat apud te, Dómine, locum véniæ, quicúmque satisfáciens huc confúgerit, et cónscio dolóre victus, altária tua rivis suárum elúerit lacrymárum. Hic, si quando pópulus tuus tristis mœstúsque convénerit, tu acquiésce rogári, et rogátus indúlge : per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes : Cœli cœlorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

EADEM PRÆFATIO CUM CANTU.




bi sa-cer-do-tes tu- i sa-cri-fi-
cium laudis of- fe-rant; hic
fi de- lis populus vo- ta per-
sol-vat. Hic pecca-to-rum one-
ra de-po-nan-tur : hic fides
sancta sta- bi- li- a- tur. Hinc
pi-e-tas ab-so-lu-ta re-de-
at; hinc i- ni- qui-tas emenda-
ta disce-dat. Inve- ni-at a-
pud te, Domine, lo-cum ve-
ni- æ quicumque sa-tis-fa-ci-ens
huc con-fu-ge-rit, et consci-o
do-lo-re vi-ctus, al-ta-ri- a
tu- a ri-vis su- a-rum e-lu-
e- rit la-cryma-rum. Hic si
quando populus tu-us tristis
mœstusque con-ve- nerit, tu ac-
quies-ce ro- ga- ri, et roga-
tus in- dul-ge : per Christum
Do-minum nostrum. Per quem
majestatem tuam laudant An-
ge-li, a-dorant Domina-ti - o-
nes, tremunt Po-testa- tes : Cœ-
li cœ-lorumque Virtutes ac be-
a- ta Se-raphim, so - ci-a
ex-ul-ta-ti- o- ne con- ce-




IN MISSIS DEFUNCTORUM.


Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℟. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : per Christum Dóminum nostrum. In quo nobis spem beátæ resurrectiónis concessísti; ut dum natúram contrístat certa moriéndi condítio, fidem consolétur futúræ immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur; et dissolúta terréstris hujus habitatiónis domo, ætérna in cœlis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes :

Sanctus, etc.

EADEM PRÆFATIO CUM CANTU.





PARISIIS. — TYPIS ADRIANI LE CLERE,
DD. SS. Papæ et DD. Archiepiscopi Parisiensis Typographorum. —
Via dicta Cassette, 29.

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

ECCLESIÆ DIVIONENSIS

A SS. D. N. PIO PAPA IX.

APPROBATÆ

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

DD. FRANCISCI VICTORIS RIVET

EPISCOPI DIVIONENSIS

EDITÆ.



PARISIIS

APUD ADRIANUM LE CLERE ET SOCIOS

~~SS. D. N. PAPÆ AC DD. ARCHIEPISCOPI PARISIENSIS TYPOGRAPHOS~~

VIA DICTA CASSETTE, 29.

M. DCCC. LXV.

DIVIONEN.

Reverendissimus Dominus Franciscus Victor RIVET, Episcopus Divionensis, de revocanda in sua Diœcesi liturgia Romana imprimis sollicitus, Clero populoque sibi commissis acceptissimum fore perspexit, si in Kalendario Diœcesano pristinam honorificam sedem pergerent retinere nomina Cœlitum illorum, quos solemni cultu, a vetustis sæculis, fideles ceu singulares ad Deum Patronos celebrare consueverunt. Piis ejusmodi votis Reverendissimus idem Antistes permotus, nedum Kalendarium perpetuum pro usu Diœcesis suæ ita conficere studuit ut, certam fixamque sedem prædicti Cœlites in eodem haberent, sed omnem præterea curam diligentiamque adhibuit, ut recitanda quotannis a Clero suo Diœcesano in illorum honorem Officia & Missas e probatis fontibus desumeret apteque concinnaret.

Ne vero in negotio gravissimo, quod probe norat juxta Ecclesiasticas leges supremo Sedis Apostolicæ judicio reservari, quidquam auctoritate propria decernere videretur, pro ea qua præstat erga eamdem Sanctam Sedem filiali reverentia ac pietate, Exemplar manuscriptum tum confecti a se Kalendarii, tum Proprii Officiorum atque Missarum Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX, sanctioni proposuit, humillimis additis precibus, ut singula approbare dignaretur.

Examen hujus Exemplaris Sanctitati Suæ placuit Sacrorum Rituum Congregationi committere, quæ omnibus mature accurateque perpensis, tum Kalendarium perpetuum tum Proprium Officiorum atque Missarum probari posse censuit, sub modo & forma in ipso Exemplari cura Sacræ Congregationis adnotatis.

Quam porro Sacræ Congregationis sententiam, referente subscripto Secretario, quum Sanctissimus idem Dominus in omnibus ratam habuerit & confirmaverit, clementer indulsit ut idem Kalendarium & Proprium sub modo & forma prædictis, ab universo Clero Divionensi, tam in Horis canonicis juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ persolvendis, quam in Missis celebrandis, perpetuo servetur, adjuncta lege ut idem Proprium cum adnexo Kalendario ut supra correctum, non aliter sit typis mandandum, quam seorsim a Breviario & Missali Romano, ad instar segregatæ cujusdam appendicis, injunctoque super onere, ut ipsius Proprii, postquam ejus fuerit impressio absoluta, duplex authenticum Exemplar a Reverendissimo Divionensi Episcopo ad Sacram Rituum Congregationem transmittatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 24 maii 1860.

C. Episcopus Alban. Card. PATRIZI, *S. R. C. Præf.*

Locus ✠ Sigilli. H. Capalti, *S. R. C. Secretarius.*

Concordat cum Exemplari authentico.

Locus ✠ Sigilli Episcopalis. Franciscus, *Episc. Divionensis.*

FRANCISCUS VICTOR RIVET

MISERATIONE DIVINA ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA

EPISCOPUS DIVIONENSIS.

Adriano Le Clere, cum Sociis, SS. Domini Papæ apud Parisienses Typographo, Missas Proprias Ecclesiæ Divionensis, quales fuere nuper a Sancta Sede approbatæ & concessæ, typis mandandas commisimus, editionemque earum diligenti examine perlectam, cum textu authentico concordare perspeximus, quam ideo approbamus & in publicum prodire jubemus.

Datum Divione, in Palatio nostro Episcopali, sub signo sigilloque nostris, necnon Secretarii Episcopatus nostri subscriptione, anno Domini millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, die prima Julii.



✠ Franciscus Victor RIVET, *Episc. Divionensis.*

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi DD. Episcopi,

V. Silvestre, *Can. Secr.*

TABELLA FESTORUM

IN QUIBUS PAROCHI ET ALII ANIMARUM CURAM ACTU GERENTES

TENENTUR CELEBRARE ET APPLICARE MISSAM

PRO POPULO SIBI COMMISSO

Ex Encyclica Pii Papæ IX. *Amantissimi Redemptoris.* 3 Maii 1858.

I. Dominici dies totius anni.

II. Festa Domini, scilicet : Nativitatis D. N. J. C. — Circumcisionis. — Epiphaniæ. — Resurrectionis cum duabus sequentibus Feriis. — Ascensionis. — Pentecostes cum duabus sequentibus Feriis. — SS. Trinitatis. — Corporis Christi. — Inventionis sanctæ Crucis.

III. Festa B. M. V. scilicet : Immaculatæ Conceptionis. — Purificationis. — Annuntiationis. — Assumptionis. — Nativitatis beatæ Mariæ Virginis.

IV. Festa Sanctorum, scilicet : Dedicationis B. Michaelis Archangeli. — Nativitatis S. Joannis Baptistæ. — SS. Petri & Pauli. — S. Andreæ. — S. Jacobi. — S. Joannis. — S. Thomæ Apost. — SS. Philippi & Jacobi. — S. Bartholomæi. — S. Matthæi. — SS. Simonis & Judæ. — S. Mathiæ. — S. Stephani Protomartyris. — S. Laurentii Mart. — S. Sylvestri Papæ & Conf. — S. Josephi Conf. Sponsi B. M. V. — S. Annæ Genitricis B. M. V. — Omnium Sanctorum. — Unius principalioribus Patronis Regni vel Provinciæ. — Alterius pariter principalioris e Patronis Civitatis, vel Oppidi, vel Pagi.

« Quod attinet ad Festos translatos dies, id unum excipitur, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam diem, una tantum Missa pro populo sit a Parochis applicanda, quandoquidem Missa, quæ præcipua divini Officii pars est, una simul cum ipso Officio translata existimari debet. » (*Encycl.* Pii Papæ IX. 3. Maii 1858.)

MISSÆ PROPRIÆ

AD USUM

ECCLESIÆ DIVIONENSIS

FESTA MOBILIA

DOMINICA I. ADVENTUS.

COMMEMORATIO

OCTAVÆ S. BENIGNI

PRESB. ET MART. BURGUNDIÆ APOST. DIŒCESIS ET ECCL. CATHEDR. PATRONI.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Benígni Mártyris tui prædicatióne, de infidelitátis ténebris in admirábile Evangélii lumen transférre dignátus es : fac ut ejus intercessióne crescámus in grátia & cognitióne Dómini nostri, & Salvatóris Jesu Christi Fílii tui : Qui tecum vivit.

Secreta.

Gloriam tibi, Dómine, & lætítiam nobis salutáris tui reddat sacrifícium solémne, quod tibi hac sacra die offérimus, gaudéntes & congratulántes sancto Benígno Mártyri tuo, cui gáudium fuit immolári supra sacrifícium & obséquium fidei nostræ. Per.

Postcommunio.

Deus, qui beáti Benígni ministério eam nobis grátiam contulísti, ut ex infidélibus fidéles efficerémur : adésto opéribus tuis, adésto munéribus, ut quibus inest fides, non desit fidei fortitúdo. Per Dóminum.

FER. III. POST DOM. SEPTUAG.

IN FESTO

ORATIONIS D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cv.

FER. III. POST DOM. SEXAG.

IM COMMEMORATIONE

SS. PASSIONIS D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cvj.

FER. VI. POST CINERES.

IN FESTO

SS. SPINEÆ CORONÆ

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ut in Supplemento generali. p. cvj.

FER. VI. POST DOM. I. QUADRAG.

IN FESTO

LANCEÆ ET CLAVORUM

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Ut in Supplemento generali. p. cvij.

Commem. Feriæ, cujus legitur Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. II. QUADRAG.

IN FESTO

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cix.

Commem. Feriæ, cujus legitur Evangelium in fine.

FER. VI. POST DOM. III. QUADRAG.

IN FESTO

QUINQUE PLAGARUM

D. N. J. C.

Ut in Supplemento generali. p. cx.

FER. VI. POST DOM. IV. QUADRAG.

IN FESTO

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

Missa ut in Missali. p. 400.

FERIA VI.

POST OCT. SS. CORPORIS CHRISTI.

IN FESTO

SS. CORDIS JESU.

Missa Miserébitur. *ut in Missali.* p. 378.

Infra Octavam, quando fit de ea, Missa dicitur ut in die Festi : secunda Oratio de Beata Virgine Maria Concéde. *tertia* Ecclésiæ. *vel pro Papa. Fit Commemoratio Simplicis occurrentis, & tunc tertia Oratio,* Concéde.

Dominica infra Octavam celebratur solemnitas hujusce Festi. Cantatur unica Missa votiva solemnis de SS. Corde D. N. J. C. Solemnitas autem hæc omittitur quando eadem die occurrit celebranda solemnitas SS. Apost. Petri & Pauli, vel occurrit Festum S. Joannis Baptistæ.

In Missis votivis, celebratur Missa Egredímini. *ut in Supplem. generali.* p. cxxvj.

DOM. POST OCT. ASSUMPT.

IN FESTO

PURISSIMI CORDIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Ut in Supplemento generali. p. cliij.

Commem. Dominicæ occurrentis, cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA II. OCTOBRIS.

IN FESTO

MATERNITATIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Ut in Supplemento generali. p. clvij.

DOMINICA III. OCTOBRIS.

IN FESTO

PURITATIS B. MARIÆ V.

Ut in Supplemento generali. p. clviij.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

IN FESTO

PATROCINII B. M. V.

Ut in Supplemento generali. p. clxiv.

DOMINICA

INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM.

IN FESTO

SS. RELIQUIARUM

ECCLESIÆ DIVIONENSIS.

Ut in Supplemento gener. p. clxxj.

Commem. Domin. occurrentis, cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA

POST OCT. OMNIUM SANCTORUM.

IN FESTO DEDICATIONIS

OMNIUM ECCL. DIŒCESIS DIVIONENSIS.

Missa Terríbilis. *ut in Communi.* p. xxviij.

Commem. Domin. occurrentis, cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA SEQUENTI.

OCTAVA DEDICATIONIS.

Missa ut in die Festi, cum Commem. Dominicæ, & Simplicis occurr.

DOM. ULT. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SANCTI BENIGNI

PRESB. BURGUNDIÆ APOST. ET MART.

ECCL. CATHEDR. ET DIŒCESIS DIVIONENSIS PATRONI.

Introitus. Psalm. 95.

ANNUNTIATE inter gentes, quóniam omnes dii géntium dæmónia: Dóminus autem cœlos fecit. Allelúia, allelúia. *Psalm. ibid.* Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Benígni Mártyris tui prædicatióne, de infidelitátis ténebris in admirábile Evangélii lumen transférre dignátus es: fac ut ejus intercessióne crescámus in grátia & cognitióne Dómini nostri & Salvatóris Jesu Christi Fílii tui: Qui tecum vivit.

Commem. Domin. occurrentis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

I. Thess. 2.

FRATRES: Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa solicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo: sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur; non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est; nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse, ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri, & fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis & Deus, quam sancte, & juste, & sine queréla, vobis qui credidístis, fúimus: sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum, sicut pater fílios suos, deprecántes vos & consolántes, testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum & glóriam. Ideo & nos grátias ágimus Deo sine intermissióne; quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed, sicut est vere, verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis.

Graduale. II. Cor. 1. Glória vestra

sumus sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. ℣. *I. Cor.* 9. & 4. Opus meum vos estis in Dómino; nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. Allelúia, allelúia. ℣. *II. Cor.* 2. Grátias Deo, qui triúmphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ maniféstat per nos.

Sequentia.

Exulta, felix Dívio,
Quæ Benígni glorióso
Decoráris sánguine.
In Græcia sanctis satus,
Polycárpi cura doctus,
Christi fulsit lúmine.
Cunctis rebus abdicátis,
Zelo flagrans veritátis,
Venit in Burgúndiam.
Sacri verbi seminátor
Et errórum extirpátor,
Fundávit Ecclésiam.
Multis claret miráculis :
Sanat morbos, dira mortis
Dissólvit impéria.
Fremit dæmon, Cæsar furit;
Sed Martyr fídei reddit
Invíctus obséquia.
Quantus tormentórum
Prodit apparátus,
Stridet flagellórum
Ictus repétitus.
Bestiárum dentes,
Plumbum liquefáctum,
Lánceæ, mucrónes,
Parant exítium.
Transvérsa fossus gémina
Latus utrúmque láncea,
Crucem gessit intra corda
Quam semper amáverat.
Non spinis caput púngitur,
Cerébrum vecte frángitur,
Sicque pugil coronátur
Ritu quo cupíerat.
O Benígne, Pater care!
Apóstole gentis nostræ,
Fídei Martyr præcláre,
Quos amásti, nunc tuére
De cœlo poténtius.
Credámus quæ docuísti;
Pergámus quo pervenísti;
Tecum mereámur frui
Corónis perénnibus.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. *Marc.* 16.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, & baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur : in nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis; serpéntes tollent; & si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, & bene habébunt.

Credo.

Offertorium. I. Thess. 2. Trádidimus vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras; quóniam caríssimi nobis facti estis. Allelúia.

Secreta.

Glóriam tibi, Dómine, & lætítiam nobis salutáris tui reddat sacrifícium solémne, quod tibi hac sacra die offérimus, gaudéntes & congratulántes sancto Benígno Mártyri tuo, cui gáudium fuit immolári supra sacrifícium & obséquium fídei nostræ. Per Dóminum nostrum.

Secreta Dominicæ occurrentis.

PRÆFATIO.

(*Cum Cantu* p. 23.)

Vere dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : qui nos secúndum misericórdiam tuam magnam, de ténebris ad lucem vocáre dignátus es, & de potestáte Sátanæ eréptos, in fílios adoptiónis assúmere. Tua enim, Dómine, misericórdia, tua grátia, verbum fídei in nobis Mártyris tui labóre seminátum est, & sánguine

fœcundátum. Nunc ergo, Pater sancte, confírma hoc quod operátus es in nobis; & gregem istum, quem Fílio tuo donásti, consérva tuæ virtútis auxílio : ut sanctificátum in veritáte, perféctum in unitáte consummáre dignéris in glória; per eúmdem Christum Dóminum nostrum : Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli cœlorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus & nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes :

Sanctus, *&c.*

Communio. Act. 9. Ecclésia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, & consolatióne Sancti Spíritus replebátur. Allelúia.

Postcommunio.

DEUS, qui beáti Benígni ministério eam nobis grátiam contulísti, ut ex infidélibus fidéles efficerémur: adésto opéribus tuis, adésto munéribus; ut quibus inest fides, non desit fídei fortitúdo. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat.

Postcommunio Domin. occurr.

In fine legitur Evangelium Dominicæ occurrentis.

FESTA FIXA

CERTIS DIEBUS MENSIS

FESTA DECEMBRIS

DIE I.

IN FESTO

SANCTI ELIGII

CONF. PONT.

Missa Sacerdótes tui. *ut in Communi*. p. xiv.

DIE XVII.

IN FESTO

NATALIS S. LAZARI

PONTIFICIS MARTYRIS.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Lázari Mártyris : de cujus certámine gaudent Angeli, & collaudant Fílium Dei. *Psalm.* 20. Dómine, in virtúte tua lætábitur rex; & super salutáre tuum exultábit veheménter. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beáto Lázaro, Christi discípulo, dedísti piæ confessiónis inter torménta virtútem : largíre nobis inter mundi tentámina ejus constántiam æmulári, ut coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per eúmdem.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Machabæórum.

II. Mach. 6.

ELEAZARUS, unus de primóribus scribárum, vir ætáte provéctus, & vultu decórus, apérto ore hians compellebátur porcínam carnem manducáre. At ille gloriosíssimam mortem magis quam odíbilem vitam compléctens, voluntárie præíbat ad supplícium. Sed, cum plagis perimerétur, ingémuit & dixit: Dómine, qui habes sanctam sciéntiam, manifésté tu scis, quia cum a morte possem liberári, duros córporis sustíneo dolóres: secúndum ánimam vero propter timórem tuum libénter hæc pátior. Et iste quidem hoc modo vita decéssit, non solum juvénibus, sed & univérsæ genti memóriam mortis suæ ad exémplum virtútis & fortitúdinis derelínquens.

Graduale. II. Mach. 6. Intuens quemádmodum oportéret accédere, patiénter sústinens, destinávit non admíttere illícita propter vitæ amórem. ℣. Fórtiter vita excedéndo, senectúte quidem dignus apparébo; adolescéntibus autem exémplum forte relínquam. Allelúia, allelúia. ℣. *Ibid.* His dictis, conféstim ad supplícium trahebátur. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. *Joan.* 12.

ANTE sex dies Paschæ venit Jesus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Fecérunt autem ei cœnam ibi : & Martha ministrábat. Lázarus vero unus erat ex discumbéntibus cum eo. María ergo accépit libram unguénti nardi pístici pretiósi, & unxit pedes Jesu, & extérsit pedes ejus capíllis suis; & domus impléta est ex odóre unguénti. Dixit ergo unus ex discípulis ejus, Judas Is-

cariótes, qui erat eum traditúrus: Quare hoc unguéntum non véniit trecéntis denáriis, & datum est egénis? Dixit autem hoc, non quia de egénis pertinébat ad eum; sed quia fur erat, & lóculos habens, ea quæ mittebántur portábat. Dixit ergo Jesus: Siníte illam, ut in diem sepultúræ meæ servet illud. Páuperes enim semper habétis vobíscum; me autem non semper habétis. Cognóvit ergo turba multa ex Judæis quia illic est: & venérunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lázarum vidérent quem suscitávit a mórtuis. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum, ut & Lázarum interfícerent; quia multi propter illum abíbant ex Judæis, & credidébant in Jesum.

Offertorium. Apoc. 5. Vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, & cantábant cánticum novum, dicéntes: Fecísti nos Deo nostro regnum & sacerdótes; & regnábimus super terram.

Secreta.

Hanc oblatiónem, Dómine, propítius réspice; & ut tanti mystérii sacraméntis simus idónei, interveniénte beáto Lázaro, munda nos ab ómnium sórdibus delictórum. Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Communio. Psalm. 63. Lætábitur justus in Dómino, & sperábit in eo; & laudabúntur omnes recti corde.

Postcommunio.

Quibus dignátus es, Dómine, largíri salutíferum munus Córporis & Sánguinis tui, interveniénte beáto Lázaro, Mártyre tuo atque Pontífice, tríbue, quæsumus, propítius gáudia lucis perpétuæ. Qui vivis.

Et fit Commemoratio Eeriæ.

DIE XVIII.

IN FESTO

EXPECTATIONIS PARTUS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Ut in Supplemento generali. p. xcij.

DIE XXVI.

IN FESTO S. STEPHANI PROTOMART.

COMMEMORATIO

OMNIUM SS. MARTYRUM.

Oratio.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur. Per.

Secreta.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

FESTA JANUARII

DIE XVII.

IN FESTO S. ANTONII ABBATIS.

SS. TERGEMINORUM MART.

SPEUSIPPI, ELEUSIPPI,

MELEUSIPPI ET SOCIORUM

COMMEMORATIO.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die gloriósos Mártyres Speusíppum, Eleusíppum, Meleusíppum & illórum Sócios próprii sánguinis effusióne ad cœlos elevásti: da nobis, quæsumus; eórum méritis & précibus adjuvári, & sempitérna gáudia adipísci. Per.

Secreta.

Oblatis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: &, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Speusíppo, Eleusíppo, Meleusíppo & illórum Sóciis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: &, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Speusíppo, Eleusíppo, Meleusíppo illorúmque Sóciis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

DIE XXIII.

IN FESTO

DESPONSATIONIS B. M. V.

CUM SANCTO JOSEPH.

Ut in Supplemento generali. p. xciij. *Commem. S. Joseph.*

DIE XXVIII.

IN FESTO

S. JOANNIS REOMAENSIS

CONFESSORIS.

Missa Os justi. *pro Abbatibus.* p. xix. *cum Commem. S. Agnetis Virginis & Martyris.* p. 334.

DIE XXIX.

IN FESTO

S. FRANCISCI SALESII

CONFESSORIS PONTIFICIS.

Missa ut in Missali. p. 335.

FESTA FEBRUARII

DIE IV.

IN FESTO

B. JOANNÆ VALESIÆ

FRANCORUM REGINÆ VIDUÆ.

Ut in Supplem. generali, prima Missa. p. xcix.

DIE VI.

IN FESTO

SANCTI GREGORII

LINGONENSIS

EPISC. ET CONFESSORIS.

(*E die* 4. *Januarii.*)

Missa Sacerdótes. *ut in Communi Confessoris Pontif.* p. xiv. *cum Commem. S. Dorotheæ Virg. & Mart. ut in Missali.* p. 341.

In Quadragesima ante Commemorationem S. Dorotheæ fit Commemoratio Feriæ, ejusque legitur Evangelium in fine.

DIE IX.

IN FESTO

SANCTI TITI

CONFESSORIS PONTIFICIS.

(*E die* 4. *Januarii.*)

Missa ut in Missali, die 6 *Februarii.* p. 341. *omissa Commemoratione S. Dorotheæ, cujus loco fit Commemoratio S. Apolloniæ Virginis & Martyris per Orationes ut in Missali, hac die.* p. 342.

In Quadragesima ante Commemorationem S. Apolloniæ fit Commemoratio Feriæ ejusque legitur Evangelium in fine.

DIE XI.

IN FESTO

S. ANDREÆ CORSINI

CONFESSORIS PONTIFICIS.

(*E die* 4. *hujus.*)

Missa ut in Missali. p. 340.

DIE XII.

IN FESTO

SANCTI RAYMUNDI

DE PENNAFORT

CONFESSORIS.

(*E die* 23. *Januarii.*)

Missa ut in Missali, hac die 23. *Januarii.* p. 330.

FESTA MARTII

DIE XVIII.

IN FESTO

SANCTI GABRIELIS

ARCHANGELI.

Ut in Supplemento generali. p. cxiij.

DIE XXVIII.

SANCTI GUNTRAMNI

BURGUNDIÆ REGIS, CONFESSORIS

COMMEMORATIO.

Oratio.

DEUS omnípotens, qui pœniténtium gémitus non recúsas, exáudi preces quas tibi fúndimus, beátum Guntrámnum commemorántes, cui temporáli honóre sublimáto cœléste regnum toto corde concupíscere, tribuísti. Per Dóminum.

Secreta.

ASCENDANT ad te, Dómine, quæ tibi offérimus vota; ut sicut beátus Guntrámnus, Conféssor tuus, spretis mundi oblectaméntis, soli Regi Christo placére stúduit, ita ejus orátio nos tibi reddat accéptos. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit.

Postcommunio.

PER hæc sumpta mystéria da nobis, quæsumus Dómine, beáti Guntrámni Confessóris tui natalítia celebrántibus, advérsus mundi illécebras inviolábilem firmitátem. Per Dómiminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

FESTA APRILIS

DIE II.

IN FESTO

SANCTI URBANI

LINGONENSIS EPISC. CONF.

Missa Sacerdótes. *ut in Communi Conf. Pont.* p. xiv.

In Quadrag. Commem. Feriæ.

DIE III.

IN FESTO

S. FRANCISCI DE PAULA

CONFESSORIS.

(*E die 2. hujus.*)

Missa ut in Missali. p. 354.

DIE XVII.

IN FESTO

SANCTI STEPHANI

CISTERCIENSIS ABBATIS, CONF.

Missa Os justi. *ut in Communi pro Abbatibus.* p. xix. *cum Commemor. Feriæ & S. Aniceti Papæ & Martyris, ut in Communi unius Martyris Pontificis.* p. vj.

DIE XXIX.

IN FESTO

SANCTI ROBERTI

CISTERCIENSIS ORDINIS FUNDATORIS, CONFESSORIS.

Missa Os justi. *ut in Communi pro Abbatibus.* p. xix.

FESTA MAII

DIE I.

COMMEMORATIO

SANCTI ANDEOLI

MARTYRIS.

Oratio, Secreta & Postcommunio ut in Missa In virtúte tua. *de Communi unius Martyris non Pontificis.* p. iv.

EADEM DIE.

COMMEMORATIO

SANCTI SIGISMUNDI

BURGUNDIÆ REGIS ET MART.

Oratio.

DA, quæsumus Dómine Deus, fidélibus tuis, intercedénte sancto Sigismúndo, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte servíre, ut prava despiciéntes, quæcúmque recta sunt líbera exérceant caritáte. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio, & ejus nobis fiat supplicatióne salutáris pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dómine Deus noster : ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio, ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XI.

IN FESTO

S. PETRI MARTYRIS.

(*E die* 29. *Aprilis.*)

Tempore Paschali, Missa Protexísti. p. vj. *cum Commemorationibus sequentibus.*

Pro Commemoratione

SANCTI MAMERTI CONF. PONT.

Oratio.

CLAMANTES ad te, quæsumus Dómine, dignánter exáudi : ut sicut ad preces beáti Pontíficis tui Mamérti, pópulo in afflictióne pósito pepercísti, ita & nobis ejus intercessióne, in omni tribulatióne succúrras.

Pro Commemoratione

SANCTI GENGULPHI MARTYRIS.

Oratio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, eam ánimi fortitúdinem quæ beátum Gengúlphum réddidit in tribulatiónibus fidélem, & in ferénda morte constántem. Per Dóminum.

Pro sancto Mamerto.

Secreta.

VOTIVA tibi, Dómine, múnera offeréntes in festivitáte beáti Mamérti : nos, quæsumus, eo supplicánte, ab iracúndiæ tuæ terróribus líbera, & misericórdiæ tuæ fac largitáte secúros.

Pro sancto Gengulpho.

Secreta.

OBLATA múnera, quæsumus Dómine, illa nos flamma caritátis accéndant, per quam sanctus Gengúlphus, Martyr tuus, torménta sui córporis univérsa devícit. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro sancto Mamerto.

Postcommunio.

SIT nobis, Dómine, tutéla mentis & córporis quod in commemoratióne sancti Mamérti de sacri altáris tui benedictióne percépimus; ut nullis adversitátibus quatiámur, qui tanti mystérii participatióne munímur.

Pro sancto Gengulpho.

Postcommunio.

BEATI Mártyris tui Gengúlphi cœléstem victóriam divíno convívio celebrántes; te, Dómine, depóscimus; ut panem vitæ hic edéntibus des víncere, & vincéntibus des édere de ligno vitæ in paradíso. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

¶ *Si contingat festum S. Petri Martyris transferri post Tempus Paschale, Missa* Lætábitur. *p.* v.

DIE XIII.

IN FESTO

S. MARCULPHI ABBATIS.

(*E die* 1. *hujus.*)

Missa Os justi. *ut in Communi pro Abbatibus.* p. xix.

DIE XIV.

IN FESTO

SANCTI APRUNCULI

LINGONENSIS EPISC. CONF.

Missa Státuit. *de Comm.* p. xiij.

Et fit Commem. S. Bonifacii Mart. ut in Missali. p. 372.

DIE XV.

IN FESTO

SS. VICTORIS ET CORONÆ

MARTYRUM.

(*E die* 14. *hujus.*)

Tempore Paschali, Missa Sancti tui. *ut in Communi.* p. viij.

Extra Tempus Paschale, Missa Intret in conspéctu tuo. *ut in Communi primo loco.* p. ix.

DIE XVI.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI

MARTYRIS.

Tempore Paschali Missa Protexísti. *ut in Comm. unius Mart.* p. vj. *cum Evang.* Nihil est opértum. *de Communi Mart. non Pontificis.* p. v.

Extra Tempus Pasch. Missa Lætábitur. *de eodem Comm. secundo loco.* p. v. *præter Orationes sequentes.*

Oratio.

Deus, qui ob invíctum beáti Joánnis sacramentále siléntium, nova Ecclésiam tuam Martyrii coróna decorásti : da nobis ejus intercessióne & exémplo, linguam caute custodíre, ac ómnia pótius mala, quam ánimæ detriméntum in hoc sæculo toleráre. Per.

Secreta.

Per hæc tua, Dómine, sacra mystéria illo nos caritátis igne accendámur, quo ínclytus Martyr Joánnes éadem peragéndo flagrábat. Per.

Postcommunio.

Spiritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cœléstis, quæ beáti Mártyris tui Joánnis pro sacraménti honóre tentátam constántiam júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum nostrum.

DIE XXI.

IN FESTO

SANCTI UBALDI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

(*E die* 16. *hujus.*)

Ut in Missali. p. 373.

DIE XXIII.

IN FESTO

SS. DESIDERII

LINGONENSIS EPISCOPI

ET SOCIORUM MARTYRUM.

Missa Intret in conspéctu tuo. *de Communi plurimorum Martyrum.* p. ix.

Tempore Paschali, Missa Sancti tui. *de eodem Communi.* p. viij. *præter Orationem.*

Oratio.

Deus, qui nos ánnua Sanctórum Mártyrum tuórum, Desidérii Pontíficis, & Sociórum ejus solemnitáte lætíficas : concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

DIE XXIV.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

TITULO

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Ut in Supplemento generali. p. cxxv.

FESTA JUNII

DIE I.

IN FESTO

SS. REVERIANI EPISCOPI

ET SOCIORUM MARTYRUM.

Tempore Paschali, Missa Sancti tui Dómine. *ut in Comm.* p. viij.

Extra Tempus Paschale, Missa Sapiéntiam Sanctórum. *ut in Communi.* p. xj. *præter Orationes.*

Oratio.

Deus, invisíbilis fortitúdo certántium, adésto, quæsumus, nobis supplicántibus; ut qui hodiérna die Sanctórum Mártyrum tuórum Reveriáni & Sociórum gloriósum triúmphum recólimus, eórum méritis & précibus contra spirituália nequítiæ muniámur. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus; quæ & pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, & nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Reveriáno & Sóciis ejus; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE II.

IN FESTO

SS. POTHINI EPISCOPI

ET SOCIORUM MARTYRUM.

Missa Intret in conspéctu tuo. *ut in Communi.* p. ix. *Tempore Paschali, Missa* Sancti tui. *de Communi.* p. viij. *præter Orationes.*

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum Pothíni Pontíficis, Blandínæ Vírginis, & Sociórum, solémnia recenséntes, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut in tua caritáte radicáti & fundáti, passiónes hujus témporis amóre illíus glóriæ quæ revelánda est in nobis, invícto ánimo sustinére valeámus. Per Dóminum.

Fit Commemoratio SS. Martyrum Marcellini, Petri & Erasmi, in Missali. p. 379.

Secreta.

ADESTO, Dómine, munéribus nostris, & præsta: ut sicut unánimis píetas beatórum Mártyrum tuórum nobis indivíduæ caritátis præbet exémplum; ita spíritum grátiæ tuæ, quo júgiter muniámur, semper implóret. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, cujus virtútis esse cognóscimus, ut sancti Mártyres tui ánimas suas odiéndo diligerent, & perdéndo servárent: præsta; ut per hujus participatiónem mystérii ad tantæ fídei exémpla sectánda, & eórum beáta recordátio nos íncitet, & orátio digne perdúcat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

DIE III.

IN FESTO

SANCTÆ CLOTILDIS

REGINÆ VIDUÆ.

Missa Cognóvi. *de Communi nec Virginis nec Martyris.* p. xxvij.

DIE VI.

COMMEMORATIO

SANCTI CLAUDII

CONF. PONT.

Oratio, Secreta & Postcommunio, ut in Missa Státuit. *de Comm.* p. xiij.

DIE VIII.

IN FESTO

SANCTI MEDARDI

CONF. PONT.

Missa Státuit. *ut in Communi Conf. Pont.* p. xiij.

DIE XVI.

IN FESTO

SS. FERREOLI ET FERRUTIONIS

MARTYRUM.

Missa Sapiéntiam Sanctórum. *ut in Communi.* p. xj.

DIE XVII.

IN FESTO SANCTI VORLII

CONFESSORIS.

Missa Justus. *ut in Communi Confessoris non Pontificis.* p. xviij.

DIE XXVIII.

IN FESTO

SS. MARTYRUM IRENÆI

EPISC. LUGDUNEN. ET SOC.

Introitus. Malach. 2.

LEX veritátis fuit in ore ejus, & iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace, & in æquitáte ambulávit mecum & multos avértit ab iniquitáte. *Ps.* 119. Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: cum loquébar illis impugnábant me gratis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui per gloriósi bella certáminis ad immortáles triúmphos beátos Mártyres Irenæum Pontíficem, & Sócios extulísti : da nobis ut apud misericórdiam tuam eórum juvémur méritis quorum gaudémus exémplis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Et fit Commem. Octavæ S. Joannis Baptistæ, & Vigiliæ SS. Apostolorum Petri & Pauli, cujus Evang. legitur in fine Missæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. *II. Tim.* 3. *&* 4.

CARISSIME : Pérmane in iis, quæ didicísti, & crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris : & quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia : ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo, & Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos & mórtuos, per advéntum ipsíus, & regnum ejus : prædica verbum, insta opportúne, importúne : árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, & doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, & a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple.

Graduale. Psalm. 121. Propter fratres meos, & próximos meos loquébar pacem de te. ℣. *Psalm.* 36. Custódi innocéntiam, & vide æquitátem : quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico. Allelúia, allelúia. ℣. *Eccli.* 6. In multitúdine Presbyterórum prudéntium sta ; & sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre. Allelúia.

Evangelium ut in Missa Intret. *de Comm. plur. Mart.* p. xij.

Offertorium. Eccli. 24. Doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, & enarrábo illam usque ad longínquum.

Secreta.

PER hanc quam offérimus hóstiam in beáti Irenæi & Sociórum Mártyrum solemnitáte, da nobis, Dómine, veritátem & pacem dilígere ; ut & inviolátam teneámus Ecclésiæ fidem, & indivísam servémus unitátem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Communio. Eccli. 24. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Irenæo & Sóciis : ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

DIE XXIX.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

PRO COMMEMORATIONE

OMN. SS. APOSTOLORUM.

Ut in Supplemento generali. p. cxxxj.

FESTA JULII

DIE IV.

IN FESTO

SANCTI VALENTINI

CONFESSORIS.

Missa Os justi. *ut in Communi Conf. non Pont.* p. xvij. *cum Commem. Octavæ SS. Apostolorum.*

DIE VII.

IN FESTO

SANCTI LEONIS II.

PAPÆ ET CONFESSORIS.

(E die 28. Junii.)

Missa ut in Missali. p. 393.

DIE VIII.

IN FESTO

SANCTI BALDERICI

CONFESSORIS

Missa Justus. *ut in Communi.* p. xviij.

DIE IX.

IN FESTO

SANCTÆ ELISABETH

REGINÆ PORTUGALLIÆ.

(E die 8. hujus.)

Missa ut in Missali. p. 405.

DIE XIX.

IN FESTO

S. VINCENTII A PAULO

CONFESSORIS.

Missa ut in Missali. p. 411.

DIE XXVI.

IN FESTO

S. ANNÆ MATRIS B. M. V.

Missa ut habetur in Missali. p. 418.

Dominica post 26. Julii, celebratur solemnitas hujusce Festi in urbe Divionensi ; cantatur unica Missa votiva solemnis de sancta Anna.

DIE XXIX.

IN FESTO S. MARTHÆ VIRGINIS.

COMMEM. SANCTI LUPI

TRECENSIS EPISC. CONF.

Oratio.

Deus, qui beátum Lupum Pontíficem, christiánæ fídei defensórem accérrimum effecísti : præsta, ut ejus suffragántibus méritis, eámdem fidem constánter tenére, ac fórtiter tuéri valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Ipse nos ófferat, Dómine, majestáti tuæ factus Póntifex in ætérnum Jesus Christus, cujus inhærens vestígiis beátus Antístes Lupus corpus suum hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem exhíbuit. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Sacramenta tua, Dómine, nos ímpleant spíritu veritátis, quo beátus Póntifex Lupus plenus éxstitit, ut per offúsas errórum. ténebras inoffénso pede currámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

DIE XXXI.

IN FESTO S. IGNATII CONF.

COMMEM. S. GERMANI

AUTISSIODORENSIS EPISC. CONF.

Oratio.

Da nobis Dómine, in hac sancti Germáni festivitáte cœléstis grátiæ, quam ille verbis, opéribus & miráculis asséruit, præsens adésse præsídium : ut, dum tanti Præsúlis exémpla mirámur & cólimus, ejus étiam fidem & actiónes imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificium tibi, Dómine, laudis offérimus, sancti Germáni Confessóris tui atque Pontíficis mérita celebrántes ; ut propitiatiónem tuam, quam nostris opéribus non merémur, pii suffragatóris intercessiónibus assequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Repleti, Dómine, munéribus sacris, quæsumus ; ut, intercedénte beáto Germáno, Confessóre tuo atque Pontífice, in gratiárum semper actióne maneámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

FESTA AUGUSTI

DIE XVI.

IN FESTO S. HYACINTHI.

COMM. SANCTI ROCHI

CONFESSORIS.

Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi : & beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ & córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

AVERTE, Dómine, intercedénte beáto Rocho, a fidélibus tuis cunctos miserátus erróres, eósque ab omni contagióne pestis defénde : ut quos mérito flagéllas dévios, fóveas tua miseratióne corréctos. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

PANE nutrítos cœlésti, da nos, Deus, ab iis quæ corpóribus nostris nóxia sunt, précibus beáti Rochi, ita esse immúnes; ut ejus imitatióne ea quæ tibi dísplicent, caveámus sollícitius, & cértius devitémus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

DIE XVII.

IN DIE OCT. S. LAURENTII MART.

COMM. S. MAMANTIS

MARTYRIS.

Oratio.

DEUS, qui beátum Mamántem, Mártyrem tuum, virtúte constántiæ in passióne roborásti : ex ejus nobis imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, & nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Secreta.

ACCEPTA sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio : & ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus commemoratióne defértur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster : ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Mamánte Mártyre tno, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum, Jesum Christum Fílium tuum : Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

DIE XX.

IN FESTO

SANCTI BERNARDI

ABBATIS ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Ut in Missali. p. 441. *addita, post Commemorationem Octavæ, Commemoratione S. Philiberti, ut infra.*

EADEM DIE.

S. PHILIBERTI CONF.

COMMEMORATIO.

Oratio, Secreta & Postcommunio ut in Missa. Os justi. *de Communi pro Abbatibus.* p. xix.

DIE XXI.

IN FESTO

SANCTÆ JOANNÆ

FREMIOT A CHANTAL VIDUÆ.

Missa ut habetur in Missali. p. 442.

DIE XXV.

IN FESTO

SANCTI LUDOVICI

REGIS CONFESSORIS.

Missa ut habetur in Missali. p. 444.

DIE XXVII.

IN FESTO S. JOSEPH CALASANCTII.

COMMEMORATIO

SANCTI CESARII

ARELATENSIS EPISC. CONF.

Oratio, Secreta & Postcommunio ut in Missa Sacerdótes. *de Communi Confessorum Pontificum.* p. xiv.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE IV.

IN FESTO

SANCTI MARCELLI

CABILLONENSIS EPISC. ET MART.

Missa Státuit. *de Comm. Martyris Pontificis.* p. ij.

DIE VII.

IN FESTO

SANCTÆ REGINÆ

VIRGINIS ALESIENSIS, MARTYRIS.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Regínæ Vírginis; de cujus passióne gaudent Angeli, & colláudant Fílium Dei. *Psalm.* 44. Erućtávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, cujus Unigénitus sic hostem antíquum prostrávit, ut étiam ancíllas suas, spíritu veritátis armátas, ipso rédderet fortióres: quæsumus; ut qui sanćtæ Regínæ præstitit de sæviénte triúmphum, tríbuat nobis, ejus précibus, de blandiénte vićtóriam. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sanćti Deus.

Lećtio libri Sapiéntiæ. *Eccli.* 5. 51.

DOMINE Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, & pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, & in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue & collaudábo illud in confessióne, & exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, & eripuísti me de témpore iníquo. Propterea confitébor, & laudem dicam tibi, & benedícam nómini Dómini.

Graduale. Psalm. 45. Deus in médio ejus, non commovébitur: adjuvábit eam Deus mane dilúculo. ℣. *Ibid.* Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanćtificávit tabernáculum suum Altíssimus. Allelúia, allelúia. ℣. *Psalm.* 34. Spécie tua & pulchritúdine tua inténde, próspere procéde & regna. Allelúia.

✠ Sequéntia sanćti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth.* 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ & quinque prudéntes. Sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso dormitavérunt omnes & dormiérunt. Média autem nośte, clamor fa-ćtus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, & ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite pótius ad vendéntes, & émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: & quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, & cláusa est jánua. Novíssime vero venérunt & réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem neque horam.

Offertorium. Psalm. 44. Astitit Regína a dextris tuis, in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta.

MUNDET nos, Deus, oblátum tuæ majestáti sacrifícium in festivitáte sanctæ Regínæ, Vírginis & Mártyris; ac perfíciat ut mansuétum inter oppróbria Agnum sequéntes, nec mundi blandiéntis cupiditátibus, nec sæviéntis terróribus ab eo distrahámur. Per Dóminum.

Communio. O Regína, réspice nos pietátis óculo, consors lucis angélicæ, cœlésti clara título, Regis assístens vúltui, nos Regi reconcília : da nobis sponso pérfrui, sponsa sponsíque fília.

Postcommunio.

INFIRMITATI nostræ, Deus, sanctæ Vírginis páriter & Mártyris Regínæ subvéniat intercéssio : & præparándis in occúrsum cœléstis sponsi córdibus nostris percépti sacraménti succúrrat plenitúdo. Per Dóminum.

DIE XVI.

IN FESTO

SANCTI FRODULPHI

CONFESSORIS.

Missa Os justi. *de Comm. Conf. non Pont.* p. xvij. *cum Commem. SS. Mart. Euphemiæ & Soc. ut in Missali.* p. 457.

DIE XIX.

IN FESTO

SANCTI SEQUANI

CONFESSORIS.

Missa Os justi. *pro Abbatibus.* p. xix.

DIE XXIV.

IN FESTO SS. MARTYRUM

ANDOCHII ET THYRSI,

IN TERRITORIO SIDELOCENSI EVANGELII PRÆCONUM,

ET FELICIS EORUM HOSPITIS.

Introitus. Isaiæ 66.

MITTAM ex eis qui salváti fúerint, ad eos qui non audiérunt de me, & non vidérunt glóriam meam; & annuntiábunt glóriam meam géntibus. *Ps.* 95. Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRÆVENI nos, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis, quos de ténebris in admirábile lumen tuum benígnus advocásti : & intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Andóchio, Thyrso ac Felíce, fac ut crescámus in grátia & cognitióne Dómini nostri Jesu Christi. Qui tecum vivit.

Léctio Isaíæ Prophétæ. *Isaiæ* 52.

HÆC dicit Dóminus : Sciet pópulus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis & prædicántis pacem, annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion : Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum : levavérunt vocem, simul laudábant : quia óculo ad óculum vidébunt, cum convérterit Dóminus Sion. Gaudéte & laudáte simul, desérta Jerúsalem, quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerúsalem. Parávit Dóminus bráchium sanctum suum, in óculis ómnium géntium. Et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Graduale. Act. 26. In gentes ego mitto te, aperíre óculos eórum, ut convertántur a ténebris ad lucem, & de potestáte Sátanæ ad Deum. ℣. Ut accípiant remissiónem peccatórum & sortem inter sanctos per fidem quæ est in me. Allelúia, allelúia. ℣. *I. Cor.* 1. Glória vestra sumus; sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Luc.* 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prælia, & seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, & regnum advérsus regnum :

& terræ motus magni erunt per loca, & pestiléntiæ, & fames, terrorésque de cœlo, & signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, & persequéntur, tradéntes in synagógas, & custódias, trahéntes ad reges, & præsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, & sapiéntiam, cui non póterunt resístere, & contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus & frátribus, & cognátis, & ámicis: & morte affícient ex vobis, & éritis ódio ómnibus propter nomen meum, & capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras. Credo.

Offertorium. Psalm. 117. Deus Dóminus, & illúxit nobis: constitúite diem solémnem in condénsis, usque ad cornu altáris; confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Secreta.

Plebs tua, Dómine, per hæc sacrifícia dignas tibi reférat, pro inenarrábili dono fídei, gratiárum actiónes: &, intercedéntibus sanctis Martyribus Andóchio, Thyrso & Felíce, obtíneat, ut sacris inténta doctrínis, quæcúmque justa & sancta sunt, toto corde sectétur. Per Dóminum.

Præfatio propria. p. 22* *vel* 23* *in qua, loco* Mártyris tui, *dicitur*: Mártyrum tuórum.

Communio. Prov. 11. *& Eccli.* 44. In benedictióne exaltábitur cívitas, & nomen eórum vivit in generatiónem & generatiónem.

Postcommunio.

Deus, qui nos per hujus sacrifícii veneránda commércia uníus summæ divinitátis partícipes effecísti: præsta quæsumus; ut sicut tuam, sanctórum tuórum ministério, cognóvimus veritátem, sic eam, ipsis intercedéntibus, dignis móribus assequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

DIE XXV.

IN FESTO

S. MARIÆ DE MERCEDE.

(*E die* 24. *hujus.*)

Ut in Missali. p. 463.

DIE XXVI.

IN FESTO

SS. JANUARII ET SOC.

MARTYRUM.

(*E die* 19. *hujus.*)

Ut in Missali. p. 460. *Fit Commemoratio SS. Cypriani & Justinæ Martyrum, ut in Missali hac ipsa die.* p. 463.

FESTA OCTOBRIS

DIE I.

IN FESTO

SANCTI REMIGII

EPISC. ET CONF.

Ut in Missali. p. 467.

DIE III.

IN FESTO

SANCTI LEODEGARII

EPISCOPI ET MARTYRIS.

(*E die* 2. *hujus.*)

Missa Státuit. *de Comm. unius Martyris Pontificis.* p. ij.

DIE V.

IN FESTO

SS. CORNELII ET CYPRIANI

PONTIFICUM ET MARTYRUM.

(*E die* 16. *Septembris.*)

Ut in Missali. p. 457. *Et fit Commemoratio SS. Martyrum Placidi & Sociorum, ut in Missali hac ipsa die.* p. 469.

DIE XXIV.

IN FESTO

SANCTI RAPHAELIS

ARCHANGELI.

Ut in Supplemento generali. p. clxij.

DIE XXVII.

IN FESTO

SANCTI FLORENTII

MARTYRIS.

Missa In virtúte. *de Communi Martyris non Pontificis.* p. iv. *cum Commemoratione Vigiliæ.*

FESTA NOVEMBRIS

DIE XI.

IN FESTO

SANCTI MARTINI

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Ut in Missali. p. 485.

DIE XXIV.

IN FESTO

INVENTIONIS CORPORIS

SANCTI BENIGNI

BURGUNDIÆ APOST. PRESB. ET MART.

Introitus. Psalm. 95.

ANNUNTIATE inter gentes quóniam omnes dii géntium dæmónia, Dóminus autem cœlos fecit. Allelúia, allelúia. *Psalm. ibid.* Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus, ut quæ Inventiónis Córporis sancti Benígni pie récolit memóriam, sancti Mártyris patrocínio júgiter foveátur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit & regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Commemoratio S. Chrysogoni, Orationes ut in Missali. p. 491.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. *I. Cor.* 3.

FRATRES: Quid est Apóllo? Quid vero Paulus? Minístri ejus cui credidístis, & unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit: sed Deus increméntum dedit. Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat: sed qui increméntum dat, Deus. Qui autem plantat, & qui rigat, unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet, secúndum suum labórem. Dei enim sumus adjutóres: Dei agricultúra estis; Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui. Alius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet. Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere, præter id quod pósitum est, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædíficat super fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretiósos, ligna, fœnum, stípulam; uniuscujúsque opus maniféstum erit: dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur; & uniuscujúsque opus quale sit, ignis probábit.

Graduale. II. Cor. 1. Glória vestra sumus, sicut & vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. ℣. *I. Cor.* 9. *&* 4. Opus meum vos estis in Dómino; nam in Christo Jesu per Evangélium ego vos génui. Allelúia, allelúia. ℣. *II. Cor.* 2. Grátias Deo qui triúmphat nos in Christo Jesu, & odórem notítiæ suæ maniféstat per nos. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. *Matth.* 9.

IN illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes & castélla, docens in synagógis eórum, & prædicans Evangélium regni, & curans omnem languórem & omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis, quia erant vexáti & jacéntes sicut oves

non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Credo.

Offertorium. I. Thessal. 2. Trádidimus vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis, allelúia.

Secreta.

Deus, qui beáti Benígni ministério Evangélii semen germináre fecísti: oblátis, quæsumus, aspíra munéribus: & ejus intercessióne abundántem grátiæ tuæ fructum nos reférre concéde. Per Dóminum.

Præfatio propria ut habetur infra. p. 22* *vel* 23*.

Communio. Act. 9. Ecclésia ædificabátur, ámbulans in timóre Dómini, & consolatióne Sancti Spíritus replebátur, allelúia.

Postcommunio.

Deus, qui beáto Benígno, Mártyri tuo, idcírco cálicem Christi tui in altári dedísti bíbere, ut passiónis ejus cálicem non metúeret; fac nos, ejúsdem Christi sánguine reféctos, ad prælium semper parátos stare, & corónam confessiónis recípere. Per eúmdem Dóminum.

DIE XXVI.

IN FESTO

SANCTI JOANNIS A CRUCE

CONFESSORIS.

(*E die* 24. *hujus.*)

Missa ut in Missali. p. 490. *Et fit Commem. S. Petri Alexandrini Episcopi & Martyris, ut in Missali hac ipsa die.* p. 491.

MISSÆ VOTIVÆ

MISSA VOTIVA
DE SS. SACRAMENTO.

Quando Feria quinta recitatum fuit Officium de Sanctissimo Sacramento, legitur Missa votiva de eodem Sanctissimo Sacramento ut notatur in Missali inter Missas votivas. Omittitur Glória in excélsis. *Secunda & tertia Oratio de tempore, prout in semiduplicibus. Si occurrat eodem die Festum simplex, secunda Oratio de eo, tertia Oratio de tempore. Non dicitur* Credo. *Præfatio ut in Nativitate Domini.* — Benedicámus Dómino.

MISSA VOTIVA
DE IMMAC. CONCEPTIONE
BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

Quando Sabbato recitatum fuit Officium votivum de Immaculata Conceptione beatæ Virginis Mariæ, legitur Missa votiva de eadem Immaculata Conceptione, ut in die Festi 8 Dec. p. 317. *Dicitur* Glória in excelsis. *Secunda Oratio de Spiritu Sancto, tertia* Ecclésiæ tuæ, quæsumus. *vel* Deus ómnium fidélium Pastor. *Si occurrat eodem die Festum simplex, secunda Oratio de eo, tertia de Spiritu Sancto. Non dicitur* Credo. *Præfatio de Beata Maria:* Et te in Conceptione Immaculáta. *etiam Tempore Paschali.* — Ite Missa est.

MISSA
PRO
FIDEI PROPAGATIONE.

Ut supra in Supplemento generali. p. clxxij.

PRÆFATIONES

PRÆFATIO
DE SANCTO BENIGNO
ET
DE SS. ANDOCHIO, THYRSO
ET FELICE.

PER ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est.

VERE dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque gratías ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus : qui nos secúndum misericórdiam tuam magnam, de ténebris ad lucem vocáre dignátus es, & de potestáte Sátanæ eréptos, in fílios adoptiónis assúmere. Tua enim, Dómine, misericórdia, tua grátia, verbum fídei in nobis Mártyris tui (*vel* Mártyrum tuórum) labóre seminátum est, & sánguine fœcundátum. Nunc ergo, Pater sancte, confírma hoc quod operátus es in nobis ; & gregem istum, quem Fílio tuo donásti, consérva tuæ virtútis auxílio : ut sanctificátum in veritáte, perféctum in unitáte consummáre dignéris in glória; per eúmdem Christum Dóminum nostrum : Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli cœlorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus & nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes :

Sanctus.

PRÆFATIO
IN MISSIS DEFUNCTORUM.

PER ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum & justum est.

VERE dignum & justum est, æquum & salutáre, nos tibi semper & ubíque grátias agere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum ; in quo nobis spem beátæ resurrectiónis concessísti ; ut dum natúram contrístat certa moriéndi condítio, fidem consolétur futúræ immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur non tóllitur; & dissolúta terréstris hujus habitatiónis domo, ætérna in cœlis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis & Archángelis, cum Thronis & Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes :

Sanctus.

PRÆFATIONES CUM CANTU

PRÆFATIO
DE SANCTO BENIGNO,
ET
DE SS. ANDOCHIO, THYRSO
ET FELICE.





se-ri-córdi-a, tu-a grá-ti-a,

verbum fíde-i in nobis Már-

tyris tu-i (*vel* Már-ty-rum tu-ó-

rum) labó-re se-mi-nátum est

& sángui-ne fœcundátum. Nunc

ergo, Pa-ter san-cte, confírma

hoc quod ope-rátus es in no-

bis; & gre-gem i-stum, quem

Fí-li-o tu-o do-ná-sti, consér-

va tu-æ vir-tú-tis au-xí-li-o :

ut sancti-fi-cátum in ve-ri-tá-

te, per-féctum in u-ni-tá-te

consummáre di-gné-ris in gló-ri-

a : per eúmdem Christum

Dóminum nostrum; per quem ma-

je-státem tuam lau-dant Ange-

li, a-dó-rant Do-mina-ti-ó-

nes, tre-munt po-te-státes. Cœ-

li cœlorúmque vir-tútes, ac be-

á-ta Sé-raphim, só-ci-a ex-

ul-ta-ti-ó-ne concé-lebrant. Cum

qui-bus & nostras voces, ut ad-

mít-ti júbe-as depre-cá-mur, súp-


pli-ci confes-si-ó-ne dicéntes :

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cœli & terra, glória tua : Hosánna in excélsis. Benedictus qui venit in nómine Dómini, Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO
IN MISSIS DEFUNCTORUM

PER ó-mni-a sæ-cu-la sæcu-
ló-rum. ℟. A-men. ℣. Dó-mi-
nus vo-bís-cum. ℟. Et cum spíri-
tu tu- o. ℣. Sur-sum corda.
℟. Ha-bé-mus ad Dómi-num.
℣. Grá-ti- as a-gá-mus Dó-mi-no
De- o no-stro. ℟. Di- gnum &
ju-stum est.

VE-RE di-gnum & ju-stum
est, æquum & sa-lu- tá-re, nos
ti-bi semper & u-bíque grá-ti- a
á- ge-re, Dó-mine sancte, Pa-
ter omnípo- tens, æ-térne De-us,
per Chri-stum Dóminum no-
strum : in quo nobis spem be-á-
tæ re-sur-re-cti-ónis con-ces-sí-
sti : ut dum natú-ram con-trí-
stat certa mori-éndi con-dí- ti-
o, fidem con-solétur fu-túræ
im-mor-ta-li-tá- tis pro-mís-si-
o. Tu-is e-nim fidé-li-bus, Dó-
mi-ne, vi-ta mutátur, non tól-li-
tur, et disso-lú-ta ter-ré-stris hu-
jus habi-ta-ti-ó-nis domo, æ-
tér-na in cœ-lis habi-tá-ti-o


compa-rá-tur. Et í- de-o cum
An-ge-lis et Ar-chan-ge-lis, cum
Thronis & Do-mina-ti-ó- ni-bus,
cumque o-mni mi-lí-ti- a cœ-lé-
stis ex- ér-citus, hymnum gló-
ri-æ tu-æ cáni-mus, si-ne fi-
ne di-céntes.

Sanctus, *&c.*

INDEX MISSARUM

QUÆ DIOECESI DIVIONENSI SUNT PROPRIÆ

VEL ALIQUID PROPRIUM HABENT.

PRÆVIA.

FESTA MOBILIA.

FESTA FIXA

CERTIS DIEBUS MENSIS.

DECEMBER.

JANUARIUS.

FEBRUARIUS.

MARTIUS.

APRILIS.

MAIUS.

JUNIUS.

MISSÆ PROPRIÆ

DIŒCESIS MASSILIENSIS

A S. R. CONGREGATIONE APPROBATÆ,

AC DE MANDATO ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

CAROLI JOSEPHI EUGENII DE MAZENOD,

EPISCOPI MASSILIENSIS,

NUNC DENUO EDITÆ.

PARISIIS.

SUMPTIBUS SOCIETATIS BIBLIOPOLARUM CATHOLICORUM
LITURGIÆ ROMANÆ EDITORUM.

MDCCCLXXII.

CAROLUS JOSEPHUS EUGENIUS DE MAZENOD,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, EPISCOPUS MASSILIENSIS, SACRO PALLIO DECORATUS, COMMENDATOR SACRÆ RELIGIONIS ET ORDINIS MILITARIS SS. MAURITII ET LAZARI, ETC., ETC.

Universo Clero nostræ Diœcesis salutem et benedictionem in Domino.

Probe nostis, dilectissimi, quod, inter cætera, de sacra liturgia in nuperrima Aquensi Synodo statuendum duximus. Dum enim sacrorum rituum et precum uniformitatem in nostris ecclesiis stabilire cuperemus, decrevimus Ritum Romanum in tota Provincia introducendum et deinceps servandum fore, salvis tamen a Sancta Sede concessis vel concedendis.

Nobis quidem, ut hoc ad effectum deduceretur, pauca admodum agenda erant, et quasi nihil innovandum; quia pro nostra in Sedem Apostolicam pietate, eumdem ritum quem Romana Ecclesia, omnium ecclesiarum Mater et Magistra, in officiis ecclesiasticis et divinis sacrificiis servat, cæteris feliciores hucusque servaveramus. Attamen cum quædam inter nos aliter quam præscribunt rubricæ locum haberent, et nonnulla officia Kalendario addita ex usu recitarentur; Synodali præscriptioni obtemperantes, propria sanctorum nostrorum officia, diligenter recognita, et Romanis rubricis per omnia accommodata, S. R. C. approbanda præsentavimus. Et per hoc certe, si cordis nostri secreta vobis, dilectissimi, pandere licet, novum amoris nostri et devotionis pignus Sanctissimo Pontifici nostro Pio IX offerre intendimus, et etiam Sanctorum Ecclesiæ nostræ cultui providere. Confidebamus enim majorem eis, et constantiorem, et universaliorem venerationem cum Sanctæ Sedis expressa approbatione eventuram.

Revera dilectissimus Pontifex qui in cathedra Petri sedens, tanquam Christi Vicarius, omnium ecclesiarum curam habet, votis nostris benignissime annuit, ut videre est in sequenti rescripto S. R. C. quod hic inserere opportunum judicamus.

MASSILIEN.

Etsi a clero Massiliensi in divinis persolvendis laudibus Liturgia Romana servata hucusque fuerit; attamen additamenta quamplura Breviario et Missali apposita, et mutationes inde necessario inductæ, vigilantiam omnem curamque pastoralem Rmi illius Ecclesiæ Episcopi merito excitarunt, ut adhibitis etiam suæ Cathedralis Capituli consiliis, singula in Officio et Missa ita ordinaret, ut nil deinceps in iis appareret, quod rubricis et decretis non sit apprime conforme. Kalendarium itaque perpetuum, Propriumque Officiorum atque Missarum pro memorato clero suo rite concinnata, et religiosissime disposita, humillimis datis precibus Sanctissimo Domino Nostro Pio IX, Pontifici Maximo, exhibuit, ut Apostolica auctoritate sua illa adprobare dignaretur, eidemque Clero suo concedere ut divina Psalmodia juxta ipsa omnino ordinetur. Et quoniam in votis potissimum fuit tum Episcopo oratori, tum Clero Massiliensi, ut illos inter fideles, nec in minimo decrescerent cultus significationes, quibus singulis annis in benedictione recolitur memoria Cœlitum quorumdam, quorum vel præclara ibi merita effulgent, vel validissimo apud Deum patrocinio juvantur; hinc Sanctissimus Dominus mandavit, ut super singulis diligens institueretur examen; quo tandem expleto, eadem Sanctitas sua, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Secretario, propositum Kalendarium perpetuum, cum proprio Officiorum atque Missarum ad usum Cleri Cathedralis atque integræ Diœcesis Massiliensis, uti adjectis in exemplaribus authenticitate debita immunitis singula correcta sunt et emendata, suprema Auctoritate sua adprobavit, Cleroque Massiliensi concessit; præcepitque ut postquam singula typis mandata fuerint, duplex authenticum exemplar illico Romam transmittatur, ad Sacrorum Rituum Congregationem. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 9 Junii 1853.

Locus ✠ sigilli.

A. Card. LAMBRUSCHINI, *S. R. C.* PRÆFECTUS.

Dom. GIGLI, *S. R. C. Pro-Secretarius.*

Plurima, ut perspectum habetis, concessit nobis Summus Pontifex, quæ magno nos affecerunt gaudio, et quæ pari cum lætitia accipietis. Sanctorum nostrorum indigenarum cultus perantiquus per os Supremi Pastoris de novo firmatur, ad honorem hujus illustris et sanctæ Ecclesiæ Massiliensis, quæ sanctorum suorum corona quasi gemmarum diademate præcincta, rutilo semper splendore fulgebit; Sacratissimi Cordis D. N. J. C., erga Massilienses benignissimi, Officium proprium, cum maximo solemnitatis ritu, approbatur; Passionis Dominicæ, necnon et B. Mariæ semper Virginis, plura officia devotissima permittuntur; S. Joseph, gloriosissimi B. M. V. Sponsi, cultus, nobis apprime charus, inaudito alibi modo adaugetur; nonnullæ Præfationum formulæ, in Missarum celebratione apud nos recitari solitæ, indulgentur; ita ut nihil omnino deficere videatur ut vestræ et fidelium pietati consulatur.

Quapropter præsenti nostro decreto Synodali, omnibus et singulis de Clero nostro, qui ad Officium divinum tenentur, mandamus et præcipimus, ut in divinarum Laudum recitatione et Missarum celebratione, solis Breviario et Missali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, additis his Officiis et Missis propriis Diœcesi Massiliensi concessis, utantur, sub pœna non satisfaciendi obligationi suæ; et in iis recitandis vel celebrandis, Rubricarum et Decretorum perfectam observationem, in quantum poterunt, attingere curent.

Datum Massiliæ, in diœcesana Synodo, ex ædibus Seminarii minoris, sub signo sigilloque nostris, nec non secretarii nostri subscriptione, die 30 Septembris anni 1853, occurrente festo sancti Hieronymi, Ecclesiæ Doctoris.

✠ CAROLUS JOSEPH EUGENIUS, EPISCOPUS MASSILIENSIS.

De Mandato Ill. ac RR. DD. Episcopi Massiliensis.

J. CARBONNEL, *Can. Secr.-Gen.*

KALENDARIUM PERPETUUM

PRO CLERO CIVITATIS ET INTEGRÆ

DIOECESIS MASSILIENSIS.

(Ea sola notantur quæ discrepant a Kalendario Missalis Romani.)

JANUARIUS.

23 **Desponsatio B. M. V.**, duplex majus. Comm. **S. Joseph, et S. Emerentianæ, Virg. et Mart.**

24 **Translatio S. Victoris, Martyris Massiliensis,** dupl.

Feria iij post Dom. Septuagesimæ. **Oratio D.N.J.C. in monte Oliveti,** duplex majus.

Feria iij post Dom. Sexagesimæ. **Commem. Passionis D. N. J. C.,** duplex majus.

FEBRUARIUS.

3 **S. Theodori, Episc. Massiliensis et Conf.,** duplex majus. Comm. **S. Blasii, Episc. et Mart.**

4 **S. Joannæ Valesiæ, Viduæ,** duplex.

6 **S. Andreæ Corsini, Episc. et Conf.,** duplex (dies fixa e 4 hujus). Comm. **S. Dorotheæ, Virg. et Mart.**

9 **S. Raymundi de Pennafort, Conf.,** semid. (dies fixa e 23 Januarii). Comm. **S. Apolloniæ, Virg. et Mart.**

11 **S. Timothei, Episc. et Mart.,** duplex (dies fixa e 24 Januarii).

Feria vj post Cineres. **Sacratissimæ Spineæ Coronæ D. N. J. C.,** duplex majus.

Feria vj post Dom. j Quadrag. **SS. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.,** duplex majus.

Feria vj post Dom. ij Quadrag. **SS. Sindonis D. N. J. C.,** duplex majus.

MARTIUS.

1 **SS. Adriani, Hermetis et Sociorum, Mart. Massiliensium,** duplex.

18 **S. Gabrielis, Archangeli,** duplex majus.

19 **S. JOSEPH, SPONSI B. M. V., DIŒCESIS PATRONI,** duplex 1 classis.

Feria vj post Dom. iij Quadrag. **Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.,** duplex majus

Feria vj post Dom. iv Quadrag. **RESURRECTIO S. LAZARI** duplex 2 classis.

APRILIS.

Dom. iij post Pascha. **PATROCINII S. JOSEPH, SPONSI B. M. V.,** duplex 2 classis cum Octava.

Dom. iv post Pascha. **Octava Patrocinii,** duplex.

MAJUS.

5 **Inventio Corporis S. Mariæ Magdalenæ,** duplex.

11 **S. Pii V, Papæ et Conf.,** duplex (dies fixa e 5 hujus).

16 **S. Joannis Nepomuceni, Mart.,** duplex.

21 **S. Ubaldi, Episc. et Conf.,** semid. (dies fixa e 16 hujus).

24 **B. Mariæ Virginis, titulo Auxilium Christianorum,** duplex majus.

25 **SS. Mariæ Jacobi et Mariæ Salome, Vid.,** duplex. Comm. **S. Urbani I, Papæ et Mart.**

27 **S. Eutropii, Massiliensis, Episc. Arausicani et Conf.,** duplex. Comm. **S. Joannis I, Papæ et Mart.**

28 **S. Gregorii VII, Papæ et Conf.,** duplex (dies fixa e 25 hujus).

29 **S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Virg.,** semid. (dies fixa e 27 hujus).

JUNIUS.

8 **S. Maximini, I Episc. Aquensis et Conf.,** duplex.

16 **S. Joannis Francisci Regis, Conf.,** duplex.

Feria vj post Octavam SS. Corporis Christi. **SACRATISSIMI CORDIS D. N. J. C.,** dupl. classis cum Octava.

Dom. iij post Pentecosten. **Purissimi Cordis B.M.V.,** duplex majus.

Feria vj post Dom. iij post Pentec. **Octava SS. Cordis D. N. J. C.,** duplex.

JULIUS.

16 **B. M. V. DE MONTE CARMELO,** duplex 2 classis.

21 **SS. VICTORIS ET SOCIORUM, MART. MASSILIENSIUM,** duplex 2 classis. Comm. **S. Praxedis, Virg.**

22 **S. MARIÆ MAGDALENÆ,** duplex 2 classis.

23 **S. Cassiani, Fundatoris et Abbatis, S. Victoris** duplex. Comm. **S. Liborii, Episc. et Conf.**

24 **S. Apollinaris, Episc. et Mart.,** duplex (dies fixa e 23 hujus). Comm. **Vigiliæ et S. Christinæ, Virg. et Mart.**

29 **S. MARTHÆ, Virg.,** duplex 2 classis. Comm. **SS. Felicis et Sociorum, Mart.**

AUGUSTUS.

9 **S. Sereni, Episc. Massiliensis et Conf.,** duplex majus. Comm. **Vigiliæ et S. Romani, Mart.**

16 **S. Rochi, Conf.,** duplex. Comm. **Oct.**

18 **S. Hyacinthi, Conf.,** duplex (dies fixa e 16 hujus). Comm. **Oct. et S. Agapiti, Mart.**

19 **S. Ludovici, Episc. Tolosani et Conf.,** duplex. Comm. **Oct.**

31 **SOLEMNITAS S. LAZARI, PRIMI EPISCOPI MASSILIENSIS ET MARTYRIS, URBIS ET DIŒCESIS PATRONI,** duplex 1 classis cum Octava.

SEPTEMBER.

1 **S. Raymundi Nonnati, Conf.,** duplex (dies fixa e 31 Augusti). Comm. **Oct., S. Ægidii, Abbatis, et SS. XII Fratrum, Mart.**

7 **Octava S. Lazari,** duplex.

25 **SS. Defendentis et Sociorum, Mart. Massiliensium,** duplex.

26 **S. Ysarni, Abbatis, S. Victoris,** duplex. Comm. **SS. Cypriani et Justinæ, Mart.**

OCTOBER.

3 **S. Cypriani, Massiliensis, Episc. Tolosensis et Conf.,** duplex.

11 **SS. Eusebiæ et Sociarum, Virg. et Mart. Massiliensium,** duplex.

15 **S. Cannati, Episc. Massiliensis et Conf.** duplex majus.

16 **S. Teresiæ, Virg.,** duplex (dies fixa e 15 hujus).

21 **S. Mauronti, Episc. Massiliensis et Conf.** duplex majus. Comm **S. Hilarionis, Abbatis, et SS. Ursulæ et Soc., Virg. et Mart.**

24 **S. Raphaelis, Archangeli,** duplex majus

30 **Translatio S. Augustini,** duplex.

Dom. ij Octobris. **Maternitatis B. M. V.,** duplex majus.

Dom. iij Octobris. **Puritatis B. M. V.,** duplex majus.

Dom. iv Octobris. **Patrocinii B. M. V.,** duplex majus.

NOVEMBER.

Dom infra Oct. omnium Sanctorum. **FESTUM OMNIUM SANCTORUM ECCLESIÆ MASSILIENSIS,** duplex 2 classis.

Dom. ultima post Pentec. **Sacrarum Reliquiarum Ecclesiæ Massiliensis,** duplex majus.

DECEMBER.

17 **NATALIS S. LAZARI, PRIMI EPISC. MASSILIENSIS ET MART.,** duplex 2 classis.

18 **Expectatio partus B. M. V.,** duplex majus.

30 **S. Trophimi, primi Episc. Arelatensis et Conf.,** duplex. Comm. **Octovarum.**

MISSÆ PROPRIÆ

DIŒCESIS MASSILIENSIS.

FESTA DECEMBRIS.

DIE XVII.
IN FESTO
NATALIS SANCTI LAZARI,
PRIMI EPISC. MASSILIENSIS ET MART.

Introitus. Isaiæ 43.

NOLI timére, quia redémi te, et vocávi te nómine tuo; meus es tu: cum ambuláveris in igne, non comburéris, quia ego Dóminus Deus tuus, sanctus Israel, Salvátor tuus. Psalm. 17. Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beáto Lázaro, Christi discípulo, dedísti piæ confessiónis inter torménta virtútem: largíre nobis inter mundi tentámina ejus constántiam æmulári; ut coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus: de altitúdine ventris ínferi et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt. Quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus Géntium.

Graduale. Philip. 2. Si ímmolor supra sacrifícium et obséquium fídei vestræ, gáudeo et congrátulor ómnibus vobis. ℣. Idípsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi.

Allelúia, allelúia. ℣. Lázare, testína, pétimus, succúrrere nobis: néquiter ecce premit nos úndique túrbidus hostis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11.

IN illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. María ergo, cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: Dómine, si fuísses

hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit : Ubi posuístis eum ? Dicunt ei : Dómine, veni, et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi : Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt : Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur ? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca : et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : Tóllite lápidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei ? Tulérunt ergo lápidem Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi : ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit : Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus : Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. Credo.

Offertorium. Col. 1. Gáudeo in passiónibus, et adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea, pro córpore ejus quod est Ecclésia, cujus factus sum ego minister.

Secreta.

OBLATIONEM nostram, quæsumus Dómine, benedictiónis suæ rore perfúndat Spíritus sanctus, et nos constántes effíciat in fide veritátis, quam beátus Lázarus, Christi discípulus, et præcónio vocis et sánguinis effusióne testátus est. Per eúmdem... In unitáte ejúsdem.

Et fit commemoratio Feriæ.

Præfatio propria.

Communio. 2 Cor. 1. Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

Postcommunio.

CŒLESTIS mensæ virtúte recreátis præsta nobis, omnípotens Deus : ut beáti Lázari précibus et exémplo, nec persecútio, nec gládius separáre nos possit a charitáte tua, quæ est in Christo Jesu Fílio tuo Dómino nostro. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus. Per ómnia sæcula sæculórum.

Et fit commemoratio Feriæ.

DIE XVIII.
IN FESTO
EXPECTATIONIS PARTUS
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Ut in fine Missalis, cum commem. Fériæ.

DIE XXVI.
IN FESTO S. STEPHANI.
PRO COMMEMORATIONE
OMNIUM SS. MARTYRUM.

Oratio.

DEUS, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum, réspice ad preces humilitátis nostræ : ut quorum solémnia celebrámus, eórum précibus adjuvári mereámur.

Postea fit commem. Octavæ.

Secreta.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in sanctórum tuórum commemoratióne deférimus : ut qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt méritis adjuvémur.

Postcommunio.

QUÆSUMUS, Dómine, salutáribus repléti mystériis : ut quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur.

DIE XXX.

IN FESTO S. TROPHIMI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Statuit, de Communi Conf. Pont., primo loco, cum Oratione sequenti.

Oratio.

DEUS qui ad Géntium illuminatiónem beátum Pontíficem tuum Tróphimum míttere dignátus es : præsta; ut quos per ipsíus documénta esse donásti fidéles, meritórum imitatóres esse concédas. Per Dóminum.

Et fit comm. quatuor Octavarum.

FESTA JANUARII.

DIE XXIII.

IN FESTO

DESPONSATIONIS B. M. V.

Ut in fine Missalis, cum commem. S. Joseph et S. Emerentianæ, Virg. et Mart.

DIE XXIV.

IN FESTO

TRANSLATIONIS S. VICTORIS,

MARTYRIS.

Introitus. Psalm. 34.

ANIMA mea exultábit in Dómino : et delectábitur super salutári suo. Omnia ossa mea dicent : Dómine, quis símilis tibi? Psalm. Id. **Erípiens ínopem de manu fortiórum ejus : egénum et páuperem a diripiéntibus eum. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, cujus nutu per divérsa terrárum loca, ipsa quoque sanctórum córpora disponúntur : tríbue, quæsumus ; ut qui beáti Victóris Mártyris tui Translatiónem cólimus, ipsi étiam a pravitáte nostra ad pie vivéndi rectitúdinem transferámur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 6.

IN diébus illis : Vidi subtus altáre ánimas interfectórum propter verbum Dei, et propter testimónium, quod habébant, et clamábant voce magna, dicéntes : Usquequo, Dómine, sanctus et verus, non júdicas, et non víndicas sánguinem nostrum de iis qui hábitant in terra? Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ : et dictum est illis ut requiéscerent adhuc tempus módicum, donec compleántur consérvi eórum, et fratres eórum, qui interficiéndi sunt sicut et illi.

Graduale. Psalm. 33. **Multæ tribulatiónes justórum : et de ómnibus his liberábit eos Dóminus. ℣. Custódit Dóminus ómnia ossa eórum : unum ex his non conterétur.**

Allelúia, allelúia. ℣. Isai. 66. **Consolábor et consolabímini. Ossa vestra germinábunt : et cognoscétur manus Dómini servis ejus. Allelúia.**

Post Septuagesimam, omissis **Allelúia** et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Eccli. 48 et 49. **Amplificátus est in mirabílibus suis, et mórtuum prophetávit corpus ejus. ℣. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. ℣. Ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum **Matthæum:** Matth. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nihil est opértum, quod non revelábitur : et occúltum quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine : et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere : sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam, et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse væneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro?

Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére : multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.

In Ecclesia Cathedrali et propria dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 53. Voluntárie sacrificábo tibi, et confitébor nómini tuo, Dómine : quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me.

Secreta.

HOSTIAS, quæsumus, Dómine, súscipe placátus oblátas, intercedénte beáto Victóre Mártyre tuo : qui mola contrítus se tibi velut panem mundum óbtulit. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 50. Dabis, Dómine, gáudium et lætítiam : et exultábunt ossa humiliáta.

Postcommunio.

EXULTEMUS, Dómine, lætítia spiritáli, beáti Victóris Mártyris tui Translatiónem recoléntes : et sacraménta quæ in ejus solemnitáte percépimus, nobis ad fídei et charitátis augméntum profíciant. Per Dóminum.

FERIA III POST DOM. SEPTUAGESIMÆ.

IN FESTO

ORATIONIS D. N. J. C.

IN MONTE OLIVETI.

Ut in fine Missalis.

FERIA III POST DOM. SEXAGESIMÆ.

IN FESTO

COMMEMORATIONIS

PASSIONIS D. N. J. C.

Ut in fine Missalis.

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

IN FESTO S. THEODORI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Eccli. 45.

EXCELSUM fecit illum Dóminus, et dedit illi sacerdótium gentis : et beatificávit illum in glória. Dedit illi in præcéptis suis potestátem docére Jacob testimónia, et in lege sua lucem dare Israel. Psalm. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in generatiónem et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS qui beátum Theodórum Pontíficem exímium per multos agónes, tanquam aurum igne probátum, ad ætérnæ felicitátis réquiem perduxísti : da nobis, quæsumus, ejus exémplo cuncta nobis adversántia ita superáre, ut post hujus vitæ tribulatiónes in regnum tuum introíre mereámur. Per Dóminum.

Pro commem. S. Blasii, Episc. et Mart.

Oratio.

DEUS qui nos beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 50.

SACERDOS magnus qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis : et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri

sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans, et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et vestíri eum in consummatiónem virtútis.

Graduale. Job 29. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum. ℣. Oculus fui cæco et pes claudo; pater eram páuperum.

Allelúia, allelúia. ℣. 1 Cor. 9. Omnibus ómnia factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Psalm. 125. Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus, et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me pater, et ego agnósco patrem, et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

In Ecclesia Cathedrali et propria dicitur Credo.

Offertorium. Exod. 32. Orábat Dóminum Deum suum, dicens: Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum? Quiéscat ira tua, et esto placábilis super nequítia pópuli tui. Placatúsque est Dóminus.

Secreta.

Placeat tibi, Dómine, nostræ humilitátis oblátio, et intercedénte beáto Theodóro Confessóre tuo atque Pontífice, præsta: ut tuæ charitátis spíritus repléti, a terrénis mundémur cupiditátibus, et cœlésti beatitúdine digni efficiámur. Per Dóminum.

Pro sancto Blasio.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Communio. Sap. 10. Sapiéntia honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

Postcommunio.

Deus, qui beátum Theodórum Confessórem tuum atque Pontíficem, pastorális offícii vigilántia et præcláris ómnium virtútum méritis sublimásti: da nobis hujus virtúte sacraménti; ut ipsum sincéris óperum frúctibus imitémur. Per Dóminum.

Pro sancto Blasio.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáto Blásio Mártyre tuo atque Pontífice, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE IV.

IN FESTO

B. JOANNÆ VALESIÆ,

VIDUÆ.

Missa Cognóvi, de Communi, cum Orat. propria, in fine Missalis.

DIE VI.

IN FESTO

SANCTI ANDREÆ CORSINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Ut in Missali ad diem 4 hujus,

cum comm. S. Dorotheæ, Virg. et Mart.

DIE IX.
IN FESTO
S. RAYMUNDI DE PENNAFORT,
CONFESSORIS.

Ut in Missali ad diem 23 Januarii, cum comm. S. Apolloniæ, Virg. et Mart., et tertia Orat. ut in Semid.

DIE XI.
IN FESTO S. TIMOTHEI,
EPISCOPI ET MARTYRIS.

Ut in Missali ad diem 24 Januarii.

FERIA VI POST CINERES.
IN FESTO
SS. SPINEÆ CORONÆ
D. N. J. C.

Ut in fine Missalis.

FERIA VI POST DOMIN. I QUADRAG
IN FESTO
SS. LANCEÆ ET CLAVORUM
D. N. J. C.

Ut in fine Missalis.

FERIA VI POST DOMIN. II QUADRAG
IN FESTO
SS. SINDONIS D. N. J. C.

Ut in fine Missalis.

FESTA MARTII.

DIE I.
IN FESTO
SS. ADRIANI, HERMETIS,
ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Missa Intret, de Communi plurim. Mart. cum Oratione sequenti.

Oratio.

Deus qui hunc diem beatórum Mártyrum tuórum Adriáni, Hermétis Sociorúmque eórum martyrio consecrásti: præsta, quæsumus; ut eórum suffrágia apud te sentiámus in cœlis, quorum hic pio amóre solémnia venerámur in terris. Per Dóminum.

DIE XVIII.
IN FESTO S. GABRIELIS,
ARCHANGELI.

Ut in fine Missalis.

DIE XIX.
IN FESTO S. JOSEPH,
DIŒCESIS PATRONI.

Ut in Missali.

FERIA VI POST DOMIN. III QUADRAG.
IN FESTO
SS. QUINQUE VULNERUM
D. N. J. C.

Ut in fine Missalis.

IN FESTO

RESURRECTIONIS S. LAZARI.

Introitus. Psalm. 15.

LÆTATUM est cor meum, et exultávit lingua mea; ínsuper et caro mea requiéscet in spe. Psalm. Id. Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. Dixi · Dómino : Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui per Unigénitum tuum beátum Lázarum quatriduánum mórtuum suscitásti a monuménto : érige nos de túmulis peccatórum; ut mereámur adipísci consórtium electórum tuórum. Per eúmdem Dóminum.

Pro commem. Feriæ.

Oratio.

DEUS, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis : præsta, quæsumus; ut Ecclésia tua et ætérnis profíciat institútis, et temporálibus non destituátur auxíliis. Per Dóminum.

Léctio libri Regum. 3 Reg. 17.

IN diébus illis : Ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam : Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías : Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum. Et clamávit ad Dóminum, et dixit : Dómine Deus meus, etiámne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait : Dómine Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ : et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit. Tulítque Elías púerum, et depósuit eum de cœnáculo in inferiórem domum, et trádidit matri suæ, et ait illi : En vivit fílius tuus. Dixítque múlier ad Elíam : Nunc in isto cognóvi quóniam vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est.

Graduale. Psalm. 87. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum : factus sum sicut homo sine adjutório, inter mórtuos liber. ℣. Job 14. Vocábis me, Dómine, et ego respondébo tibi : óperi mánuum tuárum pórriges déxteram.

Tractus. Eccli. 15. Liberásti me, Dómine, secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, de altitúdine ventris ínferi. ℣. Psalm. 15. Propter hoc lætátum est cor meum, et exultávit lingua mea : ínsuper et caro mea requiéscet in spe. ℣. Notas mihi fecísti vias vitæ, adimplébis me lætítia cum vultu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11.

IN illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. (María autem erat quæ unxit Dóminum

unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis; cujus frater Lázarus infirmabátur.) Misérunt ergo soróres ejus ad eum, dicéntes: Dómine, ecce quem amas infirmátur. Audiens autem Jesus dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham, et sorórem ejus Maríam, et Lázarum. Ut ergo audívit quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diébus. Deínde post hæc dixit discípulis suis : Eámus in Judæam íterum. Dicunt ei discípuli : Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, et íterum vadis illuc? Respóndit Jesus : Nonne duódecim sunt horæ diéi? Si quis ambuláverit in die, non offéndit, quia lucem hujus mundi videt : si autem ambuláverit in nocte, offéndit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lázarus amícus noster dormit; sed vado, ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus : Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus : illi autem putavérunt, quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo Jesus dixit eis maniféste : Lázarus mórtuus est, et gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam non eram ibi. Sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiscípulos : Eámus et nos, ut moriámur cum eo. Venit ítaque Jesus, et invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. (Erat autem Bethánia juxta Jerosólymam quasi stádiis quíndecim.) Multi autem ex Judæis vénerant ad Martham, et Maríam, ut consolaréntur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi : María autem domi sedébat. Dixit ergo Martha ad Jesum : Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus : sed et nunc scio, quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus : Resúrget frater tuus. Dicit ei Martha : Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus : Ego sum resurréctio, et vita : qui credit in me, etiámsi mórtuus fúerit, vivet : et omnis, qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi : Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. Et cum hæc dixísset, ábiit, et vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens : Magíster adest, et vocat te. Illa ut audívit, surgit cito, et venit ad eum : nondum enim vénerat Jesus in castéllum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabántur eam, cum vidíssent Maríam, quia cito surréxit, et éxiit, secúti sunt eam, dicéntes : Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei : Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit : Ubi posuístis eum? Dicunt ei : Dómine, veni, et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi : Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt : Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca : et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : Tóllite lápidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem : Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum, qui cir-

cúmstat, dixi : ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit : Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus : Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad María m et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. Credo.

Offertorium. Psalm. 3. Ego dormívi et soporátus sum ; et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Secreta.

DEUS, cujus Fílius per humilitátem assúmptæ carnis Lázarum flevit, et per divinitátis poténtiam vitæ réddidit : da nobis, hujus sacrifícii operánte virtúte, et a peccáti morte liberári. et ætérnæ vitæ felicitáti restítui. Per eúmdem Dóminum

Pro commém. Feriæ.

Secreta.

MUNERA nos, Dómine, quæsumus, obláta purífìcent, et te nobis júgiter fáciant esse placátum. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Communio. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judæis, et exclamávit : Lázare, veni foras; et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Postcommunio.

DOMINE Jesu, qui in nobis per hæc sacraménta manére dignáris : fac nos, quæsumus, cœléstium benedictiónum partícipes, quibus sanctum hóspitem et amícum tuum Lázarum cumulásti. Qui vivis.

Pro commem. Feriæ.

Postcommunio.

HÆC nos, quæsumus, Dómine, participátio sacraménti, et a própriis reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

In fine Missæ, nisi hoc Festum transferatur, legitur Evangelium sancti Joannis In princípio.

FESTA APRILIS.

DOMINICA III POST PASCHA.

IN FESTO

PATROCINII S. JOSEPH.

Ut in Missali.

Infra Octavam, Missa dicitur ut in die, secunda Oratio de Beata, Concéde, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

DOMINICA IV POST PASCHA.

OCTAVA

PATROCINII S. JOSEPH.

Missa ut in die Festi, cum commem. Dominicæ, cujus Evangelium legitur in fine.

FESTA MAII.

DIE V.

IN INVENTIONE CORPORIS S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Missa dicitur ut in ejus Festo, ad diem 22 Julii, cum Oratione sequenti.

Oratio.

DEUS, qui Ecclésiam tuam hodiérna die Córporis beátæ Maríæ Magdalénæ revelatióne gloriósa lætíficas : concéde propítius; ut qui ejus præséntia et miráculis illustrámur, perpétua quoque mentis et córporis benefícia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

OBLATA múnera, quæsumus Dómine, tua benedictióne sanctífica : quæ, te donánte, nos illa tuæ dilectiónis flamma succéndat; qua beáta María Magdaléna tibi immobíliter adhæsit. Qui vivis.

Postcommunio.

DEUS, qui per reliquiárum beátæ Maríæ Magdalénæ inventiónem, futúræ immortalitátis spem in méntibus fidélium excitásti : præsta; ut

percéptis cœléstibus aliméntis, ad ætérnam beatitúdinem perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE XI.

IN FESTO S. PII V,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem 5 hujus.

DIE XVI.

IN FESTO

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

MARTYRIS.

Missa de Communi, scilicet **Protexísti**, vel **Lætábitur**, juxta tempus, cum Orationibus ut in fine Missalis.

DIE XXI.

IN FESTO S. UBALDI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem 16 hujus.

DIE XXIV.

IN FESTO

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS,

TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Ut in fine Missalis.

DIE XXV.

IN FESTO

SS. MARIÆ JACOBI

ET MARIÆ SALOME, VIDUARUM.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sanctárum sorórum : de quarum solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei, allelúia, allelúia. Psalm. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

DA nobis, Dómine Jesu Christe, sanctárum Maríæ Jacóbi et Maríæ Salóme piis patrocíniis adjuvári : quæ tibi tam vivénti quam mórtuo studuérunt devótis obséquiis famulári. Qui vivis et regnas.

Pro com. S. Urbani, Papæ et Mart.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus ; ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini : Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum : memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur : et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúia, allelúia. ℣. Surréxit Dóminus, et occúrrens muliéribus, ait : Avéte. Tunc accessérunt et adoravérunt eum. Allelúia. ℣. O flores florum, gemináta lucérna sorórum, sursum vestrórum deférte preces famulórum. Allelúia.

Extra tempus Paschale, dicitur Graduale. Psalm. 47. **Lætétur mons Sion, et exúltent fíliæ Judæ, propter judícia tua, Dómine. ℣.** Psalm. 44. **Fíliæ Tyri in munéribus vultum tuum deprecabúntur.**

Allelúia, allelúia. ℣. O flores florum, gemináta lucérna sorórum, sursum vestrórum deférte preces famulórum. Allelúia.

Post Septuages., dicitur Tractus. Psalm. 125. **Qui séminant in lácrymis, in exultatióne metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 16.

In illo témpore : Cum transísset sábbatum María Magdaléne, et María Jacóbi et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. Et dicébant ad ínvicem : Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti ? Et respiciéntes vidérunt revolútum lápidem. Erat quippe magnus valde. Et introeúntes in monuméntum, vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt. Qui dicit illis : Nolíte expavéscere : Jesum quæritis Nazarénum, crucifíxum : surréxit, non est hic, ecce locus ubi posuérunt eum. Sed ite, dícite discípulis ejus et Petro, quia præcédit vos in Galilæam : ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis.

Offertorium. Angelus Dómini descéndit de cœlo, et dixit muliéribus : Quem quæritis, surréxit, sicut dixit, allelúia.

Secreta.

Domine Jesu Christe, qui in ara crucis te veram hóstiam pro salúte humáni géneris obtulísti : munus oblátum tibi sanctífica ; et intercedéntibus beátis María Jacóbi et María Salóme, ad salútem nostrárum tránseat animárum. Qui vivis.

Pro sancto Urbano.

Secreta.

Hæc hóstia, Dómine quæsumus, emúndet nostra delícta : et ad sacrifícium celebrándum subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Communio. In die resurrectiónis meæ, dicit Dóminus, præcédam vos in Galilæam, allelúia.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis, te súpplices exorámus : ut méritis et précibus mulíerum sanctárum quæ emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum Christum, virtútum aromátibus inungámur. Per eúmdem Dóminum.

Pro sancto Urbano.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster : ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Urbáno Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXVII.

IN FESTO S. EUTROPII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Statuit, de Communi, primo loco, cum Oratione sequenti.

Oratio.

Sancti Confessóris tui atque Pontíficis Eutrópii, nos, quæsumus Dómine, majestáti tuæ concíliet intercéssio : quæ sanctis virtútibus veneránda refúlget. Per Dóminum.

Et fit commem. sancti Joannis, Papæ et Martyris.

DIE XXVIII.

IN FESTO S. GREGORII VII,

PAPÆ ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem 25 hujus, omissa commemoratione S. Urbani.

DIE XXIX.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRG.

Ut in Missali, ad diem 27 hujus, omissa commemoratione S. Joannis.

FESTA JUNII.

DIE VIII.

IN FESTO S. MAXIMINI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Isaiæ 52.

Quam pulchri super montes pedes evangelizántis et prædicántis pacem, evangelizántis bonum, prædicántis

salútem, dicéntis : Sion, regnábit Deus tuus. Psalm. 96. Dóminus regnávit, exúltet terra : læténtur ínsulæ multæ. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beáto Lázaro, Christi discípulo, beátum Maximínum condiscípulum, in evangélio cooperatórem fidelíssimum adjunxísti : da nobis fámulis tuis, ea quæ dócuit corde crédere ad justítiam, ore autem ad salútem confitéri. Per eúmdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 10.

Fratres : Omnis sacérdos præsto est quotídie minístrans, et eásdem sæpe ófferens hóstias, quæ nunquam possunt auférre peccáta : hic autem unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei, de cætero expéctans donec ponántur inimíci ejus scabéllum pedum ejus. Una enim oblatióne, consummávit in sempitérnum sanctificátos. Contestátur autem nos et Spíritus sanctus. Postquam enim dixit : Hoc autem testaméntum, quod testábor ad illos post dies illos, dicit Dóminus : Dando leges meas in córdibus eórum, et in méntibus eórum superscríbam eas : et peccatórum, et iniquitátum eórum jam non recordábor ámplius. Ubi autem horum remíssio : jam non est oblátio pro peccáto.

Graduale. Malach. 2. Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus. ℣. In pace et æquitáte ambulávit, et multos avértit ab iniquitáte.

Allelúia, allelúia. ℣. Act. 18. Edóctus viam Dómini, docébat diligénter ea quæ sunt Jesu. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa : operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum; et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 3. Mihi data est grátia hæc, evangelizáre investigábiles divítias Christi.

Secreta.

Suscipe, Dómine, sacrifícium placatiónis et laudis : quod nos, interveniénte beáto Maximíno, et a terrénis expédiat afféctibus ; et in perpétua gratiárum actióne constítuat. Per Dóminum.

Communio. 1 Tim. 1. Grátias ago Christo Jesu Dómino nostro, qui fidélem me existimávit, ponens in ministério.

Postcommunio.

Gratias tibi, Dómine, de percéptis donis ágimus, humíliter deprecántes : ut beáti Maximíni Confessóris tui inhæréntes mónitis, et exémpla sectántes, præmia consequámur ætérna. Per Dóminum nostrum.

IN SOLEMNITATE

SS. CORDIS D. N. J. C.

Introitus. Matth. 11.

VENITE ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde, allelúia, allelúia. Ps. 117. Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui ineffábiles Cordis tui divítias Ecclésiæ tuæ novo benefício aperíre dignátus es: concéde; ut hujus sacratíssimi Cordis amóri respondére, et injúrias eídem ab ingrátis homínibus illátas dignis obséquiis compensáre valeámus. Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3.

FRATRES: Flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cœlis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in charitáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ charitátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

Graduale. Thren. 3. Miserébitur secúndum multitúdinem misericordiárum suárum. Non enim humiliávit ex Corde suo, et abjécit fílios hóminum. ℣. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 12. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, et dicétis: Confitémini Dómino. Quando non est dicenda Sequentia, additur Allelúia.

Sequentia.

O COR, amóris víctima,
Cœli perénne gáudium,
Mortálium solátium,
Mortálium spes última!
Tu Trinitátis glória,
Jungit tibi se Fílius,
In te quiéscit Spíritus,
Sunt Patris in te gáudia.
Tu sole puro púrius,
Verbi Dei sacrárium,
Verbi Dei palátium,
Templúmque cœlo dígnius.
Te, digna sedes Númine,
Fœcúnda virtus Fláminis
Illápsa in alvum Vírginis
Puro creávit sánguine.
Cor dulce, Cor amábile,
Amóre nostri sáucium,
Amóre nostri lánguidum,
Fac, sis mihi placábile.
Vindex reis iráscitur
Deus, sed ut te réspicit,
Placátus iras ábjicit,
Et fulmen oblivíscitur.

Grandi reclúsum vúlnere
Amor dedit te pérvium,
Amor reclúsit óstium,
Hortátur et pervádere.
Quos abluísti sánguine,
Venis apértis ómnibus,
Nos, íntimis recéssibus
Semel recéptos, cóntine.
Jesu Cor amantíssimum,
Castis amícum méntibus,
Puris amándum córdibus,
In corde regnes ómnium. Amen
Allelúia.

In Missis votivis, post Septuag., omissis **Allelúia** et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Isaiæ 53. **Vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra.** ℣. Isaiæ 1. **Fílios enutrívi et exaltávi : ipsi autem sprevérunt me.**

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur **Allelúia, allelúia.** ℣. Matth. 11. **Díscite a me quia mitis sum et húmilis Corde. Allelúia.** ℣. Joan. 15. **Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos : manéte in dilectióne mea. Allelúia.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** Matth. 11.

In illo témpore : Respóndens Jesus dixit : Confíteor tibi, Pater Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater : quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde : et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Credo.

Offertorium. Luc. 12. **Ignem veni míttere in terram ; et quid volo nisi ut accendátur, allelúia ?**

Secreta.

Illo nos igne, quæsumus Dómine, Spíritus sanctus inflámmet : quem Dóminus noster Jesus Christus et penetrálibus Cordis sui misit in terram ; et vóluit veheménter accéndi. Per eúmdem.... in unitáte ejúsdem.

Præfatio propria.

Communio. 2. Reg. 7. **Secúndum Cor tuum fecísti ómnia magnália hæc : idcírco magnificátus es, Dómine Deus, quia non est símilis tui in ómnibus quæ audívimus áuribus nostris, allelúia.**

Postcommunio.

Præbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem : quo dulcíssimi Cordis tui suavitáte percépta ; discámus terréna despícere, et amáre cœléstia. Qui vivis.

Infra Oct. SS. Cordis D. N. J. C. non fit de Festo Semid. occurrente, nec de Dupl. translato, nisi fuerit primæ vel secundæ classis. Missa dicitur ut in die ; secunda Orat. de Beata, **Concéde,** tertia **Ecclésiæ,** vel pro Papa.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Missa, **Salve, sancta parens,** inter votivas de Beata, a Pentecoste ad Adventum.

Et fit commem. Octavæ SS. Cordis D. N. J. C. et Dominicæ, cujus legitur Evangelium in fine.

DIE XVI.

IN FESTO

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS, CONFESSORIS.

Ut in fine Missalis, ritu Duplici.

DIE XXIX.

IN FESTO SS. PETRI ET PAULI.

PRO COMMEMORATIONE OMNIUM SANCTORUM APOSTOLORUM.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster : et ómnium sanctórum Apostoló-

rum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis. Qui vivis.

Secreta.

GLORIAM, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes, quæsumus: ut eámdem sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Qui vivis.

Postcommunio.

QUÆSUMUS omnípotens Deus, ut fidéles tui venerándas assídue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes, et cópiam invéniant perpétuæ devotiónis, et salútis ætérnæ suffrágia majóra conquírant. Qui vivis.

FESTA JULII.

DIE XVI.

IN FESTO B. M. VIRGINIS DE MONTE CARMELO.

Ut in Missali.

DIE XXI.

IN FESTO SS. VICTORIS ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Introitus. Rom. 8.

PROPTER te, Dómine, mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis: sed in ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Psalm. 45. Deus noster, refúgium et virtus: adjútor in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, mundi creátor et rector, qui beátos Mártyres tuos Victórem, Feliciánum, Alexándrum atque Longínum, necnon Deuthérium párvulum ad nóminis tui glóriam consecráre voluísti: exáudi pópulum tuum cum sanctórum tuórum tibi patrocínio supplicántem. ut ad pacis donum profíciat, et fídei charitatísque augménto repleátur. Per Dóminum.

Pro commem. S. Praxedis, Virginis, in Missis privatis tantum.

Oratio.

EXAUDI nos, Deus salutáris noster: ut sicut de beátæ Praxédis, Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7.

IN diébus illis: Unus de senióribus dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum, et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

Graduale. Psalm. 105 et 106. Humiliavérunt in compédibus pedes ejus: ferrum pertránsiit ánimam ejus. ℣. Dóminus contrívit portas æreas, et vectes férreos confrégit.

Allelúia, allelúia. Psalm. 115. Dirupísti, Dómine, víncula mea; tibi sacrificábo hóstiam laudis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terroréscue de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis

manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas, et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem á paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte afficient ex vobis : et éritis ódio ómnibus propter nomen meum, et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Credo.

Offertorium. 1 Petri 5. Deus omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam, módicum passos ipse perfíciet.

Secreta.

DEVOTIONIS nostræ, quæsumus Dómine, tibi grata sint múnera : quæ in sanctórum tuórum commemoratióne digne deférimus; si et actus illórum páriter subsequámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Pro sancta Praxede.

Secreta.

ACCEPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 65. Transívimus, Dómine, per ignem et aquam; et eduxísti nos in refrigérium.

Postcommunio.

DIGNUS amóris tui, Dómine, quo páscimur, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Victóre, Feliciáno, Alexándro, Longíno, et Deuthério Confessóre, fortes in tuo sancto servítio effíciat : ut qui fílii sanctórum sumus; eórum précibus et imitatióne, concéssam ipsis et promíssam nobis hæreditátem consequámur ætérnam. Qui vivis.

Pro sancta Praxede.

Postcommunio.

SATIASTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE XXII.

IN FESTO

S. MARIÆ MAGDALENÆ,

SORORIS S. LAZARI.

Ut in Missali.

DIE XXIII.

IN FESTO S. CASSIANI,

ABBATIS.

Missa Os justi, de Communi Abbatum, cum Oratione sequenti.

Oratio.

SANCTI Confessóris tui Cassiáni, Dómine, tríbue nos supplicatiónibus fovéri : ut cujus depositiónem ánnuo celebrámus offício, ejus apud te intercessiónibus et méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Liborii, Episcopi et Confessoris.

DIE XXIV.

IN FESTO S. APOLLINARIS,

EPISCOPI ET MARTYRIS.

Ut in Missali, heri, cum commem. Vigiliæ S. Jacobi, et S. Christinæ. Virg. et Mart.; Evang. Vigiliæ in fine.

DIE XXIX.

IN FESTO S. MARTHÆ,

VIRGINIS, SORORIS S. LAZARI.

Introitus. Joan. 12.

QUI mihi minístrat, me sequátur : et ubi ego sum, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, dicit Dóminus omnípotens. Psalm. 100. Oculi mei ad fidéles terræ, ut sédeant mecum : ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum pro salúte hóminum in terris conversántem, beátæ Vírginis Marthæ hospítio súscipi voluísti : præsta, quæsumus; ut ejúsdem méritis et intercessióne in cœlórum domicílio récipi misericórditer valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Pro commem. SS. Martyrum, in Missis privatis tantum.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus Dómine : ut sicut pópulus Christiánus Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis temporáli solemnitáte congáudet, ita perfruátur ætérna; et quod votis célebrat, comprehéndat afféctu. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 26.

GRATIA mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit : disciplína illíus datum Dei est. Múlier sensáta et tácita, non est immutátio erudítæ ánimæ. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale. Luc. 10. Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi ut me ádjuvet. ℣. Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima : porro unum est necessárium.

Allelúia, allelúia. ℣. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Qui confídunt in te, gloriósa Christi hóspita, spes eórum firma erit in sæculum. ℣. Quia dilécta es a Dómino valde, ex hoc nunc et usque in sæculum. ℣. Ideo pro te supplicántibus exóra Dóminum, ut nos trahat ad glóriam supernórum cívium.

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur. Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 10. Martha autem satagébat circa frequens ministérium. Allelúia. ℣. Martha, cujus virtútibus tota fulget Ecclésia, tuis óbtine précibus beáta nobis gáudia. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore : Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam; et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit, et ait : Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? Dic ergo illi ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus : Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima. Porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Credo.

Offertorium. Eccli. 24. In habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea.

Secreta.

ADMITTE, pie et miséricors Deus, hóstias et preces quas in sancto altári tuo tibi devóte offérimus ob commemoratiónem sanctæ Vírginis tuæ Marthæ : ut sicut illa pura tibi mente servívit in terris; ita nos ejus intercessióne, post hujus ministérii decúrsum, felíciter vivámus in cœlis. Qui vivis.

Pro sanctis Martyribus.

Secreta.

HOSTIAS tibi, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis commemoratióne deférimus, supplíciter deprecántes, ut indulgéntiam nobis páriter cónferant et salútem. Per Dóminum.

Communio. Luc. 10. Intrávit Jesus in quoddam castéllum, et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, salútis ætérnæ mystériis, te supplíciter exorámus: ut intercedénte beáta et gloriósa Vírgine Martha, hóspita tua; illíus gaudiórum efficiámur partícipes, et ætérni præmii cohærédes. Qui vivis.

Pro sanctis Martyribus.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis cœléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI.

DIE IX.

IN FESTO SANCTI SERENI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Eccli. 48 et 49.

NATUS est homo, firmaméntum gentis, rector fratrum, stabiliméntum pópuli. Consolátus est lugéntes in Sion: et ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt. Psalm. 32. Exultáte justi in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Deus noster, qui beátum Serénum, Confessórem tuum atque Pontíficem, pastoráli sollicitúdine gloriósum effecísti, et miráculis decorásti: te súpplices exorámus; ut cujus hódie mérita recólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Vigiliæ S. Laurentii.

Oratio.

ADESTO, Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde.

Deinde S. Romani, Mart.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus: ut intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore; et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 1.

FRATRES: Glória nostra hæc est, testimónium consciéntiæ nostræ: quod in simplicitáte cordis et sinceritáte Dei, et non in sapiéntia carnáli, sed in grátia Dei conversáti sumus in hoc mundo; abundántius autem ad vos. Non enim ália scríbimus vobis, quam quæ legístis, et cognovístis. Spero autem quod usque in finem cognoscétis, sicut et cognovístis nos ex parte, quod glória vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi.

Graduale. Eccli. 48. Surréxit quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. ℣. Amplificátus est in mirabílibus suis, et mórtuum prophetávit corpus ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 49. Ossa ejus púllulent de loco suo: nam redemérunt se in fide virtútis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus

esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia qua nescítis hora Fílius, hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

In Ecclesia Cathedrali et propria dicitur Credo.

Offertorium. Psalm. 79. Réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam, et pérfice eam.

Secreta.

OBLATIONIBUS famíliæ tuæ, Dómine, in honórem sancti Seréni Pontíficis exhíbitis, propitiátus inténde: ut hæc piæ devotiónis obséquia et oves sanctíficent et pastóres. Per Dóminum.

Pro commem. Vigiliæ.

Secreta.

HOSTIAS, Dómine, quas tibi offérimus propítius súscipe: et intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo; víncula peccatórum nostrórum absólve.

Pro sancto Romano.

Secreta.

MUNERIBUS nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis: et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Communio. Hebr. 11. Fide plúrimam hóstiam óbtulit Deo, per quam testimónium consecútus est esse justus, et per illam defúnctus adhuc lóquitur.

Postcommunio.

DIVINIS, Dómine, munéribus satiáti: quæsumus, ut grátia tua cui gregem suum beátus Póntifex Serénus commendávit, præstet nos semper et in oratióne vigilántes; et ad omne opus bonum parátos. Per Dóminum.

Pro commem. Vigiliæ.

Postcommunio.

DA, quæsumus Dómine Deus noster: ut sicut beáti Lauréntii Mártyris tui commemoratióne, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu.

Pro sancto Romano.

Postcommunio.

QUÆSUMUS omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus; intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

In fine legitur Evangelium Vigiliæ.

DIE XVI.

IN FESTO SANCTI ROCHI,

CONFESSORIS.

Missa Justus, de Communi Conf. non Pont. secundo loco, cum Orat. sequenti.

Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis; ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. Assumptionis B. M. V., et Oct. S. Laurentii.

DIE XVIII.

IN FESTO S. HYACINTHI,

CONFESSORIS.

Ut in Missali, ad diem 16 hujus, cum commem. Oct. Assumptionis, et S. Agapiti, Mart.

DIE XIX.

IN FESTO S. LUDOVICI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa Sacerdótes, de Communi Conf. Pont. secundo loco, cum Oratione sequenti.

Oratio.

DEUS, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum atque Pontí-

ficem, cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta et exímia in páuperes charitáte mirábilem effícere dignátus es : concéde nobis fámulis tuis imitári quem cólimus; ut ejúsdem virtútes æmulántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. Assumptionis.

Secreta.

SACRIFICIA, Dómine, quæ in honórem sancti Ludovíci, Confessóris tui atque Pontíficis, tuæ offérimus majestáti, nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Postcommunio

IMMENSAM cleméntiam tuam, omnípotens Deus, supplíciter exorámus: ut intercedénte beáto Ludovíco, Confessóre tuo atque Pontífice; per hæc sancta quæ súmpsimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum.

DIE XXXI.

IN SOLEMNITATE

SANCTI LAZARI,

CHRISTI DISCIPULI,
PRIMI EPISCOPI MASSILIENSIS ET MARTYRIS,
URBIS ET DIŒCESIS PATRONI.

Introitus. Psalm. 77.

ELEGIT Dóminus servum suum, páscere hæreditátem suam; et pavit eos in innocéntia cordis sui, et in intelléctibus mánuum suárum dedúxit eos. Psalm. Id. Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Lázarum, Christi discípulum, quatriduánum mórtuum suscitátum, Pontifício et Martyrio decorásti: concéde nobis ejus méritis; a peccátis resúrgere, et vita ætérna gaudére. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 1.

FRATRES: Factus sum ego minister Ecclésiæ secúndum dispensatiónem Dei, quæ data est mihi in vos, ut ímpleam verbum Dei. Mystérium, quod abscónditum fuit a sæculis, et generatiónibus, nunc autem manifestátum est sanctis ejus, quibus vóluit Deus notas fácere divítias glóriæ sacraménti hujus in géntibus, quod est Christus, in vobis spes glóriæ, quem nos annuntiámus, corripiéntes omnem hóminem, et docéntes omnem hóminem in omni sapiéntia; ut exhibeámus omnem hóminem perféctum in Christo Jesu. In quo et labóro, certándo secúndum operatiónem ejus, quam operátur in me in virtúte.

Graduale. Psalm. 27. Dóminus adjútor meus, et protéctor meus: in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum. ℣. Et reflóruit caro mea: et ex voluntáte mea confitébor ei.

Allelúia, allelúia. ℣. Gáudeat terra nostra: diléxit Lázarum Dóminus in odórem suavitátis, diléxit et pópulum Massiliénsem, suscitándo amícum, ut nobis illum daret in Præsulem. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11.

IN illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ, soróris ejus. María ergo cum venísset ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit: Ubi posuístis eum? Dicunt ei: Dómine, veni, et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi: Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt: Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso,

venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca : et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus : Tóllite lápidem. Dicit ei Martha, soror ejus qui mórtuus fúerat : Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei ? Tulérunt ergo lápidem. Jesus autem , elevátis sursum óculis, dixit : Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis , sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi : ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset voce magna clamávit : Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus : Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum. Credo.

Offertorium. Psalm. 33. Veníte , fílii, audíte me : timórem Dómini docébo vos.

Secreta.

FIAT, quæsumus Dómine , Ecclésiæ tuæ oblátio accépta et sanctificáta in Spíritu sancto : et apud te séntiat intercessórem, quem in fide hábuit magístrum et doctórem. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Præfatio propria.

Communio. 2 Esdr. 9. Dedísti, Dómine, pátribus nostris judícia recta, et legem veritátis præcepísti eis in manu servi tui.

Postcommunio.

REFECTI participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster : ut intercedénte beáto Lázaro, Christi discípulo ; in fide quam ille nos dócuit, immóbiles efficiámur. Per eúmdem.

Infra Octavam sancti Lazari, Missa dicitur ut in die ; secunda Oratio de Beata, Concéde, tertia Ecclésiæ, vel pro Papa.

FESTA SEPTEMBRIS.

DOMINICA INFRA OCT. S. LAZARI.
IN FESTO
OMNIUM SS. EPISCOPORUM MASSILIENSIUM.

Introitus. Psalm. 77.

QUANTA mandávit Dóminus pátribus nostris, nota fácere ea fíliis suis, patres nostri narravérunt nobis ; fílii qui nascéntur , et exúrgent, narrábunt fíliis suis. Psalm. Id. Atténdite, pópule meus, legem meam : inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui in hac Ecclésia tua, post beátum Lázarum , fídei nostræ Apóstolum, per ejus successóres Pontífices, ejúsdem fídei sémina augéri et roborári voluísti : præsta, quæsumus ; ut quos in terris præceptóres habúimus, eósdem in cœlis Patrónos perpétuo sentiámus. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ occurrentis, et Octavæ S. Lazari.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 13.

FRATRES : Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie ; ipse et in sæcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis , quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem , qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in sancta per Pontíficem , horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus , ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.

Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolíte oblivísci : tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale. Jerem. 23. Congregábo relíquias gregis mei ; et suscitábo super eos pastóres, et pascent eos. ℣. Non formidábunt ultra, et non pavébunt ; et nullus quærétur ex número.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 46. Sit memória illórum in benedictióne, et pérmanens ad fílios illórum, sanctórum virórum glória. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore ? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum. Credo.

Offertorium. 1 Cor. 2. Nos non spíritum hujus mundi accépimus, sed Spíritum qui ex Deo est ; et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus.

Secreta.

Suscipe, quæsumus Dómine, hóstias placátus oblátas : nosque sanctórum Pontíficum nostrórum egrégia sectántes exémpla virtútum ; fidéles éffice tuórum dispensatóres mysteriórum. Per Dóminum.

Deinde de Dominica occurr., et de Octava S. Lazari.

Præfatio de SS. Episcopis, in qua dicitur : Qui nobis beátos pastóres.

Communio. Apoc. 20. Erunt sacerdótes Dei et Christi, et regnábunt cum illo.

Postcommunio.

Hujus virtúte sacraménti confírma, Dómine, fámulos tuos in fide veritátis : ut eam ubíque ore et ópere confiteántur : pro qua sancti Pontífices nostri laboráre non destitérunt, et mori vehementer desideravérunt. Per Dóminum.

Deinde de Dominica occurr. et de Octava S. Lazari, et legitur in fine Evangelium Dominicæ.

Si hoc Festum venerit in die Oct. S. Lazari, fit de eo cum com. Oct.

DIE I.

IN FESTO S. RAYMUNDI NONNATI, CONFESSORIS.

Ut in Missali, heri, cum commem. Oct. S. Lazari, S. Ægidii, Abbatis, et SS. XII Fratrum, Martyrum.

DIE II.

IN FESTO S. STEPHANI, HUNGARIÆ REGIS CONFESSORIS.

Ut in Missali, hac die, cum commem. Octavæ, et tertia Orat. de Beata, Concéde.

DIE V.

IN FESTO S. LAURENTII JUSTINIANI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Ut in Missali, hac die, cum commem. Octavæ, et tertia Orat. de Beata, Concéde.

DIE VII.

OCTAVA SANCTI LAZARI.

Missa ut in Festo.

DIE XXV.

IN FESTO

SS. DEFENDENTIS

ET SOCIORUM, MARTYRUM.

Missa, Sapiéntiam sanctórum, de Communi plurimorum Martyrum, secundo loco, cum Oratione sequenti.

Oratio.

OMNIPOTENS et clementíssime Deus, qui beátos Mártyres tuos Defendéntem et Sócios ejus, in confessióne veræ fídei fortes et invíctos virtúte tua effecísti: concéde nobis, fámulis tuis; ut quorum gloriámur triúmphis, eórum páriter protegámur auxíliis. Per Dóminum.

DIE XXVI.

IN FESTO S. YSARNI,

ABBATIS.

Missa, Os justi, de Communi Abbatum, cum commem. SS. Cypriani et Justinæ Martyrum.

FESTA OCTOBRIS.

DIE III.

IN FESTO S. CYPRIANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa. Státuit, de Comm. Conf. Pont., primo loco, cum Orat. seq.

Oratio.

CONCEDE, quæsumus omnípotens Deus: ut beáti Cypriáni, Confessóris tui atque Pontíficis, fídei constántiam subsequámur; qui pro glória nóminis tui, contra hostes Ecclésiæ tuæ decértans, corónam vitæ méruit obtinére. Per Dóminum.

DIE XI.

IN FESTO

SS. EUSEBIÆ ET SOCIARUM,

VIRGINUM ET MARTYRUM.

Introitus. Psalm. 44.

ADDUCENTUR regi vírgines post eam; afferéntur in lætítia et exultatióne; adducéntur in templum regis. Ps. Id. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Eusébiæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári: ut quas digna mente non póssumus celebráre; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.

FRATRES: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tanquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres; Tempus breve est: réliquum est ut et qui habent uxóres, tanquam non habéntes sint: et qui flent, tanquam non flentes: et qui gaudent, tanquam non gaudéntes: et qui emunt tanquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tanquam non utántur: prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Cant. 1. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. ℣. Post te currémus in odórem unguentórum tuórum: exultábimus et lætábimur in te.

Allelúia, allelúia. ℣. Apoc. 22. Vidébunt fáciem Dei et Agni, et nomen ejus in fróntibus eórum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

In illo témpore; Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Apoc. 14. Vírgines sunt; sequúntur Agnum quocúmque ierit: sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

Secreta.

Agni immaculáti sacrifícium majestáti tuæ offeréntes, te, Dómine, súpplices exorámus: ut ad cœléstes ejus núptias cum sanctis Virgínibus Eusébia et Sociábus ejus, quæ sponso sánguinem suum fudérunt, intráre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Zachar. 9. Quid enim bonum Dómini Dei est, et pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines?

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis: ut quod ore contíngimus; pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit et regnat.

DIE XV.

IN FESTO S. CANNATI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Psalm. 88.

Locutus es, Dómine, in visióne sanctis tuis, et dixísti: Pósui adjutórium in poténte, et exaltávi eléctum de plebe mea. Ps. Id. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui sanctum Cannátum de stirpe régia prodeúntem, divínitus Massiliénsis Ecclésiæ, dum in desérto pœniténtiam ágeret, Pontíficem esse voluísti: ejus méritis et intercessióne, nobis concédere dignéris cœléstium donórum ómnium fulciméntum. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5.

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tanquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut

Póntifex fíeret : sed qui locútus est ad eum : Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit : Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale. 1 Reg. 13. Quæsívit Dóminus virum juxta cor suum, et præcépit ei ut esset dux super pópulum suum. ℣. Act. 7. Fuit gratus Deo, et erat potens in verbis et in opéribus suis.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 64. Beátus quem elegísti et assumpsísti, Dómine ; inhabitábit in átriis tuis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam, accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum : et misérunt legatiónem post illum, dicéntes : Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est ut redíret accépto regno : et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens : Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi : Euge bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário : tímui enim te, quia homo austérus es : tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei : De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi : et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam ? Et astántibus dixit : Auférte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixérunt ei : Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur, et abundábit : ab eo autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

In Ecclesia Cathedrali et propria dicitur Credo.

Offertorium. Isaiæ 21. Super spéculam Dómini ego sum, stans júgiter per diem : et super custódiam meam ego sum, stans totis nóctibus.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Dómine, múnera propítius intuére : et intercedénte beáto Cannáto, quem ipsi pastórem pio favóre dedísti ; usque ad consummatiónem sæculi et mérito ipsa augeátur et número. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Communio. Psalm. 26. Circuívi et immolávi in tabernáculo Dómini hóstiam vociferatiónis : cantábo et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio.

Cœlestibus nos, Dómine, róbora sacraméntis : et beáti Cannáti, Confessóris tui atque Pontíficis, suffúltis patrocínio ; da nobis terréna despícere, et ad cœléstem pátriam toto desidério anheláre. Per Dóminum.

DIE XVI.

IN FESTO S. TERESIÆ, VIRGINIS.

Ut in Missali, heri.

DIE XXI.

IN FESTO S. MAURONTI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. Isaiæ 22.

Vocabo servum meum, et potestátem dabo in manu ejus ; et dabo clavem domus David super húmerum ejus :

et erit in sólium glóriæ dómui patris ejus. Psalm. 131. Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Mauróntum, Confessórem tuum atque Pontíficem, verbo et virtútibus mirábilem effecísti : concéde propítius ; ut cujus solémnia celebrámus, eúmdem apud tuam cleméntiam intercessórem sentiámus. Per Dóminum.

Et fit commem. S. Hilarionis, Abbatis.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet : ut quod nostris méritis non valémus ; ejus patrocínio assequámur.

Deinde SS. Ursulæ et Soc. Mart.

Oratio.

DA nobis, quæsumus Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus, palmas incessábili devotióne venerári : ut quas digna mente non póssumus celebráre ; humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philip. 3.

FRATRES : Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei : propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu : quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus : configurátus morti ejus : si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim : sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu. Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem, quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ sunt prióra exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravíum supérnæ vocatiónis Dei in Christo Jesu.

Graduale. 2 Mach. 5. Secésserat in desértum locum, íbique vitam cum suis agébat, ne partícipes essent coinquinatiónis. ℣. 1. Paral. 11. Congregátus est omnis Israel ad eum, dicens : Os tuum sumus, et caro tua : tibi enim dixit Dóminus : Tu pasces pópulum meum, et tu eris princeps super eum

Allelúia, allelúia. ℣. 2 Reg. 6. Ante Dóminum qui elégit me ut essem dux super pópulum, vílior fiam plus quam factus sum, et ero húmilis in óculis meis, et gloriósior apparébo. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti, quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

In Ecclesia Cathedrali et propria dicitur Credo.

Offertorium. Isaiæ 51. Aténdite ad patrem vestrum, qui sequímini quod justum est, et quæritis Dóminum, quia vocávi eum, et benedíxi ei.

Secreta.

IPSE tibi, Deus, sacrifícium nostrum ófferat Póntifex confessiónis no-

stræ Jesus : qui minístrum suum Mauróntum spíritu charitátis implévit ; ut pro grege sibi commísso leváret ad te puras manus, et seípsum tibi júgiter immoláret. Per eúmdem Dóminum.

Pro sancto Hilarione.

Secreta.

SACRIS altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilário Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat.

Pro sanctis Martyribus.

Secreta.

INTENDE, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósita : ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti ; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Præfatio propria.

Communio. 1. Mach. 14. Quæsívit bona genti suæ, et plácuit cunctis potéstas ejus, et glória ejus ómnibus diébus.

Postcommunio.

DEUS, qui eádem esca mirábili et oves nutris et pastóres : da ut óvium mansuetúdinem et docilitátem inde hauriámus ; unde beátus Póntifex Mauróntus pastóris hausit sollicitúdinem et charitátem. Per Dóminum.

Pro sancto Hilarione.

Postcommunio.

PROTEGAT nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Hilário Abbas pro nobis intercedéndo : ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia ; et intercessiónis percipiámus suffrágia.

Pro sanctis Martyribus.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis : ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE XXIV.

IN FESTO S. RAPHAELIS, ARCHANGELI.

Ut in fine Missalis.

DIE XXX.

IN FESTO TRANSLAT. S. AUGUSTINI, EPISCOPI, CONFESSORIS, ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

Missa, **In médio**, de Communi Doctorum (sine **Credo**), cum Oratione sequenti.

Oratio.

EXCITA, Dómine, in Ecclésia tua, spíritum sciéntiæ et pietátis, quo beátum Augustínum, Doctórem exímium, replére dignátus es : et concéde nobis fámulis tuis ; ut cujus Translatiónis festa celebrámus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et dicuntur pro infidelium conversione Collecta, Secreta et Postcommunio a S. R. C. approbatæ, pro Societate Propagationis fidei. (Ad calcem hujus.)

DOMINICA II. OCTOBRIS.

IN FESTO MATERNITATIS B. M. V.

Ut in fine Missalis, cum commem. Dominicæ occurrentis, cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA III. OCTOBRIS.

IN FESTO PURITATIS B. M. V.

Ut in fine Missalis, cum commem. Dominicæ occurr., cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA IV. OCTOBRIS.

IN FESTO PATROCINII B. M. V.

Ut in fine Missalis, cum commem. Dominicæ occurr., cujus legitur Evangelium in fine.

FESTA NOVEMBRIS.

DOM. INFRA OCT. OMNIUM SANCTORUM.

IN FESTO

OMNIUM SANCTORUM

ECCLESIÆ MASSILIENSIS.

Introitus. Psalm. 12.

ILLUMINA óculos meos, ne unquam obdórmiam in morte; nequándo dicat inimícus meus : Præválui advérsus eum. Psalm. 26. Dóminus illuminátio mea et salus mea : quem timébo ? ℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus omnípotens Deus, sanctórum tuórum méritis et intercessióne, conservatiónem fídei et augméntum : ut in hac vita tibi placeámus; et post mortem salútem ætérnam consequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10.

FRATRES : Ignorántes justítiam Dei, et suam quæréntes statúere, justítiæ Dei non sunt subjécti. Finis enim legis, Christus, ad justítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam justítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est justítia, sic dicit : Ne díxeris in corde tuo : Quis ascéndet in cœlum ? id est, Christum dedúcere ; aut, Quis descéndet in abyssum ? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra ? Prope est verbum in ore tuo, et in corde tuo : hoc est verbum fídei, quod prædicámus : Quia si confiteáris in ore tuo Dóminum Jesum, et in corde tuo credíderis, quod Deus illum suscitávit a mórtuis, salvus eris. Corde enim créditur ad justítiam : ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra : Omnis qui credit in illum, non confundétur.

Graduale. Psalm. 33. Accédite ad eum, et illuminámini : et fácies vestræ non confundéntur. ℣. Psalm. 96. Lux orta est justo : et rectis corde lætítia.

Allelúia, allelúia. ℣. Habac. 3. Ego autem in Dómino gaudébo, et exultábo in Deo Jesu meo. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 8.

IN illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Cum exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum, et a meípso fácio nihil, sed sicut dócuit me Pater, hæc loquor: et qui me misit, mecum est et non relíquit me solum : quia ego quæ plácita sunt ei fácio semper. Hæc illo loquénte, multi credidérunt in eum. Dicébat ergo Jesus ad eos, qui credidérunt ei, Judæos : Si vos manséritis in sermóne meo, vere discípuli mei éritis : et cognoscétis veritátem, et véritas liberábit vos. Credo.

Offertorium. Hebr. 11. Fide óbtulit Abraham Isaac, cum tentarétur, et unigénitum offerébat qui suscéperat repromissiónes.

Secreta.

SACRIFICIA cum fide obláta, Dómine, fidem nostram, patrocínio sanctórum tuórum, consérvent et áugeant. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Præfatio de omnibus Sanctis.

Communio. Matth. 9. Confíde, fília, fides tua te salvam fecit.

Postcommunio.

CŒLESTI pábulo refécti, præsta, quæsumus omnípotens Deus : ut intercessióne sanctórum, quorum solémnia celebrámus, bonis cœléstibus satiémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ, cujus legitur Evangelium in fine.

DOMINICA ULTIMA POST PENTECOSTEN.

IN FESTO

SACRARUM RELIQUIARUM

ECCLESIÆ MASSILIENSIS.

In fine Missalis, commem. et Evangel. Dominicæ in fine.

DE MISSIS VOTIVIS.

Qualibet Feria v non impedita Officio ix Lectionum etiam translato, extra tamen Adventum, Quadragesimam, Ferias privilegiatas, Vigilias et Octavas, dicitur Missa votiva de SS. Sacramento, ut ad calcem Missalis Romani, ritu Semiduplici, cum tribus Orationibus pro diversitate temporis cum **Glória**, sine Sequentia, sine **Credo.**

Item quolibet Sabbato, ut supra non impedito, sub iisdem limitationibus, Missa votiva de Immaculata Conceptione B. M. V., juxta nov. concessionem Pii IX, ritu Semid.

DE COMMEM. S. JOSEPH.

In singulis Festis B. M. V. intra annum occurrentibus, additur commem. sancti Joseph, per Collectam, Secretam et Postcommunionem in ejus Festo præscriptas. Ex Indult. Apost. 4. Aug. 1853.

PRÆFATIONES.

PRÆFATIONIS EXORDIUM.

Sacerdos Secretam concludens, clara voce dicit:

℣. Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

PRÆFATIO DE ADVENTU.

Quæ per Adventum dicitur in Dominicis, Feriis et Festis propriam non habentibus.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum. Quem pérdito hóminum géneri Salvatórem miséricors et fidélis promisísti, cujus véritas instrúeret ínscios, sánctitas justificáret ímpios, virtus adjuváret infírmos. Dum ergo prope est ut véniat quem missúrus es, et dies affúlget liberatiónis nostræ, in hac promissiónum tuárum fide piis gáudiis exultámus. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIO DE CŒNA DOMINI.

Quæ dicitur Feria V. in Cœna Domini.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum, Verum æternúmque Pontíficem, et solum sine peccáti mácula sacerdótem. Qui in novíssima Cœna formam sacrifícii perénnis instítuens, hóstiam se tibi primum óbtulit, et primus dócuit offérri. Cujus carne pro nobis immoláta dum páscimur, roborámur, et fuso sánguine dum potámur, ablúimur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIO DE SS. SACRAMENTO.

Quæ dicitur in Festo Corporis Christi et per ejus Octavam, et per annum in Missis votivis de SS. Sacramento.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum. Qui, remótis carnálium victimárum umbris, Corpus et Sánguinem suum nobis in sacrifícium commendávit, ut in omni loco offerátur nómini tuo, quæ tibi sola complácuit oblátio munda. In hoc ígitur inscrutábilis sapiéntiæ, et imménsæ charitátis mystério, idípsum quod semel in cruce perfécit, non cessat mirabíliter operári, ipse ófferens, ipse et oblátio. Et nos, unam secum hóstiam efféctos, ad sacrum invítat convívium, in quo ipse cibus noster súmitur, recólitur memória passiónis ejus, mens implétur grátia, et futúræ glóriæ nobis pignus datur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIO
DE SS. CORDE D. N. J. C.

Quæ dicitur in Festo SS. Cordis et per ejus Octavam, et per annum in Missis votivis de eo.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui omnes thesáuros sapiéntiæ et sciéntiæ posuísti in Corde Sacratíssimo Fílii tui, ut de cœléstis hujus fontis plenitúdine omnes acciperémus, et divínis ipsíus ardóribus communicántes, secúndum cor tuum inveníri mereámur. Nunc ergo, Pater sancte, réspice in cor dilectíssimi Fílii tui, et sacris quibus ardet ígnibus ita corda nostra combúras, ut nihil nobis sápiat, nihil nos deléctet, nihil nos allíciat, præter ipsum Dóminum nostrum Jesum Christum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli cœlorúmque Virtútes ac beáta Séraphim sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRÆFATIO
DE OMNIBUS SANCTIS.

Quæ dicitur in Festo Omnium Sanctorum, et per eorum Octavam.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui glorificáris in concílio sanctórum, et eórum coronándo mérita, corónas dona tua. Qui nobis præbes in eórum conversatióne exémplum, communióne consórtium, et intercessióne subsídium; ut per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, et cum eis percipiámus immarcescíbilem glóriæ corónam. Per Jesum Christum Dóminum nostrum, cujus sánguine ministrátur nobis intróitus in ætérnum regnum. Per quem majestátem tuam treméntes adórant Angeli, et omnes Spiríituum cœléstium chori sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRÆFATIO DE DEDICATIONE.

Quæ dicitur in Dedicationibus Ecclesiarum, et per earum Octav.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui hanc oratiónis domum quam ædificávimus, bonórum ómnium largítor inhábitas, et Ecclésiam quam ipse fundásti, incessábili operatióne sanctíficas. Hæc est enim vere domus oratiónis, visibílibus ædifíciis adumbráta, templum habitatiónis glóriæ tuæ, sedes incommutábilis veritátis, sanctuárium ætérnæ charitátis. Hæc est arca quæ nos, a mundi eréptos dilúvio, in portum salútis indúcit. Hæc est dilécta et única sponsa, quam acquisívit Christus sánguine suo, quam vivíficat spíritu suo; cujus in sinu renáti per grátiam tuam, lacte verbi páscimur, pane vitæ roborámur, misericórdiæ tuæ subsídiis confovémur. Hæc fidéliter in terris, sponso adjuvánte, mílitat, et perénniter in cœlis, ipso coronánte, triúmphat. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIO DE S. JOSEPH.

Quæ dicitur in utroque ejus Fest., et per Octavam Patrocinii.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui beátum Joseph secúndum cor tuum in-

venísti, eúmque Unigénito tuo nutrítium, Vírgini matri solátium, solúmque magni consílii coadjutórem fidelíssimum constituísti. Ille vir justus atque perféctus, solus mystérii cónscius quod nemo príncipum hujus sæculi agnóvit, Fílium tuum non solum vidére et audíre, sed étiam portáre, deosculári, sibíque súbditum habére méruit, Dóminum nostrum Jesum Christum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli cœlorúmque Virtútes ac beáta Séraphim sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRÆFATIO DE S. LAZARO.

Quæ dicitur in ejus Festis, per Octavam Solemnitatis, et in Missis votivis de eo.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui beátum Lázarum per Unigénitum tuum e sepúlchri fáucibus eripuísti, eúmque míttere dignátus es, ut nos in ténebris et in umbra mortis sedéntes in admirábile lumen tuum benígnus vocáres. Ille viam salútis a Christo edóctus, gregem suum doctrína veritátis páscere non déstitit, et sanctæ conversatiónis informáre exémplo. Ille Dómini sui amóre pércitus, quam dénuo accéperat vitam, pro ejúsdem sanctíssimi nóminis glória pio repéndit certámine. Nos ígitur, effúso pastóris nostri sánguine læta seges exórta, ipsíus memóriam celebrántes, cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIO DE SS. EPISCOPIS.

Quæ dicitur in Festo SS. Theodori, Sereni, Cannati et Mauronti, et in Festo omnium SS. Episcoporum Massiliensium.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui nobis beátum N.... pastórem juxta cor tuum suscitáre dignátus es, ut ejus labóre et sudóribus verbum fídei, quod in nobis seminávit sanctus Lázarus, incorrúptum serváres. Nunc ergo, Pater sancte, confírma hoc quod operátus es in nobis, et gregem tuum quem Fílio tuo donásti, consérva tuæ virtútis auxílio. Ut sanctificátum in veritáte, perféctum in unitáte, constitúere dignéris in glória. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam treméntes adórant Angeli, et omnes Spiríttuum cœléstium chori sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas deprecámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRÆFATIO DE PATRONO.

Quæ dicitur in Ecclesiis propriis, in Festo ac per Octavam Patronorum principalium.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus. Qui dum fragilitátem nostram miserátus agnóscis, fidéles tuos sanctórum patrocíniis ádjuvas, ipsórum exémpliis fídei simul adminícula tribuens et increménta virtútum. Ut quos Patrónos vocámus in terris, eósdem habeámus tutóres in via, ductóres ad regnum, et nobíscum in glória cohærédes Jesu Christi Dómini nostri. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cœli cœlorúmque Virtútes ac beáta Séraphim sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítti júbeas de-

precámur, súpplici confessióne dicéntes.

PRÆFATIO PRO DEFUNCTIS.

Quæ dicitur in omnibus Missis Defunctorum.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum. In quo nobis spem beátæ resurrectiónis concessísti, ut dum natúram contrístat certa moriéndi condítio, fidem consolétur futúræ immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur, et dissolúta terréstris hujus habitatiónis domo, ætérna in cœlis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cœléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes.

PRÆFATIONES CUM CANTU.

PRÆFATIONIS EXORDIUM

Sacerdos Secretam concludens, cantat :



Et idem est cujuslibet Præfationis exordium.

PRÆFATIO DE ADVENTU.

Quæ per Adventum dicitur in Dominicis, Feriis et Festis propriam non habentibus.




sericors et fide lis promi- si-
sti, cujus ve-ri-tas instrue-ret
in-sci-os, sancti-tas justi-fi-
ca-ret impi-os, vir-tus adju-
va-ret in-firmos. Dum ergo
prope est ut veni-at quem
mis-su-rus es, et di-es afful-
get libera-ti-o-nis nostræ in
hac promis-si-onum tu-arum fi-
de pi-is gau-di-is ex-ul-ta-
mus. Et i-de-o cum Ange-
lis et Archan-gelis, cum Thro-
nis et Do-mina-ti-o-nibus,
cumque omni mi-li-ti-a cœ-
le-stis ex-er-citus, hymnum
glo-ri-æ tu-æ ca-nimus, si-
ne fi-ne di-cen-tes.

PRÆFATIO DE CŒNA DOMINI.

Quæ dicitur Feria quinta in Cœna Domini.

VERE dignum et justum
est, æquum et sa-lu-ta-re, nos ti-
bi semper et ubique gra-ti-
as a-gere, Domine sancte,
Pater omnipotens, æterne
De-us, per Christum Dominum





PRÆFATIO

DE SS. SACRAMENTO.

Quæ dicitur in Festo Corporis Christi et per ejus Octavam.



Pater omnipo-tens, æterne De-
us, per Christum Dominum no-
strum. Qui remotis carna-li-um
vi-ctimarum umbris, Cor-pus
et Sanguinem suum nobis in
sa-cri-fi-ci-um commendavit, ut
in omni loco offe-ra-tur no-
mi-ni tu-o, quæ tibi sola com-
placu-it obla-ti-o munda. In
hoc i-gi-tur inscruta-bi-lis sapi-
en-ti-æ, et immensæ chari-
ta-tis myste-ri-o, idipsum quod
semel in cruce perfecit, non
cessat mirabi-li-ter o-pe-ra-ri,
ipse offerens, ip-se et o-bla-
ti-o. Et nos, unam secum ho-
sti-am effectos, ad sacrum in-
vitat convi-vi-um, in quo ip-
se cibus noster su-mitur, re-
co-litur memo-ri-a passi-o-nis
e-jus, mens imple-tur gra-ti-
a, et fu-turæ glo-ri-æ nobis
pignus datur. Et i-de-o cum
Ange-lis et Archange-lis, cum

Thronis et Domina-ti - o - nibus,

cumque omni mi-li-ti-a cœ-le-

stis ex-er-ci-tus, hymnum glori-

æ tu-æ ca-nimus, si-ne fi-

ne dicentes.

PRÆFATIO

DE SS. CORDE D. N. J. C.

Quæ dicitur in Festo SS. Cordis et per ejus Octavam.

VERE dignum et justum

est, æ-quum et sa-lu-ta-re, nos ti-

bi semper et ubique gra-ti-as

a-ge-re Do-mine sancte, Pa-

ter omnipo-tens, æ-ter-ne De-

us. Qui omnes thesauros sa-

pi-en-ti-æ et sci-en-ti-æ posu-

i-sti in Corde Sacra-tis-simo

Fi-li-i tu-i, ut de cœle-stis

hujus fontis plenitudine omnes

acci-pe-remus, et divinis ip-si-

us ardo-ri-bus commu-ni-can-

tes, secundum cor tu-um in-ve-

ni-ri me-re-a-mur. Nunc er-go,

Pater sancte, re-spice in Cor

di-lectis-si-mi Fi-li-i tu-i,

et sa-cris quibus ardet i-gni-






PRÆFATIO

DE OMNIBUS SANCTIS.

Quæ dicitur in Festo Omnium Sanctorum, et per eorum Octavam.









PRÆFATIO DE DEDICATIONE.

Quæ dicitur in Dedicationibus Ecclesiarum, et per earum Octavam.





bi semper et ubique gra-ti-as
a-gere, Domine sancte, Pater
omnipotens, æter-ne De-us.
Qui hanc o-ra-ti-o-nis domum
quam ædi-ficavimus, bonorum om-
ni-um largi-tor in-ha-bi-tas, et
Ec-cle-si-am quam ipse funda-
sti incessa-bi-li ope-ra-ti-o-
ne sancti-fi-cas. Hæc est enim
vere domus o-ra-ti-onis, vi-sibi-
libus ædi-fi-ci-is adumbra-ta,
templum habi-ta-ti-onis glo-ri-
æ tu-æ, sedes incommu-ta-
bi-lis ve-ri-ta-tis, sanctu-a-ri-
um æ-ter-næ cha-ri-ta-tis. Hæc
est arca quæ nos, a mun-di
ereptos di-lu-vi-o, in por-tum
sa-lu-tis indu-cit. Hæc est di-
lecta et u-ni-ca sponsa, quam
acqui-sivit Christus sangui-ne
su-o, quam vivi-ficat Spi-ri-tu
su-o; cujus in sinu rena-ti
per gra-ti-am tu-am, la-cte
ver-bi pascimur, pane vi-tæ



PRÆFATIO DE S. JOSEPH.

Quæ dicitur in utroque ejus Festo, et per Octavam Patrocinii.



ad-ju-torem fi-de-lis-simum con-

sti-tu-i-sti. Il-le vir justus

atque per-fe-ctus, solus myste-

ri-i consci-us quod nemo prin-

cipum hujus sæcu-li a-gno-vit,

Fi-li-um tu-um non solum vi-

dere et au-di-re, sed e-ti-am

porta-re, de-o-scu-la-ri, si-bique

subdi-tum habe-re meru-it, Do-

minum nostrum Jesum Christum.

Per quem majesta-tem tuam

laudant Ange-li, adorant Do-

mi-na-ti-o-nes, tremunt Pote-

states. Cœli cœlorumque Vir-

tutes ac be-a-ta Se-raphim,

so-ci-a ex-ul-ta-ti-o-ne con-

ce-lebrant. Cum quibus et no-

stras voces ut ad-mit-ti jube-

as de-pre-camur, suppli-ci con-

fes-si-o-ne di-cen-tes.

PRÆFATIO DE S. LAZARO.

Quæ dicitur in ejus Festis et per Octavam Solemnitatis.

V ERE dignum et justum

est, æquum et sa-lu-ta-re, nos ti-


bi semper et u-bique grati-as
a-ge-re, Domine sancte, Pater
omnipotens, æ-ter-ne De-us.
Qui be-a-tum Lazarum per U-
ni-ge-ni-tum tuum e sepulchri
faucibus e-ri-pu-i-sti, eumque
mitte-re di-gna-tus es, ut nos in
tenebris et in umbra mortis
se-dentes, in admira-bi-le lu-
men tuum be-ni-gnus vo-cares.
Il-le vi-am sa-lu-tis a Christo
e-doctus, gregem su-um do-
ctrina veri-ta-tis pasce-re non de-
sti-tit, et sanctæ conversa-ti-o-
nis in-forma-re ex-em-plo.
Il-le Domi-ni su-i amo-re per-
citus, quam denu-o ac-cepe-rat
vi-tam, pro e-jusdem sanctissi-
mi nomi-nis glori-a pi-o repen-
dit cer-ta-mine. Nos i-gi-tur,
effu-so pastoris nostri san-gui-
ne læ-ta seges ex-or-ta, ip-si-us
memori-am ce-le-brantes, cum
Ange-lis et Archangelis, cum

Thronis et Domina-ti - o - nibus,

cumque omni mi-li-ti-a cœ-le-

stis ex - erci-tus, hymnum glori-

æ tu-æ ca-nimus, si - ne fi-

ne di-centes.

PRÆFATIO DE SS. EPISCOPIS.

Quæ dicitur in Festo SS. Theodori, Sereni, Cannati et Mauronti, et in Festo omnium SS. Episcoporum Massiliensium.

V ERE dignum et justum

est, æquum et salu - ta-re, nos ti-

bi semper et u-bi-que gra-ti-

as a - ge-re, Domine sancte,

Pater omnipotens, æ-ter-ne De-

us. Qui nobis be-a-tum * * * *

pastorem juxta cor tu-um su-

scita-re di-gna-tus es, ut e-jus

labore et su-do-ri-bus verbum

fi-de-i, quod in nobis semina-

vit sanctus Lazarus, in-cor-ru-

ptum ser-va-res. Nunc ergo, Pa-


ter sancte, confirma hoc quod

o-pe-ratus es in no-bis, et gre-

gem tu-um quem Fi-li-o tu-o

do-na-sti, conser-va tu-æ virtu-

tis au-xi-li-o. Ut sancti-fica-



PRÆFATIO DE PATRONO.

Quæ dicitur, in Ecclesiis propriis tantum, in Festo ac per Octavam Patronorum principalium.









PRÆFATIO PRO DEFUNCTIS.

Quæ dicitur in omnibus Missis Defunctorum.




℟. Dignum et justum est. Vere
dignum et justum est, æquum
et salu-tare, nos ti-bi semper
et u-bique gra-ti-as a-ge-re,
Domine sancte Pater om-ni-po-
tens, æ-ter-ne Deus, per Chri-
stum Dominum nostrum. In quo
nobis spem be-a-tæ resurrecti-
onis conces-sisti, ut dum na-
turam con-tristat certa mori-
en-di condi-ti-o, fidem conso-
letur futuræ immorta-li-tatis
promis-si-o. Tu-is enim fide-
libus, Domine, vita mutatur,
non tol-li-tur, et dissolu-ta ter-
restris hujus ha-bi-ta-ti-o-nis
domo, æ-terna in cœ-lis habi-
ta-ti-o compara-tur. Et i-de-
o cum Ange-lis et Archange-
lis, cum Thronis et Domi-na-ti-
onibus, cumque omni mi-li-ti-
a cœlestis exer-ci-tus, hymnum
glori-æ tu-æ canimus, sine fi-
ne dicentes.

MISSA DICENDA

OCCASIONE XL HORARUM

SCILICET FERIA V. POST SEXAGES.

DOM. QUINQUAGES. ET FERIIS II, ET III. SEQUENTIBUS.

Introitus. 2. Paral. 30.

FILII Israel, fratres vestri recessérunt a Dómino, ut ipsi cérnitis: veníte ad sanctuárium ejus: servíte Dómino Deo patrum vestrórum, et fratres vestri habébunt misericórdiam et reverténtur: pius enim et clemens est Dóminus, et non avértet fáciem suam a vobis. Psalm. 73. Ut quid, Deus, repulísti in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, da nobis voluntátem tuam et fidéli mente retinére, et pia conversatióne exprímere: ut Ecclésia tua a profánis vanitátibus expiáta; non áliud profiteátur verbis, áliud exérceat actióne. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isaiæ 65.

HÆC dicit Dóminus: Quómodo si inveniátur granum in botro, et dicátur: Ne díssipes illud, quóniam benedíctio est: sic fáciam propter servos meos, ut non dispérdam totum. Et edúcam de Jacob semen, et de Juda possidéntem montes meos: et hæreditábunt eam elécti mei, et servi mei habitábunt ibi. Et erunt campéstria in caulas gregum, et vallis Achor in cubíle armentórum pópulo meo qui requisiérunt me. Et vos, qui dereliquístis Dóminum, qui oblíti estis montem sanctum meum, qui pónitis Fortúnæ mensam, et libátis super eam; numerábo vos in gládio, et omnes in cæde corruétis: pro eo quod vocávi, et non respondístis: locútus sum, et non audístis: et faciebátis malum in óculis meis, et quæ nólui, elegístis. Propter hoc hæc dicit Dóminus Deus: Ecce servi mei cómedent et vos esuriétis: ecce servi mei bibent et vos sitiétis: ecce servi mei lætabúntur, et vos confundémini: ecce servi mei laudábunt præ exultatióne cordis, et vos clamábitis præ dolóre cordis, et præ contritióne spíritus ululábitis.

Graduale. Psalm. 67. Péreant peccatóres a fácie Dei; et justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei; et delecténtur in lætítia. ℣. Judæ 15. 23. Impie egérunt peccatóres, secúndum desidéria sua ambulántes; vos autem charíssimi, in Spíritu sancto orántes, illos salváte, de igne rapiéntes.

Tractus. Psalm. 77. Detecérunt in vanitáte dies eórum, et anni eórum cum festinatióne. ℣. Dilexérunt eum in ore suo, et lingua sua mentíti sunt ei: cor autem eórum non erat rectum cum eo, nec fidéles hábiti sunt in testaménto ejus. ℣. Ipse autem est miséricors, et propítius fiet peccátis eórum: et non dispérdet eos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 22.

IN illo témpore: Respóndens Jesus, dixit íterum in parábolis princípibus sacerdótum et pharisæis, dicens: Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio

suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias et nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens : Dícite invitátis : Ecce prándium meum parávi, tauri mei, et altília occísa sunt, et ómnia paráta : veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt, et abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatiónem suam : réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis affêctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est : et missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis : Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérunt, malos et bonos : et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem Rex, ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi : Amíce, quómodo huc intrásti, non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris : Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres : ibi erit fletus, et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti. Credo.

Offertorium. 2. Mach. 1. Dómine Deus, ómnium creátor, terríbilis et fortis, justus et miséricors : áccipe sacrifícium pro univérso pópulo tuo Israel, et custódi partem tuam, et sanctífica. Cóngrega dispersiónem nostram, líbera eos qui sérviunt géntibus, et contémptos et abominátos réspice.

Secreta

HOSTIAS pópuli tui, Dómine, propítius réspice : et præsta; ut a diabólicis, quibus renuntiávit, láqueis constánter ábstinens, toto tibi corde prostrátus, misericórdiæ tuæ donis multiplicétur et crescat. Per Dóminum.

Communio Luc. 23. Pater, dimítte illis, non enim sciunt quid fáciunt.

Postcommunio.

DOMINE Jesu Christe, qui pro inimícis tuis véniam implorásti : per hæc Córporis et Sánguinis tui sacraménta quæ súmpsimus, concéde; ut qui mundi vanitátibus errant decépti, amóris tui mémores, ad te rédeant convérsi. Qui vivis.

ORATIONES
PRO PROPAGATIONE FIDEI,
a S. R. C. approbatæ 9 Aug 1839.
Quæ apud nos recitantur in Translatione S. Augustini, die 30 Octobris.

Oratio.

DEUS, qui omnes hómines vis salvos fíeri, et in agnitiónem veritátis veníre : mitte, quæsumus, operários in messem tuam, et da eis cum omni fidúcia loqui verbum tuum; ut sermo tuus currat et clarificétur, et omnes gentes cognóscant te solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum. Qui tecum vivit et regnat.

Secreta.

PROTECTOR noster áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus : et fac ut ab ortu solis usque ad occásum magnificétur nomen tuum in géntibus; ac in omni loco sacrificétur et offerátur nómini tuo oblátio munda. Per eúmdem.

Postcommunio.

REDEMPTIONIS nostræ múnere vegetáti, quæsumus Dómine : ut hoc perpétuæ salútis auxílio, fides semper vera profíciat. Per Dóminum nostrum.

COMMUNIO PRECUM
CUM VENER. CAPITULO VERCELLENSI,
In Cathedrali tantum facienda post Missam in Festo sancti Eusebii.

Ant. In omni témpore, sine intermissióne, diébus solémnibus, et cæteris

quibus opórtet, mémores sumus vestri in sacrifíciis quæ offérimus, et in observatiónibus, sicut fas est et decet meminísse fratrum.

℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. ℟. Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem.

Oratio.

De uno pane et de uno cálice participántibus, da nobis, Dómine, hujus virtúte sacraménti, cor unum et ánimam unam: ut semper quod bonum est sectántes in ínvicem; in charitáte perpétua indeficiéntes perseverémus. Per Dóminum.

MASSILIEN.

Præsens exemplar Missarum uti correctum et emendatum prostat, a Sanctissimo Domino Nostro Pio IX, Pontifice Maximo, adprobatum fuisse testor, atque concessum universo clero Cathedralis atque integræ Diœcesis Massiliensis. In fidem, etc.

Romæ ex Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum, die 9 Junii 1853.

Loco ✠ Sigilli. Dom. Gigli, S. R. C., Pro-Secretarius.

LICENTIA.

Nos, Carolus Josephus Eugenius DE MAZENOD, Episcopus Massiliensis, postquam cognovimus per revisorem a nobis deputatum, editionem Missarum propriarum nostræ Diœcesis, cum Originali a S. R. C. recognito concordare, eam approbamus et evulgari mandamus.

Massiliæ, die 10 Aprilis 1856.

✠ C. J. EUGENIUS, Episcopus Massiliensis

Mechliniæ, H. Dessain.— MDCCCLXXII.

MISSÆ PROPRIÆ

CONGREGATIONIS CASINENSIS

A PRIMÆVA OBSERVANTIA.

DIE XVII. DECEMBRIS.

S. WIVINÆ VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg.

DIE XIX. DECEMBRIS.

B. URBANI V. PAPÆ ET CONF.

Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm.

Oratio.

Deus, qui ad tuénda fórtiter Sedis Apostólicæ jura fidémque cathólicam late propagándam béatum Urbánum Confessórem tuum atque Pontíficem constántia roborásti; fac nos ipsíus præsídiis adjútos ita militánti Ecclésiæ servíre, ut triumphánti consociári mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Réspice, Dómine, múnera quæ in beáti Urbáni Confessóris tui et Pontíficis commemoratióne deférimus, ut ejúsdem méritis et medélam nobis operéntur et glóriam. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Sacraménta, quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, illam nobis fidem innútriant; quam et Apostólica dócuit prædicátio, et beáti Urbáni Confessóris tui atque Pontíficis sollicitúdo custodívit. Per Dóminum.

DIE XV. JANUARII.

S. MAURI ABBATIS.

Missa, **Os justi,** ut in Missali.

Secreta.

Divínum munus in tanta solemnitáte tractántes, quæsumus, Dómine, ut ille nos ardor inflámmet, quo sacris altáribus desérviens beátus Maurus Abbas majestátis tuæ grátiam proméruit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Renovet in nobis, quæsumus, Dómine, observántiæ sanctæ propósitum sacri percéptio mystérii; ut qui fílii Sanctórum sumus, exémplo et intercessióne beáti Mauri Abbátis, eórum vestígia subsequámur. Per Dóminum.

¶ In aliquibus locis die. seq. Missa.

Introitus. ***Psalm.* 76.**

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis, et vestígia tua non cognoscéntur : deduxísti sicut oves pópulum tuum. Psalm. **Vidérunt tea quæ, Deus, vidérunt te aquæ : et timuérunt et turbátæ sunt abyssi. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beátum Maurum Abbátem ad imitándum obediéntiæ exémplum sicco pede supera quas ambuláre fecísti : concéde; ut et virtútum ipsíus implére documénta et præmiórum obtinére consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usquein novíssimis inquíram in eam. Et efflóruit tamquam præcox uva: lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávit módice aurem meam,

et excépi illam. Multam invéni in me ipso sapiéntiam, et multum proféci in ea. Danti mihi sapiéntiam dabo glóriam. Consiliátus sum enim, ut fácerem illam; zelátus sum bonum et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmátus sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio ; propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam ; proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum. Appropiáte ad me indócti, et congregáte vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? Et quid dícitis in his? Animæ vestræ sítiunt vehementer. Apérui os meum et locútus sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam; in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem. Assúmite disciplínam in multo número argénti, et copiósum aurum possidéte in ea. Lætétur ánima vestra in misericórdia ejus, et non confundémini in laude ipsíus. Operámini opus vestrum ante tempus, et dabit vobis mercédem vestram in témpore suo.

Graduale. Is. 43. Ab Oriénte addúcam semen tuum, et ab Occidénte congregábo te. ℣. Cum transíeris per aquam tecum ero; et flúmina non opérient te. Allelúia, allelúia. ℣. Proverb. 21. Vir obédiens loquétur victórias, et in domo ejus divítiæ et glória.

Post Septuag. omissis Allelúia, et ℣. seq. dicitur: Tractus. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus ; generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia.

Miraculorum patrátor, Benedícti imitátor, Maurus lumen Gálliæ.

More solis oriéntis fert in plagas occidéntis lucem sanctæ Régulæ.

Undas olim velut Petrus, jubénte Patre, secúrus pédibus calcáverat.

Flúctibus periclitántem Plácidum et naufragántem salúti reddíderat.

Talem pater monachórum mittit ad regna Francórum præceptórem géntibus.

Hinc via oriéntis Benedícti ascendéntis fulget in cœléstibus.

Quantos greges cóngregat Dómino! ipsos reges regit consílio, et juvat Pontífices.

Vitæ formam et virtútis docet et vias salútis : mentes firmat légibus.

Reddit lumen cæcutiéntibus; sanitátem dat moriéntibus; longe fugat dæmones.

Audit vocem creatúra imperántis; et natúra Mauri paret nútibus.

Pie Pater, rector morum, Apóstole monachórum, duc nos per colles Sanctórum ad cœlórum præmia.

Fac nos mundi contemptóres, inférni triumphatóres, Dei veros amatóres, ejusdémque possessóres per ætérna sæcula. Amen.

Extra Septuag. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 14.

In illo témpore: Respóndens Petrus, dixit : Dómine, si tu es, jube me ad te veníre super aquas. At ipse ait : Veni. Et descéndens Petrus de navícula ambulábat super aquam, ut veníret ad Jesum. Videns vero ventum válidum, tímuit; et cum cœpísset mergi, clamávit, dicens: Dómine, salvum me fac. Et contínuo Jesus exténdens manum, apprehéndit eum, et ait illi : Módicæ fídei, quare dubitásti? Et cum ascendíssent in navículam, cessávit ventus. Qui autem in navícula erant, venérunt et

adoravérent eum, dicéntes; Vere Filius Dei es. Credo.

Offertorium. Is. 38. **Ædificabúntur in te desérta sæculórum : fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis, avértens sémitas in réquiem. Et cibábo te hæreditáte Patris tui.**

Secreta.

Ascendat ad te, Dómine, sacrifícii nostri oblátio cum odóre suavitátis: et interveniénte pro nobis beáti Mauri Abbátis suffrágio descéndat super nos tuæ propitiátio potestátis. Per Dñum.

Communio. Jo. 15. **Ego elégi vos et pósui vos, ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat; ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.**

Postcommunio.

Pro accéptis salútis nostræ pignóribus et subsídiis grátias referéntes, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster ; ut cœléstem benedictiónem, quam nobis ex beáti Mauri Abbátis patrocínio contulísti, perseverántem ex ejus imitatióne tríbuas consummári. Per Dóminum.

DIE XVI. JANUARII.

S. FURSÆI ABBATIS.

Missa, **Os justi,** de Comm. Abb.

DIE III. FEBRUARII.

S. ANSCHARII EP. CONF.

Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus qui beátum Anschárium Pontíficem ad prædicándum géntibus glóriam tuam míttere dignátus es, ut filiórum Dei adoptiónem recíperent : da nobis, quæsumus, ejus intercedéntibus méritis, perseverántem in tua voluntáte famulátum ; ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Blasii Ep. Mart. ut in Missali. Evangelium, **Eúntes in mundum univérsum,** ut in festo SS. Cyriaci et Soc. Mart. die 8. Augusti.

Secreta.

Exercentes, Dómine, gloriósa commércia, offérimus quæ dedísti, ut te ipsum mereámur accípere : súpplices te rogámus ; ut quamvis offensiónes nostræ impédiant, beáto Anschário Confessóre tuo atque Pontífice pro nobis intercedénte, munus nostrum tibi non sit ingrátum. Qui vivis.

Postcommunio.

Repleti, Dómine, munéribus sacris, quæ de festivitáte beáti Pontíficis et Confessóris tui Anschárii læti percépimus, te súpplices deprecámur ; ut ipso pro nobis exoránte, fides apud nos roborétur, cujus apud gentes propagátor éxtitit gloriósus. Per Dóminum.

DIE VI. FEBRUARII.

S. AMANDI EP. CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm.

Oratio.

Deus, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum plúrimas gentes Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti : concéde propítius ; ut quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dnũm.

DIE X. FEBRUARII.

S. SCHOLASTICÆ VIRGINIS.

Introitus. ***Cant.* 2.**

Surge própera, amíca mea, colúmba mea et veni ; jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Psalm. 54. **Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ ? et volábo et requiéscam. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui ánimam beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ ad ostendéndam innocéntiæ viam in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti : da nobis ejus méritis et précibus ita innocénter

vívere ; ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dnũm.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris, et deósculer te, et jam me nemo despíciat ? Apprehéndam te, et ducam in domum matris meæ; ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit.

Graduale. Cant. 4. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Allelúia, allelúia. ℣. Cant. 2. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília, donec aspíret dies et inclinéntur umbræ.

Post Septuag. omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Cant. 3. Invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam. ℣. Cant. 1. Oleum effúsum nomen tuum ; ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. ℣. Trahe me post te, currémus in odórem unguentórum tuórum. ℣. Exultábimus et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum : recti díligunt te.

Sequentia.

Emicat merídies, et beáta réquies Vírgini Scholásticæ.

Intrat in cubícula, Sponsi quærit óscula, quem amávit únice.

Quantis cum gemítibus cordis et ardóribus hæc Diléctum quæsiit.

Movit cœlos lácrymis, imbribúsque plúrimis pectus fratris mólliit.

O grata collóquia, cum cœlórum gáudia Benedíctus éxplicat !

Ardent desidéria, mentis et suspíria Virgo sponsus éxcitat.

Veni formosíssima, sponsa dilectíssima, veni coronáberis.

Dórmies in líliis, áffiues delíciis et inebriáberis.

O colúmba vírginum, quæ de ripis flúminum adis aulam glóriæ.

Trahe nos odóribus, pasce et ubéribus immortális grátiæ. Amen.

Extra Septuag. Allelúia.

Evang. Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, de Comm. Credo.

Offertorium. Ps. 17. Intónuit Dóminus de cœlo, et Altíssimus dedit vocem suam ; grando et carbónes ignis : fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos, et apparuérunt fontes aquárum. Allelúia.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, desidéria supplicántium cum oblatiónibus hostiárum ; ut interveniénte beáta Scholástica Vírgine tua, quæ te sincéro diléxit amóre, fides in nobis et cáritas augeátur. Per Dóminum.

Communio. Joann. 15. Si mansériti in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Postcommunio.

Familiam tuam, quæsumus Dómine, spirituáli cibo satiátam beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ méritis propítius réspice : ut sicut ipsíus précibus ad obtinéndum, quod optábat, imbrem cœlitus descéndere fecísti ; ita ejus supplicatiónibus ariditátem cordis nostri supérnæ dignéris grátiæ rore perfúndere. Per Dóminum.

DIE XI. FEBRUARII.

S. BENEDICTI ANIANENSIS ABB.

Missa, Os justi, de Comm. Abb.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Benedícti Abbátis doctrína et exémplo erudíri voluísti ; concéde propítius ; ut quod te donánte promísimus, ejúsdem patrocínio fidéliter adimplére valeámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

Secreta.

Familiæ tuæ Dómine, de beáti Benedícti Abbátis triúmpho exsultántis múnera placátus assúme : quæ et miséricors offerénda tribuísti et in nostræ salútis poténter éfficis transíre mystérium. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

Postcommunio.

De beáti Benedícti Abbátis festivitáte lætántes, fac nos, Dómine, grátia sacri múneris ita repléri, ut quæ oris gustu dulci veneratióne contíngimus, dulcióra mente sentiámus. Per Dñm.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

DIE XII. FEBRUARII.

S. ODILONIS ABBATIS.

Missa, **Os justi,** de Comm. Abb.

Oratio.

Deus, qui beátum Odilónem Abbátem egrégiæ pietátis, et præcláræ caritátis virtútibus cumulásti : præsta; ut ejus méritis et précibus consuétæ misericórdiæ tuæ effectus ássequi mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

Secreta.

Suscipe, Dómine, in hac solemnitáte fámuli tui Odilónis Abbátis, hóstias méntium tuo nómini devotárum; quibus nos a terrénis contágiis expiári, et defunctórum ánimas cœléstibus contulísti propinquáre consórtiis. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

Postcommunio.

Subsidio nostræ salútis accépto súpplices te, Dómine, rogámus : ut intercedénte beáto Odilóne Abbáte, qui pacem inter hostes conciliávit, quos tanti mystérii tríbuis esse consórtes, eósdem in fratérna caritáte perfícias. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Fer. in Quadrag.

DIE XIII. FEBRUARII.

B. EUSTOCHII VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg.

Oratio.

Omnipotens ætérne Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem tuam advérsus potestátes tenebrárum admirábili virtúte et invícta patiéntia roborásti : ejus méritis et précibus concéde ; ut ab omni diabólica nequítia liberáti, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Feriæ in Quadrag.

Secreta.

Hujus, quæsumus, Dómine, virtúte mystérii, per quam antíqui hostis vires contrivísti, et intercedénte beáta Eustóchio Vírgine tua, cui de illo victóriam contulísti, cunctos a fámulis tuis diabólicos incúrsus repélle. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Feriæ in Quadrag.

Postcommunio.

Confirmet nos, Dómine, qua pasti sumus, mensa cœléstis; ut beátæ Eustóchii exémplis instrúcti et præsídiis adjúti, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. et Feriæ in Quadrag.

DIE XXV. FEBRUARII.

S. WALBURGÆ VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Vírginum.

Oratio.

Deus qui inter innúmera grátiæ tuæ dona étiam in sexu frágili tua operáris magnália : concéde propítius ; ut beátæ Walbúrgæ Vírginis tuæ apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cujus non solum castitátis illustrámur exémplis, verum étiam miraculórum glória jucundámur. Per Dóminum.

Et fit comm. Feriæ in Quadrag.

DIE XX. MARTII.

S. GERTRUDIS VIRGINIS.

Missa, **Vultum tuum,** de Comm.

Oratio.

Tuorum nos, Dómine, quæsumus, précibus tuére Sanctórum : ut festa beátæ Gertrúdis Vírginis débite venerántes, et fidéli muniámur auxílio, et magnífico proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Evang. **Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus.**

EADEM DIE XX. MARTII.

S. WULFRAMNI EP. CONF.

Orr. ex Missa, S**tátuit,** de Comm.

DIE XIX. APRILIS.

S. LEONIS IX. PAPÆ, CONF.

Missa, S**tátuit,** de Comm.

DIE XX. APRILIS.

S. ADALBERTI EP. MART.

Temp. Pasch. Missa, P**rotexísti,** de Comm. Mart. præter Orr. et Evang. seq. Extra Temp. Pasch. Missa, S**tátuit,** de Comm. unius Mart. Pont. præter seq.

Oratio.

Deus, qui Sanctis tuis in confessióne tui nóminis virtútem atque victóriam contulísti : præsta pópulo tuo; ut qui beáti Adalbérti Pontíficis et Mártyris tui, ánnua celebritáte devótis exsúltat obséquiis, ejus suffrágiis tuæ pietátis consequátur auxílium. Per Dóminum.

Evang. **Eúntes in mundum univérsum,** ut in festo SS. Cyriaci et Soc. MM. die 8. Augusti.

Secreta.

Offerimus tibi, Dómine, fidélium tuórum dona solémnia, sancti Pontíficis et Mártyris Adalbérti interventiónibus confidéntes; ut quod nos exéquimur minus idónea servitúte, ejus pótius méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui tuæ mensæ partícipes a diabólico jubes abstinére convívio : da, quæsumus, beáti Mártyris et Pontíficis Adalbérti méritis; ut fidéles tui, gustu mortíferæ profanitátis abjécto, puris méntibus ad épulas ætérnæ salútis accédant. Per Dóminum.

DIE XXI. APRILIS.

S. ANSELMI EP. CONF. ET DOCT.

Missa, I**n médio,** de Comm. Doct.

Oratio. **Deus, qui pópulo tuo.**

Secreta.

Pro libertáte sanctæ Ecclésiæ tuæ múnera nostra súscipe, omnípotens Deus : qui beáto Ansélmo Confessóri tuo atque Pontífici sponsæ tuæ honórem zeláre, et pro ea decertáre ac triumpháre tribuísti. Qui vivis.

Postcommunio.

Illumina mentes nostras sacraménti splendóribus, Dómine Deus noster : ut beáti Ansélmi exémplis et documéntis edócta fides nostra quærat in lúmine tuo intelléctum, et ad glóriæ tuæ claritátem nos humilitáte perdúcat. Per Dóminum.

DIE XI. MAJI.

S. MAIOLI ABBATIS.

Oratio.

Deus qui perfécte ambulántium coram te protéctor es et merces magna nimis : da nobis beáti Májoli Abbátis intercessióne et exémplo temporália, despícere et ad te tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Secreta.

Annue, quæsumus, omnípotens Deus; ut hæc sacrifícia pópuli tui, quæ tibi offérimus, interveniénte suffrágio beáti Májoli Abbátis, donis cœléstibus propitiátus immísceas. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sancta tua, Dómine, in beáti Májoli Abbátis festivitáte nos refóveant : quibus et júgiter et digne desiderámus expléri. Per Dóminum.

DIE XIII. MAJI.

S. HUGONIS ABBATIS.

Missa, O**s justi,** de Comm. Abb

Oratio.

Perfice, quæsumus, Dómine, pium in nobis sanctæ religiónis affectum: et ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem: beátus Hugo Abbas suis apud te semper pro nobis et méritis et précibus intercédat. Per Dóminum.

Secreta.

Supplicatio tibi nostra, Dómine, et grata páriter exístat oblátio : quæ cum in sancti Hugónis Abbátis commemoratióne defértur, indulgéntiam nobis, eódem suffragánte, consequátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sumentes pignus cœléstis arcáni, et in terris pósiti jam supérno pane satiáti, supplicámus, Dómine, deprecánte sancto tuo Hugóne Abbáte; ut quod in nobis mystice géritur, veráciter impleátur. Per Dóminum.

DIE XIV. MAJI.

S. PASCHALIS I. PP. CONF.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus qui beátum Paschálem Pontíficem mirífica erga sanctórum Mártyrum exúvias devotióne decorásti : ipso intercedénte, concéde ; ut electórum tuórum sacra pígnora venerántes, eórum méritis sociémur et corónis. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Bonifacii Mart.

Secreta.

Sub altári tuo, in quo Christus hóstia júgiter immolátur Mártyrum tuórum sacras relíquias consociámus, Dómine Deus omnípotens : qui beáto Pontífici tuo Paschali triumphálium victimárum membra tamquam cœléstes margarítas requírere et in eísdem invéntis lætári tribuísti. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Bonifacii Mart.

Postcommunio.

Beati Paschális Confessóris tui atque Pontíficis memóriam agéntes, fac nos, Dómine, ita sacri córporis tui cibo delectári ; ut et corda nostra ad te indesinénter adspírent ; et membra nostra futúræ glóriæ pígnore recreéntur. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. S. Bonifacii Mart.

DIE XXI. MAJI.

S. DUNSTANI EP. CONF.

Missa, Sacerdótes tui, de Comm.

Oratio.

Deus, qui beátum Dunstánum Pontíficem tuum ad regna transtulísti cœléstia : da nobis per gloriósa ejus mérita, ad gáudia transíre perénnia. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis famíliæ tuæ, quæ tibi in beáti Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus, precántes ; ut ejus patrocínio venerándo adjúti, deféndi mereámur ab ómnium inimicórum insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beati Dunstáni Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, precatióne nos ádjuva : in cujus veneratióne tua contígimus sacraménta. Per Dóminum.

DIE XX. JUNII.

S. DOMINICI SORANI ABB.

Introitus. *Psalm.* 90.

Super áspidem et basilíscum ambulábis, et conculcábis leónem et dracónem. Psalm. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui antíquum serpéntem per Fílii tui mortem contérere dignátus es : fac nos, quæsumus, méritis beáti Domínici Abbátis diabólica vitáre contágia, et a cunctis malis imminéntibus liberári. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Florentinæ Virg. et S. Silverii Papæ Mart.

Léctio libri Numerórum. c. 21. 6.

In diébus illis : Misit Dóminus in pópulum ignítos serpéntes, ad quorum plagas et mortes plurimórum, venérunt ad Móysen atque dixérunt : Peccávimus quia locúti sumus contra Dóminum et te ; ora ut tollat a nobis serpéntes. Oravítque Móyses pro pópulo, et locútus est Dóminus ad eum : Fac serpéntem æneum, et pone eum pro signo, qui percússus aspéxerit eum, vivet. Fecit ergo Móyses serpéntem æneum, et pósuit eum pro signo, quem cum percússi aspícerent, sanabántur.

Graduale. Deut. 8. 15. Ductor tuus fuit in solitúdine magna atque terríbili, in qua erat serpens et scórpio. ℣. Is. 35. In cubílibus, in quibus prius dracónes habitábant, oriétur viror cálami et junci.

Allelúia, allelúia. ℣. Non erit ibi leo, et mala béstia non ascéndet per eam, nec inveniétur ibi. Allelúia.

Post Septuagesimam dicitur ut infra : Graduale. Num. 21. Pone eum pro signo, qui percússus aspéxerit eum vivet. ℣. Ps. 21. Erue a frámea Deus ánimam meam, et de manu canis únicam meam.

Tractus. Act. 28. Vípera a calóre cum processísset, invásit manum ejus : et ille excútiens béstiam in ignem nihil mali passus est. ℣. Illi existimábant eum in tumórem converténdum, et súbito casúrum, et mori. ℣. Vidéntes vero nihil mali in eo fíeri, dicébant eum esse Deum.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia. Ps. 35. Hómines et juménta salvábis, Dómine, quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam. Allelúia. Rom. 15. 25. In virtúte signórum et prodigiórum, in virtúte Spíritus Sancti. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

Reversi sunt septuagínta duo cum gáudio, dicéntes : Dómine étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis : Vidébam Sátanam sicut fulgur de cœlo cadéntem : ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci, et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére, quia spíritus vobis subjiciúntur ; gaudéte, quia nómina vestra scripta sunt in cœlis.

Offertorium. Ps. 57. Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum : molas leónum confrínget Dóminus.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, dicáta benígno favóre proséquere, et beáti Domínici intercessióne ómnia nobis adversántia depélle. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Florentinæ Virg. et S. Silverii Papæ et Mart.

Communio. Marc. 16. In nómine meo dæmónia ejícient, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit.

Postcommunio.

Divini múneris largitáte reficti, Deus noster, te súpplices exorámus, ut beáto Domínico Abbáte interveniénte nóxia cuncta submóveas, et cœléstis nos gáudii partícipes esse concéde. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Florentinæ Virg. et S. Silverii Papæ et Mart.

DIE XXV. JUNII.

S. GULIELMI ABBATIS.

Introitus. *Psalm.* 117.

Dextera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. Non móriar sed vivam, et narrábo ópera Dómini. Psalm. Confitémini Dómino, quóniam bonus : quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Perfice, quæsumus, Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium : ut quæ exémplo beáti Guliélmi Abbátis erudíti, faciénda cognóvimus, eódem intercedénte ad-

júti tua grátia impleámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Octavæ.

Léctio libri Sapiéntiæ, de Comm. Abb.

Graduale. Exod. 15. **Gloriósus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte : déxtera manus tua confrégit inimícos.**

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 12. **Hic est fidélis servus, et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. Allelúia.**

Evangelium. **Ecce nos,** de Comm. Abb.

Offertorium. Psalm. 118. **Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar : et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis.**

Secreta.

Per hæc, Dómine, salútis nostræ sacrosáncta mystéria, quæ beáti Guliélmi Confessóris tui natalítia recoléntes offérimus; redemptiónis ætérnæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Octavæ.

Communio. Ps. 51. **Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dómini, sperávi in misericórdia Dei in ætérnum, et in sæculum sæculi.**

Postcommunio.

Vota nostra, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adjuvándo proséquere; ut divína quæ súmpsimus sacraménta, intercedénte beáto Guliélmo Abbáte, et operatióne puríficent, et virtúte confírment. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Octavæ.

DIE VIII. AUGUSTI.

B. EUGENII III. PAPÆ ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm.

Oratio.

Da quæsumus, omnípotens Deus, beáti Eugénii Confessóris tui atque Pontíficis intercessióne, ut toto tibi corde famulémur : quia nulla nobis prævalébit hostílitas, si in te veráciter confidámus. Per Dóminum.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

B. VICTORIS III. PAPÆ ET CONF.

Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beáto Victóri Confessóri tuo atque Pontífici in supréma Ecclésiæ dignitáte declinánda humilitátis spíritum, et in illa tuénda invíctum ánimi robur tribuísti : concéde nobis fámulis tuis; terrénos honóres constánter despícere, et omnes inimíci insídias fórtiter superáre. Per Dóminum.

Secreta.

Sint tibi plácita, Dómine, pópuli tui votíva sacrifícia ; et quod fragílitas nostra non ímpetrat, beáti Victóris Pontíficis supplicátio, pro cujus glória deferúntur, obtíneat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacramentorum tuórum perceptióne satiáti quæsumus, Dómine ; ut beáti Victóris Pontíficis tui, cujus honóre celebrántur salutífera nobis oratióne provéniant. Per Dóminum.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

S. RUPERTI EPISC. ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm.

Evangelium. **Homo quidam nóbilis,** ut in festo S. Ludovici Conf. die xxv. Augusti.

DIE XXIV. SEPTEMBRIS.

S. GEREMARI ABBATIS.

Oratio.

Deus, qui ómnia pro te relinquéntibus in hoc sæculo céntuplum et in futúro vitam ætérnam promisísti : concéde propítius ; ut sancti Geremári Abbátis vestígiis inhæréntes, peritúra contemnámus, et ad sola mansúra suspirémus. Per Dóminum.

Secreta.

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Geremárus Abbas

quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Protegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti sanctus Gerémárus Abbas pro nobis intercedéndo, ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

DIE II. OCTOBRIS.

S. LEODEGARII EPISC. ET MART.

Commem. ex Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm. unius Mart. Pont.

Oratio. (Pro aliquibus locis.)

Deus qui pro singulári veritátis testimónio beátum Leodegárium Pontíficem tuum triumpháli martyrii palma coronásti : ejus méritis et intercessióne concéde : ut in spíritu veritátis perseveráre valeámus. Per Dóminum.

DIE V. OCTOBRIS.

SS. PLACIDI ET SOCIORUM MART.

Missa, **Salus autem,** ut in Missali.

Secreta.

Sancti Mártyris Plácidi et Sociórum ejus gloriósa certámina recoléntes, tibi, Dómine, gratulatiónis hóstiam humíliter offérimus : qua et débitus honor pátribus nostris exhibétur et sanctificatiónis tuæ munus acquíritur. Per Dóminum.

Postcommunio.

De Mártyrum nostrórum primítiis exultántes, te, Dómine, súpplices deprecámur : ut sicut beátum Plácidum et Sócios ejus advérsus fídei hostes supérna virtúte roborásti : ita nos cœlésti cibo reféctos contra spirituáles inimícos poténter dimicáre concédas. Per Dóminum.

DIE XXI. OCTOBRIS.

S. WILFRIDI EPISC. ET CONF.

Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm.

Oratio.

Deus, cujus grátia beátus Wilfrídus Póntifex lúcidis meritórum signis excelléntereffúlsit : præsta nobis propítius ; ut ejus semper patrocínio muniámur, cujus doctrína ad appeténda cœléstia informámur. Per Dóminum.

Secreta.

Purifica, quæsumus, omnípotens Deus, mentem famíliæ tuæ sancti Spíritus tui illustratióne ; ut per suffrágia beáti Wilfrídi Confessóris tui atque Pontíficis, accépta reddántur præséntia múnera nostræ devotiónis. Per Dóminum ..... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Postcommunio.

Redemptionis ætérnæ pábulo satiáti, Dómine, tuam increméntiam deprecámur : ut beáti Wilfrídi, Confessóris tui atque Pontíficis intercedéntibus méritis, ætérna capiámus dona salútis. Per Dóminum.

DIE XXV. OCTOBRIS.

S. HILDEGARDIS VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg.

Oratio.

Deus, qui beátam Hildegárdem, Vírginem tuam donis cœléstibus decorásti : tríbue quæsumus ; ut ejus vestígiis et documéntis insisténtes, a præséntis hujus sæculi calígine ad lucem tuam delectábilem transíre mereámur. Per Dóminum.

Et fit comm. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart.

Secreta.

Sanctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa recoléntes, preces offérimus et hóstias immolámus : præsta, Dómine, quæsumus ; ut cum præsídio temporáli, vitæ nobis præbeant increménta perpétuæ. Per Dóminum.

Et fit comm. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart.

Postcommunio.

Perpetuo, Dómine, favóre perséquere, quos réficis divíno mystério : et quos imbuísti cœléstibus institútis, eósdem, intercedénte beáta Hildegárde

Vírgine tua, salutáribus comitáre solátiis. Per Dóminum.

Et fit comm. SS. Chrysanthi et Dariæ Mart.

DIE XXVI. OCTOBRIS.

S. MECHTILDIS VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg.

Oratio.

Deus, qui in devotíssimo beátæ Mechtíldis Vírginis tuæ corde jucúndam tibi mansiónem constituísti : da nobis, quæsumus, ejúsdem Vírginis intercessióne, dum vívimus, a terrénis semper ad cœléstia spíritu sublevári, et cum ea in resurrectióne justórum páriter triumpháre. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Evaristi Pp. et Mart.

DIE XXXI. OCTOBRIS.

S. WOLFGANGI EPISC. ET CONF.

Oratio.

Deus, qui nobis ætérnæ salútis beátum Wolfgángum Epíscopum minístrum tribuísti : præsta, quæsumus; ut quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Wolfgángi, Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis officia et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta : ut beáti Wolfgángi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE VI. NOVEMBRIS.

S. LIVINI EPISC. ET MART.

Missa, **Státuit,** de Comm. unius Mart.

Oratio. (Pro aliquibus locis.)

Deus, qui sanctórum Mártyrum mérita, pretiosíssimo Fílii tui sánguine dedicásti : venerándum natális diem beáti Livíni Mártyris tui atque Pontíficis honorántes propítius intuére ; et iisdem incolumitátem, pacem ac tandem vultus tui hilaritátem sine fine concéde. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Octavæ.

DIE VII. NOVEMBRIS.

S. WILLIBRORDI EPISC. ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf Pont.

Oratio. (Pro aliquibus locis.)

Deus, qui ad prædicándum géntibus glóriam tuam beátum Willibrórdum Confessórem tuum atque Pontíficem míttere dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Octavæ.

DIE X. NOVEMBRIS.

S. ADEODATI PAPÆ ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Communi.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

S. VIRGILII EPISC. ET CONF.

Commem. ex Missa, **Státuit,** de Comm.

INDEX APPENDICIS.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLXXX.

46 13

MISSÆ PROPRIÆ

S. PETRI COELESTINI PP. V.

CONGREGATIONIS MONACHORUM COELESTINORUM ORDINIS S. BENEDICTI FUNDATORIS.

AD USUM EJUSDEM CONGREGATIONIS A S. R. CONGREGATIONE APPROBATÆ DIE 29 JANUARII 1746.

DIE XV. FEBRUARII.

IN FESTO TRANSLATIONIS

S. PETRI COELESTINI PAPÆ ET CONF.

Introitus. *Psalm.* 33.

Custodit Dóminus ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur: rédimet ánimas servórum suórum, et non delínquent omnes qui sperant in eo. Ps. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, tuórum glória et tutéla Sanctórum, qui Beáti Petri Cœlestíni Translatiónem mirándis signis probáre, et illustráre voluísti: concéde nobis fámulis tuis, ut qui tam chari pígnoris possessióne gaudémus, illíus apud Te patrocínio resurrectiónis glóriam consequámur. Per Dóminum.

In Missis privatis pro commemoratione SS. Mart. Faustini et Jovitæ.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua Sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni, et Jovítæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 15. 35.

Fratres: Nolíte sedúci. Corrúmpunt mores bonos collóquia prava. Evigiláte justi et nolíte peccáre: ignorántiam enim Dei quidam habent, ad reveréntiam vobis loquor. Sed dicet áliquis: quómodo resúrgunt mórtui? Qualíve córpore vénient? Insípiens tu, quod séminas, non vivificátur, nisi prius moriátur. Et quod séminas, non corpus, quod futúrum est, séminas, sed nudum granum, ut puta trítici, aut alicújus cæterórum. Deus autem dat illi corpus sicut vult; et unicuíque séminum próprium corpus. Non omnis caro éadem caro: sed ália quidem hóminum, ália vero pécorum, ália vólucrum, ália autem píscium. Et córpora cœléstia, et córpora terréstria: sed ália quidem cœléstium glória, ália autem terréstrium. Alia cláritas Solis, ália cláritas Lunæ, et ália cláritas Stellárum. Stella enim a Stella differt in claritáte: Sic et resurréctio mortuórum. Seminátur in corruptióne, surget in incorruptióne. Seminátur in ignobilitáte, surget in glória.

Graduale. Ps. 131. ℣. 7. **Introíbimus in tabernáculum ejus: adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes ejus.** ℣.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 46. ℣. 14. Sit memória Beáti Petri Cœlestíni in benedictióne, et ossa ejus púllulent de loco suo, et nomen ejus permáneat in ætérnum. Allelúia.

Si hoc Festum venerit post Septuagesimam, omisso Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur: Tractus. Gloriósus Deus in Sanctis suis, mirábilis in Majestáte, fáciens prodígia. ℣. Consolábor vos et gaudébit cor vestrum: et ossa vestra quasi herba germinábunt.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 12. ℣. 35.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes. Amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens, ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret: vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet. Dicitur Credo.

Offertorium. Eccli. 49. ℣. 17. Princeps fratrum, firmaméntum gentis: rector fratrum, stabiliméntum pópuli; et ossa ipsíus visitáta sunt, et post mortem prophetavérunt.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus, Secreta.

Oblatis, quæsumus Dómine, placáre munéribus, et intercedéntibus Sanctis Martyribus tuis Faustíno et Jovíta, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio. Ps. 4. ℣. 9. In pace in idípsum dórmiam, et requiéscam: quóniam tu Dómine singuláriter in spe, constituísti me.

Postcommunio.

Fiat nobis, quæsumus Dómine, sacri mystérii prælibáta dulcédo subsídium sempitérnum: et quos Beáti Petri Cœlestíni memóriam devóte cólere tribuísti, ad ejus quoque et sanctitátis imitatiónem et beatitúdinis societátem perveníre concéde. Per Dóminum.

Pro SS. Martyribus, Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedéntibus Sanctis Martyribus tuis Faustíno et Jovíta, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE XIX. MAJI.

IN FESTO S. PETRI COELESTINI PAPÆ ET CONFESSORIS.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre Sancti Petri Cœlestíni Patris nostri, de cujus solemnitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei, allelúia, allelúia. Ps. 46. Omnes gentes pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exultatiónis. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Petrum Cœlestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius, ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1.

Fratres, Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes,

non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia, et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret, ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis Sapiéntia a Deo et justítia et sanctificátio et redémptio : ut quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Et ego cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos : et sermo meus et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis : ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 64. Beátus quem elegísti, Dómine, et assumpsísti : inhabitábit in átriis tuis. Allelúia. ℣. Petrus Cœlestínus, Jesu crucifixi amátor, et imitátor verus, lúcidæ Crucis signo móriens honorátur.

Sequentia.

Pleno digna lux honóre
Fulget : puro quisquis ore
Petri laudes cóncinat.
Matris alvo puer strictus
Gessit súbnigros amíctus,
Monacátus spécimen.
Cœlo natus, terram versis
Sprevit tergis, ne pervérsis
Cor fœdáret móribus.
Rupis ábditos recéssus
Intrat solus, unde egréssus
Draco fugit prótinus.
Sentit cœlites, orándo,
Vultu sibi adésse blando,
Et vicíssim psállere.
Sanus, æger, carnem duris
Vexat modis, ut secúris
Mens incédat gréssibus.
Parcus cibi, amóris dives,
Densas inter perstat nives;
Vivum servat cháritas.
Longum tersit Orbis luctum,
Petrum vidit cum dedúctum
Ex Erémo ad sólium.
Clarum tristi sumpsit fronte
Diadéma : pósuit sponte,
Miro exémpli génere.
Vidit cæcus, et eréctus
Stetit claudus : hos efféctus
Edidit humílitas.
Cuncta péreunt, unum durat :
Hoc in terris Petrus curat,
Hoc in cœlo póssidet.
Quod vestígia Christi ducis
Pressit vivens, áureæ Crucis
Signo claret móriens.
Petre, humílium splendor, ades;
Metus, sordes, morbos, clades,
Prece avérte, ac dílue.
Pacem donet Princeps pacis :
Ignem Sanctæ mittat Facis;
Nosque in cœlum súblevet.
Amen. Allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale. Ps. 17. Deus præcínxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam. ℣. Perfécit pedes meos tanquam cervórum, super excélsa státuens me.

Allelúia, allelúia. ℣. Petrus Cœlestínus Jesu Crucifixi amátor et imitátor verus, lúcidæ Crucis signo móriens honorátur.

Sequentia, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 9.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te : quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum,

vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Credo.

Offertorium. Ps. 130. Non est exaltátum cor meum, neque eláti sunt óculi mei: neque ambulávi in magnis, neque in mirabílibus super me. Allelúia.

Secreta.

Pretiosam in conspéctu tuo, Dómine, humíllimi Agni, immaculáti Fílii tui, víctimam immolámus; quæ nos, beáti Petri Cœlestíni intercedéntibus méritis, et innocéntia vitæ tibi reddat accéptos, et cordis humilitáte. Per eúmdem Dóminum.

Communio. 1. Cor. 2. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus; sed Spíritum qui ex Deo est, ut sciámus quæ a Deo donáta sunt nobis. Allelúia.

Postcommunio.

Fiat nobis, quæsumus Dómine, sacri mystérii prælibáta dulcédo subsídium sempitérnum: et quos beáti Petri Cœlestíni memóriam devóte cólere tribuísti, ad ejus quoque et sanctitátis imitatiónem et beatitúdinis societátem perveníre concéde. Per Dóminum.

DIE XI. JUNII.

In Missa S. Barnabæ Apostoli fit comm. Apparitionis S. Petri Cœlestini Papæ et Conf.

Oratio.

Deus, qui ad declarándam Beáti Petri Cœlestíni glóriam illum Pontifício amíctu et coróna fulgéntem, Aquilánæ Civitáti mirabíliter apparére fecísti: concéde propítius; ut ejúsdem intercessióne gloriósi ante conspéctum tuum apparére mereámur. Per Dóminum,

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solémnitáte deféríur, Per Dóminum.

Postcommunio.

Fiat nobis, quæsumus Dómine, sacri mystérii prælibáta dulcédo subsídium sempitérnum: et quos Beáti Petri Cœlestíni memóriam devóte cólere tribuísti, ad ejus quoque et sanctitátis imitatiónem et beatitúdinis societátem perveníre concéde. Per Dóminum.

DIE XXX. AUGUSTI.

IN FESTO

CONSECRAT. ET CORONAT.

S. PETRI COELESTINI PAPÆ ET CONF.

Quod fuit heri, sed ob reverentiam Festi S. Joannis Baptistæ transfertur in hodiernam diem.

Introitus. *Ps.* 117, *v.* 16., V. 23.

Dextera Dómini exaltávit me: déxtera Dómini fecit virtútem. A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. Psal. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Beátum Petrum Cœlestínum, ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius, ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccli. 44.

Ecce Sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus; et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium Géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super cuput ejus: agnóvit eum in benedictiónibus suis, conservávit illi misericórdiam suam, et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificá-

vit eum in conspéctu Regum, et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi Sacerdótium magnum, et beatificávit illum in glória. Fungi Sacerdótio et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Ps. 106. Exáltent eum in Ecclésia plebis, et in Cáthedra seniórum laudent eum, ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus filiis hóminum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Sequentia ut supra, pag. 3.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 16. ℣. 16.

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi: et interrogábat discípulos suos dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex Prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus dixit ei: Beátus es Simon Bar-Jóna: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam, et tibi dabo claves regni cœlórum, et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cœlis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cœlis. Credo.

Offertorium. Ps. 88. ℣. 21. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Ascendant ad te, Dómine, cum votívis oblatiónibus preces nostræ: et Beáto Petro Cœlestíno intercedénte, quem Tibi hódie in Summum Pontíficem inunxísti, Sancti Spíritus tui uberióra in nos charísmata benígnus effúnde. Per Dóminum.

Communio. Ps. 88. ℣. 38. Thronus ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

Sacri convívii partícipes effécti, misericórdiam tuam, Dómine, súpplices implorámus: ut sicut expréssa signo sanctitátis coróna caput Beáti Petri Cœlestíni ornáre voluísti; ita nos ejus vestígiis insisténtes, promíssam legítime certántibus corónam fácias obtinére. Per Dóminum.

DIE XIIJ. DECEMBRIS.

IN FESTO

RENUNTIATIONIS SUMMI PONTIFICATUS S. PETRI COELESTINI,

PAPÆ ET CONF.

Introitus. *Ps.* 70. ℣. 7.

Tanquam prodígium factus sum multis, et tu adjútor fortis: repleátur os meum laude ut cantem glóriam tuam, tota die magnitúdinem tuam. Psal. In te Dómine sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me et éripe me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui Beátum Petrum Cœlestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti, concéde propítius, ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. c. 3. ℣. 7.

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detri

méntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam quæ ex lege est; sed illam quæ ex fide est, Christi Jesu. Quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus; configurátus morti ejus, si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale. Ps. 16. ℣. 4. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. ℣. Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 31. Laudémus Petrum Cœlestínum; fecit enim mirabília in vita sua: Exaltátus sedébat in sólio, et sine exémplo humiliátus est nimis.

Sequentia ut supra, pag. 3.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 22. a. 24.

In illo témpore: Facta est conténtio inter discípulos, quis eórum viderétur esse major. Dixit autem eis Jesus: Reges Géntium dominántur eórum, et qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor; et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Nam quis major est, qui recúmbit, an qui minístrat? Nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum, sicut qui minístrat: vos autem estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis. Et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo; et sedeátis super thronos judicántes duódecim tribus Israel. Dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 114. ℣. 6. Custódiens párvulos Dóminus: humiliátus sum, et liberávit me: convértere, ánima mea, in réquiem tuam.

Secreta.

Mirabile, quod recólimus, Beáti Petri Cœlestíni humilitátis exémplum cum ineffábilis sacrifícii múnere tibi offérimus, omnípotens Deus; ut ejus précibus adjúti, et divínæ virtútis fonte purgáti, mereámur confórmes fíeri imágini Fílii tui. Qui tecum vivit.

Communio. Sap. 7. Datus est mihi sensus, et venit in me spíritus sapiéntiæ, et præpósui illam regnis et sédibus.

Postcommunio.

Innovet quæsumus Dómine, Spíritum rectum in viscéribus nostris mensæ charíssimæ participátio vitális: ut óptimam partem sapiénter eligéntes, Beáti Petri Cœlestíni comitántibus méritis et exémplis, in cœléstium amórem felíciter transeámus. Per Dóminum.

MISSA VOTIVA

DE S. P. N. PETRO COELESTINO

PAPA ET CONF. PRO FERIA IV.

Introitus. *Ps.* 72. *v.* 52.

Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram, Deus cordis mei? Mihi adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam. Psal. Quam bonus Israel Deus iis qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui Beátum Petrum Cœlestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius; ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus præmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. c. 3. ℣. 7.

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu

Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu. Quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscéndum illum et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus, configurátus morti ejus, si quo modo occúrram ad resurrectiónem quæ est ex mórtuis. Non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem si quo modo comprehéndam in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale. Ps. 16. ℣. 4. Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. ℣. Pérfice gressus meos, ut non moveántur vestígia mea.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 31. Laudémus Petrum Cœlestínum; fecit enim mirabília in vita sua: Exaltátus sedébat in sólio, et sine exémplo humiliátus est nimis. Allelúia.

Post Septuagesimam, Tractus. Ps. 3. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Laudémus Petrum Cœlestínum; fecit enim mirabília in vita sua. Allelúia. ℣. Exaltátus sedébat in sólio, et sine exémplo humiliátus est nimis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit. Dicitur Credo.

Offertorium. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Pretiosam in conspéctu tuo, Dómine, humíllimi Agni immaculáti Fílii tui, víctimam immolámus; quæ nos Beáti Petri Cœlestíni intercedéntibus méritis, et innocéntia vitæ Tibi reddat accéptos, et cordis humilitáte. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. 1. Cor. 2. 12. Nos autem non spíritum hujus mundi accépimus; sed Spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus, quæ a Deo donáta sunt nobis. Allelúia.

Postcommunio.

Fiat nobis, quæsumus Dómine, sacri mystérii prælibáta dulcédo subsídium sempitérnum: et quos Beáti Petri Cœlestíni memóriam devóte cólere tribuísti, ad ejus quoque et sanctitátis imitatiónem et beatitúdinis societátem pervenire concéde. Per Dóminum.

INDEX.

Mechliniæ, H. Dessain.— MDCCCLXXIV.

MISSÆ PROPRIÆ

CONGREGATIONIS SANCTIMONIALIUM

ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ADORATIONIS PERPETUÆ

SANCTISSIMI SACRAMENTI.

PAX

MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
~~SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE~~
ET ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC. LXXIII.

PRÆFATIO

MISSÆ REPARATIONIS.





Mechliniæ, H. Dessain.—MDCCCLXXIII.

KALENDARIUM PERPETUUM

MONIALIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

ADORATIONIS PERPETUÆ SANCTISSIMI SACRAMENTI.

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini Nostri Jesu Christi, dup. 2 cl. 25.
xxix	b	iv	2	**Octava S. Stephani Protomart.** duplex, **com. Oct. S. Joannis ac SS. Innocentium. 26.**
xxviij	c	iij	3	**Dies Octava S. Joannis Apost. et Ev.** duplex, **com. Oct. SS. Innocentium. 27.**
xxvij	d	Prid.	4	**Dies Octava SS. Innocentium** dup. **28.**
xxvj	e	Non.	5	**Vigilia Epiphaniæ** semid. **com. S. Telesphori Pap. et Mart. 29.**
25. xxv	f	viij	6	Epiphania Domini, **dup. 1 class. cum Octava priv. 31.**
xxiv	g	vij	7	**De 2 die infra Oct.** semid. **32.**
xxiij	A	vj	8	**De 3 die infra Oct.** semid.
xxij	b	v	9	**De 4 die infra Oct.** semid.
xxj	c	iv	10	**De 5 die infra Oct.** semid.
xx	d	iij	11	**De 6 die infra Oct.** semid. **com. S. Hygini Pap. Mart. 312.**
xix	e	Prid.	12	**De 7 die infra Oct.** semid. **com. S. Benedicti Biscop. Abb. O. N. lxxxix.**
xviij	f	Idib.	13	**Dies Octava Epiphaniæ Domini** duplex. **34.**
xvij	g	xix	14	**S. Hilarii Ep. Conf. Doct.** duplex. **314. com. S. Felicis Nolani Mart. 314. et S. Petri Urseoli Conf. O. N. lxxxix.**
xvj	A	xviij	15	S. Mauri Abbatis O. N. **dupl. 2 cl. cum Octav. 7.**
xv	b	xvij	16	**S. Marcelli Pap. et Mart.** semid. **316. com. Octav. 7.**
xiv	c	xvj	17	**S. Antonii Abb.** duplex. **317. com Oct. 7.**
xiij	d	xv	18	**Cathedra S. Petri Ap. Romæ** dup. maj. **com. S. Pauli Ap. 317. Oct. 7. et S. Priscæ Virg. et Mart.**
xij	e	xiv	19	Festum Inventionis Pueri Jesu in Templo, **dup. maj. 2. com. Oct. 7. SS. Marii et Soc. Mart. 319. et S. Agathonis Pap. et Conf. O. N. xcj**
xj	f	xiij	20	**SS. Fabiani Pap. ac S. Sebastiani, Mart.** dup. **319 com. Oct. 7.**
x	g	xij	21	**S. Agnetis Virg. et Mart.** dup. **320. com. Oct. 7.**
ix	A	xj	22	**Dies Octava S. Mauri Abb.** duplex. **7.**
viij	b	x	23	Desponsatio B. M. V. **dup. maj. com. S. Joseph et S. Emerentianæ Virg. et Mart. 323.**
[illegible]	c	ix	24	**S. Timothei Ep. et Mart.** dupl. **324.**
	d	viij	25	**Conversio S. Pauli Apost.** dup. maj. **com. S. Petri Apost. 325.**

JANUARIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
v	e	vij	26	**S. Bathildis Francorum Reginæ Vid. O. N.** duplex. **10.**
iv	f	vj	27	**S. Joannis Chrysostomi Ep. Conf. et Eccl. Doct.** duplex. **328.**
iij	g	v	28	**S. Ildephonsi Ep. et Conf.** d. a. duplex. **344. com. S. Agnetis secundo. 329.**
ij	A	iv	29	**S. Francisci Salesii Ep. et Conf.** duplex. **330.**
j	b	iij	30	**S. Martinæ Virg. et Mart.** semid. **330. com. S. Adelelmi Abb. O. N. xcij.**
*	c	Prid.	31	**S. Petri Nolasci Conf.** duplex. **330.**

FESTA MOBILIA.

Dominica ij. post Epiphaniam, Festum SS. Nominis Jesu, **dup. 2 class. com. Domin. 312.**

Feria iij. post Dom. Septuagesimæ, Orationis Domini Nostri Jesu Christi in Monte Oliveti, **dupl. maj. cii.**

Feria iij. post Dom. Sexagesimæ, Commemoratio Passionis Domini Nostri Jesu Christi, **dup. maj. ciii.**

FEBRUARIUS.

xxix	d	Kal.	1	**S. Ignatii Ep. et Mart.** duplex. **330.**
xxviij	e	iv	2	Purificatio B. M. V. **duplex 2 class. cum Octava. 334.**
xxvij	f	iij	3	**S. Odilonis Abb. O. N.** d. a. duplex. **10. com. Octav. 334. et S. Blasii Ep. et Mart. 335.**
25. xxvj	g	Prid.	4	(In Gallia) **B. Joannæ Valesiæ Francorum Reginæ Vid.** duplex. **10. com. Oct. 334.** (Extra Galliam) **S. Andreæ Corsini Ep. Conf.** duplex. **335. com. Octav. 334.**
xxv. xxiv	A	Non.	5	**S. Agathæ Virg. et Mart.** duplex. **335. com. Octav. 334.**
xxiij	b	viij	6	**S. Pauli I. Eremitæ Conf.** d. a. ex 15 Januarii, duplex. **336. com. Oct. 334. et S. Dorotheæ Virg. et Mart. 336. ac S. Laurentii Ep. et Conf. O. N. 338.**
xxij	c	vij	7	**S. Romualdi Abb.** duplex. **338. com. Octav. 334.**
xxj	d	vj	8	Purissimi Cordis Beatæ Mariæ Virginis, **dup. 2 class. com. S. Stephani Abb. Ord. Grandimont. Inst. 11.** In Asceterio Civitatis Atrebatensis **dup. 1 class. cum Octav.** utpote

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
				Ecclesiæ Titularis nisi occurrat in Quadragesima. 11.
xx	e	v	9	Dies Octava Purificationis B. M. V. duplex. 334. com. S. Apolloniæ Virg. et Mart. 339.
xix	f	iv	10	S. Matris N. Scholasticæ Virg. dup. 1 class. cum Octav. 12.
xviij	g	iij	11	S. Andreæ Corsini Ep. et Conf. d. a. ex 4 hujus, duplex. 335. com. Oct. et S. Benedicti Anianen. Abb. O. N. 13.
				(Extra Galliam) de infra Octav. semid. cum com. S. Benedicti Anianen. Abb. O. N. 13.
xvij	A	Prid.	12	SS. Vincentii et Anastasii Mart. d. a. ex 22 Januar. semid. 322. com. Octav. 12.
xvj	b	Idib.	13	S. Raymundi a Pennafort Conf. d. a. ex 23 Januar. semid. 341. com. Octav. 12. et S. Gregorii II Pap. et Conf. O. N. 342. et B. Eustochii Virg. O. N. xcix.
xv	c	xvj	14	S. Polycarpi Ep. Mart. duplex. 327. com. Octav. 12. et S. Valentini Mart. 343.
xiv	d	xv	15	S. Titi Ep. Conf. d. a. duplex. 342. com. Octav. 12. et SS. Faustini et Jovitæ Mart. 344.
				In Monasterio Atrebaten. Dies Octava Purissimi Cordis B. M. V. duplex. 11. com. SS. Faustini et Jovitæ Mart. 344.
xiij	e	xiv.	16	S. Joannis de Matha Conf. dies assig. ex 8 hujus, duplex. 338. com. Octav. 12.
				In Monasterio Atrebaten. S. Titi Ep. Conf. dies assig. ex heri, duplex. 342. com. Octav. 12.
xij	f	xiij	17	Dies Octav. S. Matris N. Scholasticæ Virg. duplex. 12.
xj	g	xij	18	. . . . . . S. Simeonis Ep. et Mart. simp. 343. com. S. Helladii Ep. et Conf. O. N. cj.
				In Monasterio Atrebatensi, S. Joannis de Matha Conf. dies assig. ex 8 hujus, duplex. 338. comm. S. Simeonis Ep. et Mart. 345. et S. Helladii Ep. et Conf. O. N. cj.
x	A	xj	19	. . . . . .
ix	b	x	20	S. Canuti Regis Mart. semid. ad libit. 345.
viij	c	ix	21	. . . . . .
vij	d	viij	22	Cathedra S. Petri Apost. Antioch. dup. maj. com. S. Pauli Apost. 345.
vj	e	vij	23	S. Petri Damiani Ep. Conf. et Doct. O. N. duplex, com. Vigil. nisi venerit in Quadrag. 346.
v	f	vj	24	Et in Bissextili 25. S. Mathiæ Apost. dup. 2 class. 347.
iv	g	v	25	Et in Bissextili 26 (In Italia et in Insulis adjacentibus) S. Margaritæ Cortonen. Pœniten. semid. cij.
iij	A	iv	26	Et in Bissextili 27 S. Mecthildis Virg. O. N. duplex. 14.
ij	b	iij	27	Et in Bissextili 28 . . . . S. Leandri Ep. et Conf. O. N. simp. 348.
j	c	Prid.	28	Et in Bissextili 29 . . . . . B. Beatricis Estensis secundæ Virg. O. N. simp. cij.

In anno Bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24, et die 25: et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut si in Januario littera Dominicalis fuit A mutatur in præcedentem pro [illegible] g, etc., et littera f, [illegible] servit 24, et 25.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	

FESTA MOBILIA.

Feria quinta post Dom. Sexagesimæ, vel si occurrat in Festo Purificationis B. M. V. vel S. Matris N. Scholasticæ, vel S. Matthiæ Apost., Feria quinta præcedenti.

Festum solemne Reparationis injuriarum SS. Sacramenti [illegible] illatarum, dup. 2 class. 5.

Feria VI post Cineres, Sacræ Spineæ Coronæ Domini N[ostri] Jesu Christi, dup. maj. com. feriæ. civ.

Feria VI post Dom. I Quadragesimæ, Lanceæ et Clavorum Domini nostri Jesu Christi, dup. maj. com. feriæ. cv.

Feria VI post Dom. II Quadragesimæ, Sacratissimæ S[indo]nis Domini Nostri Jesu Christi, dup. maj. com. feriæ. cvj.

MARTIUS.

*	d	Kal.	1	B. Joannæ Mariæ Bonomo Virg. O. N. duplex. cviij. com. S. Rudesindi Ep. et Conf. O. N. 348.
xxix	e	vj	2	. . . . . . S. Suitberti Ep. et Conf. O. N. simp. 348.
xxviij	f	v	3	. . . . . . S. Anselmi Abb. O. N. simp. cviij.
xxvij	g	iv	4	S. Casimiri Regis Conf. semid. com. S. Lucii Pap. et Mart. 349.
xxvj	A	iij	5	. . . . . . S. Cunegundis Imperatricis Virg. O. N. simp. 349.
25. xxv	b	Prid	6	. . . . . .
xxiv	c	Non.	7	S. Thomæ Aquinatis Conf. et Doct. duplex. com. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mart. 350.
xxiij	d	viij	8	S. Joannis de Deo Conf. duplex. 351. com. S. Veremundi Abb. O. N. cviij.
xxij	e	vij	9	S. Franciscæ Viduæ Romanæ [illegible] 352.
xxj	f	vj	10	SS. Quadraginta Martyrum, semid. 352.
xx	g	v	11	. . . . . . S. Vincentii Abb. Mart. O. N. simp. com. S. Eulogii Mart. cx.
xix	A	iv	12	S. Gregorii Magni Pap. I Conf. et Eccl. Doct. O. N. duplex ma[j]. 353.
xviij	b	iij	13	. . . . . . SS. Ramiri Abb. et Soc. Monachor. Mart. O. N. simp. cx.
xvij	c	Prid.	14	. . . . . .
xvj	d	Idib.	15	. . . . . .
xv	e	xvij	16	. . . . . . B. Laurentii a Fanello Conf. O. N. simp. 14.
xiv	f	xvj	17	S. Gertrudis Nivigellensis Virg. O. N. duplex. 14.
xiij	g	xv	18	S. Gabrielis Archang. duplex majus. cxj.
xij	A	xiv	19	S. Joseph Sponsi B. M. V. et Catholicæ Ecclesiæ Patroni, dupl. 1 class. 353.
xj	b	xiij	20	S. Patritii Ep. et Conf. d. a. ex 17 hujus, duplex. 355.
x	c	xij	21	S. Patris N. Benedicti Abb. dup. 1 class. cum Octav. licet in Quadragesima et etiam si transferatur post Pascha ex speciali privilegio toti Ordini concesso. 357.
ix	d	xj	22	S. Joseph ab Arimathea Conf. d. a. ex 18 hujus duplex. 15. com. Oct.
viij	e	x	23	De 3 die infra Octav. S. P. N. Benedicti semid.
vij	f	ix	24	De 4 die infra Octav. semid.
vj	g	viij	25	Annuntiatio B. M. V. dup. 2 classis. 359.
v	A	vij	26	De 6 die infra Octav. semid.
iv	b	vj	27	De 7 die infra Octav. semid.
iij	c	v	28	Dies Octava S. P. N. Benedicti, 360.

MARTIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
j	d	iv	29	. . . . . .
*	e	iij	30	. . . . . .
xxix	f	Prid.	31	. . . . . .

FESTA MOBILIA.

Feria VI post Domin. III Quadragesimæ, Sacrorum Quinque vulnerum D. N. J. C. **dup. maj. com. feriæ. cvij.**

Feria VI post Domin. IV Quadragesimæ, Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. **dup. maj. com. feriæ. cvij.**

Feria VI post Domin. Passionis, Septem Dolorum B. M. V. **dup. maj. com. feriæ. 360.**

APRILIS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxix	g	Kal.	1	. . . . . .
xxviij	A	iv	2	**S. Francisci de Paula Conf.** duplex. **362.**
xxvij	b	iij	3	**S. Mariæ Ægyptiacæ Pœnitentis** d. a. duplex. **15.**
25. xxvj	c	Prid.	4	**S. Isidori Episc. Conf. et Doct.** duplex. **363.**
xxv. xxiv	d	Non.	5	**S. Vincentii Ferrerii Conf.** duplex. **363.**
xxiij	e	viij	6	**B. Julianæ a Monte Cornelio Virg. Ord. Cist.** dies assig. ex heri, duplex. **15.**
xxij	f	vij	7	. . . . . .
xxj	g	vj	8	. . . . . .
xx	A	v	9	. . . . . .
xix	b	iv	10	. . . . . .
xviij	c	iij	11	**S. Leonis Magni Papæ I. Conf. et Eccl. Doct.** duplex. **363.**
xvij	d	Prid.	12	. . . . . .
xvj	e	Idib.	13	**S. Hermenegildi Mart.** semid. **com. B. Idæ de Lovanio Virg. O. N. 364.**
xv	f	xviij	14	. . . . . . **SS. Tiburtii et Soc. Mart.** simp. **365.**
xiv	g	xvij	15	. . . . . .
xiij	A	xvj	16	. . . . . . **S. Turibii Episc. Conf.** simp. **cxvij.**
xij	b	xv	17	. . . . . . **S. Aniceti Pap. Mart.** simp. **366. com. B. Joannis de Surdis Ep. Conf. O. N. cxvij.**
xj	c	xiv	18	. . . . . .
x	d	xiij	19	. . . . . . **S. Leonis IX Pap. Conf. O. N.** simp. **15.**
ix	e	xij	20	. . . . . .
viij	f	xj	21	**S. Anselmi Ep. Conf. et Doct. O. N.** duplex. **366.**
vij	g	x	22	**SS. Soteris et Caii Pont. Mart.** sem. **367.**
vj	A	ix	23	**S. Georgii Mart.** sem. **368.**
v	b	viij	24	**S. Fidelis a Sigmaringa Mart.** duplex. **372. com. S. Melliti Ep. Conf. O. N. 369.**
iv	c	vij	25	S. Marci Evangelistæ. **dup. 2 class. 370.**
iij	d	vj	26	**SS. Cleti et Marcellini Pontif. Mart.** semid. **371.**
ij	e	v	27	. . . . . .
j	f	iv	28	**S. Pauli a Cruce Conf.** duplex. **clxxxj. com. S. Vitalis Mart. 372.**
*	g	iij	29	**S. Roberti Abb. Inst. Ord. Cist.** duplex. **373.**
xxix	A	Prid.	30	**S. Catharinæ Senen. Virg.** duplex. **373.**

FESTA MOBILIA.

Dom. III post Pascha, Festum Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V. et Protectoris ac specialis Patroni Congregationis Nostræ, **dupl. 2 class. cum Octav. com. Dom. 374.**

Dom. IV post Pascha. Dies Octav. Patrocinii S. Joseph, duplex. **com. Dom. 374.**

MAJUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxviij	b	Kal.	1	SS. Philippi et Jacobi Apost. **dup. 2 class. 375.**
xxvij	c	vj	2	**S. Athanasii Ep. Conf. et Eccl. Doct.** duplex. **377.**
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, **dupl. 2 class. com. SS. Alexandri, Eventii et Theoduli Mart. ac Juvenalis Ep. Conf. 378.**
25. xxv	e	iv	4	**S. Monicæ Vid.** duplex. **379.**
xxiv	f	iij	5	**S. Hugonis Abb. O. N.** dies assig. duplex. **15.**
xxiij	g	Prid.	6	**S. Joannis Apost. et Evang. ante portam Latinam,** dup. maj. **380.**
xxij	A	Non.	7	**S. Stanislai Ep. et Mart.** duplex. **381.**
xxj	b	viij	8	**Apparitio S. Michaelis Archang.** dup. maj. **382.**
xx	c	vij	9	**S. Gregorii Nazianzeni Ep. Conf. et Eccl. Doct.** duplex. **383.**
xix	d	vj	10	**S. Pharæ Virg. et Abbatiss. O. N. hodie ejus translatio,** duplex. **16. com. SS. Gordiani et Epimachi Mart. 385. et S. Job. 16. ac B. Beatricis Estensis primæ Virg. O. N. 16.**
xviij	e	v	11	**S. Maioli Abb. O. N.** duplex. **16.**
xvij	f	iv	12	**SS. Nerei, Achillei et Domitillæ atque Pancratii Mart.** semid. **386.**
xvj	g	iij	13	**S. Petri Mart.** dies assig. duplex. **385.**
xv	A	Prid.	14	**S. Pii Pap. V. et Conf.** d. a. duplex. **380. com. S. Bonifacii Mart. 387.**
xiv	b	Idib.	15	**S. Berthæ Abbatissæ O. N. non Virg.** d. a. ex 4 hujus, duplex. **16.**
xiij	c	xvij	16	**S. Joannis Nepomuceni Mart.** duplex. **cxxiij.**
xij	d	xvj	17	**S. Paschalis Baylon Conf.** duplex. **387.**
xj	e	xv	18	**S. Venantii Mart.** duplex. **387.**
x	f	xiv	19	**S. Petri Cœlestini Pap. et Conf.** duplex, **com. S. Pudentianæ Virg. 388.**
ix	g	xiij	20	**S. Bernardini Senen. Conf.** sem. **389.**
viij	A	xij	21	(In Italia et Insulis adj.) **S. Felicis a Cantalicio Conf.** semid. **cxxv.** Extra . . .
vij	b	xj	22	**S. Romani Abb. O. N. duplex. 390.**
vj	c	x	23	**S. Antonini Ep. Conf.** dies assig. ex 10 hujus, duplex. **384.**
v	d	ix	24	Beatæ Mariæ Virginis titulo Auxilium Christianorum, **dup. maj. cxxvj.**
iv	e	viij	25	**S. Gregorii Papæ VII. Conf. O. N.** duplex, **com. S. Urbani Pap. Mart. 390.**
iij	f	vij	26	**S. Augustini Anglorum Apostoli Ep. et Conf. O. N.** duplex, **com. S. Eleutherii Pap. et Mart. 392.**
ij	g	vj	27	**S. Bedæ cognomento Venerabilis, Presb. Conf. et Doct. O. N.** duplex, **com. S. Joannis Pap. et Mart. 392.**
j	A	v	28	**S. Philippi Nerii Conf.** d. a. ex 26 hujus, duplex, **393. com. S. Bonifacii Papæ IV et Conf. O.N.397.**
*	b	iv	29	**S. Ubaldi Ep. et Conf.** dies assig. ex 16 hujus, semid. **387. com. S. Gennadii Ep. et Conf. O. N. cxxix.**
xxix	c	iij	30	**S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg.** d. a. semid. **394.** (In Italia dupl.) **com. S. Felicis Pap. Mart. 394.**
xxviij	d	Prid.	31	**S. Angelæ Mericiæ Virg.** duplex, **com. S. Petronillæ Virg. 395.**

FESTA MOBILIA.

Feria quinta post Domin. SS. Trinitatis. Solemnitas SS. Corporis Christi seu SS. Sacramenti, Titularis Congregationis Nostræ, **dup. 1 class. cum Octava privilegiata, apud nos sola**

MAJUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	

duplicia 1 vel 2 class. occurrentia vel etiam translata diebus intra Octavam ex speciali privilegio admittente, et in die Octava, quæ est ritus dup. maj. festa tantum Nativitatis S. Joannis Baptistæ vel SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Feria sexta post Octavam SS. Corporis Christi. Festum SS. Cordis Jesu, dup. 1 class. 396.

JUNIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxvij	e	Kal.	1	. . . . . . S. Enneconis Abb. O. N. simp. cxxx.
25. xxvj.	f	iv	2	. . . . . . SS. Marcellini, Petri et Erasmi Mart. simp. 397.
xxv. xxiv	g	iij	3	S. Clotildis Francorum Reginæ Vid. duplex. 16.
xxiij	A	Prid.	4	S. Francisci Caracciolo Conf. duplex. 398.
xxij	b	Non.	5	S. Bonifacii Ep. Mart. O. N. duplex. 399.
xxj	c	viij	6	S. Claudii Ep. et Conf. O. N. duplex. 17.
xx	d	vij	7	S. Norberti Ep. et Conf. dies assig. duplex. 399.
xix	e	vj	8	. . . . . .
xviij	f	v	9	. . . . . . SS. Primi et Feliciani Mart. simpl. 399.
xvij	g	iv	10	S. Margaritæ Scotorum Reginæ Vid. semid. 400.
xvj	A	iij	11	S. Barnabæ Apost. dup. maj. 400.
xv	b	Prid.	12	S. Joannis a S. Facundo Conf. dupl. 401. com. SS. Basilidis et Soc. Mart. 401. et S. Leonis III Pap. Conf. O. N. 404.
xiv	c	Idib.	13	S. Antonii Patavini Conf. duplex. 402.
xiij	d	xviij	14	S. Basilii Magni Ep. et Eccl. Doct. duplex. 403. com. S. Felicis Mart. O. N. cxxxij.
xij	e	xvij	15	. . . . . . SS. Viti, Modesti et Crescentiæ Mart. simp. 404.
xj	f	xvj	16	(In Gallia) S. Joannis Francisci Regis Conf. semid. 17. Extra...
x	g	xv	17	. . . . . .
ix	A	xiv	18	. . . . . . SS. Marci et Marcelliani Mart. simp. 405.
viij	b	xiij	19	S. Deodati Ep. et Conf. O. N. duplex. 16. com. SS. Gervasii et Protasii Mart. 406.
vij	c	xij	20	S. Julianæ de Falconeriis Virg. d. a. duplex. 406. com. S. Silverii Pap. et Mart. 406. et S. Florentinæ Virg. O. N. cxxxiij.
vj	d	xj	21	S. Aloysii Gonzaga Conf. duplex. 407.
v	e	x	22	. . . . . . S. Paulini Ep. et Conf. simpl. 408.
iv	f	ix	23	. . . . . . Vig. 409. com. S. Ediltrudis Virg. O. N. cxxxiv.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptistæ, dup. 1 class. cum Octav. 410.
ij	A	vij	25	S. Guillelmi Abb. O. N. duplex. 411.
j	b	vj	26	SS. Joannis et Pauli Mart. duplex. 411.
*	c	v	27	De 4 die infra Oct. S. Joannis Bapt. semid. 410.
xxix	d	iv	28	S. Leonis II Papæ et Conf. semid. com. Oct. et Vigil. SS. Apostolorum. 412.
xxviij	e	iij	29	SS. Apostolorum Petri et Pauli. dup. 1 class. cum Octava, 414. com. Omn. SS. Apost. in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa. cxxxv.
[illegible]	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apost. dup. com. S. Petri Apost. et Octav. S. Joannis Baptistæ. 416.

JULIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxvj	g	Kal.	1	Dies Octava S. Joannis Baptistæ duplex, com. Oct. Apost. 418.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. M. V. dup. 2 class. cum Oct. com. SS. Processi et Soc. Mart. 419.
xxiv	b	v	3	De 5 die infra Oct. SS. Apost. sem. com. Oct. Visit. 420.
xxiij	c	iv	4	De 6 die infra Oct. SS. Apost. sem. com. Oct. Visit.
xxij	d	iij	5	De 7 die infra Oct. SS. Apost. sem. com. Oct. Visit.
xxj	e	Prid.	6	Dies Octava SS. Apost. dupl. 421. com. Oct.
xx	f	Non.	7	De 6 die infra Oct. Visitat. B. M. V. sem. 419. com. S. Willebaldi Ep. et Conf. O. N. 422.
xix	g	viij	8	S. Elisabeth Reginæ Portugalliæ Vid. sem. 422. com. Oct. 419. et S. Chiliani Ep. et Mart. O. N. cxxxviij.
xviij	A	vij	9	Dies Octava Visitationis B. M. V. duplex. 419.
xvij	b	vj	10	SS. Septem Fratrum Mart. semid. 422.
xvj	c	v	11	Translatio Reliquiarum S. P. N. Benedicti Abb. dup. 1 class. cum Octava. 17. (Extra Galliam), Commemoratio solemnis S. P. N. Benedicti Abb. dup. 2 class. cum Oct. com. S. Pii I Pap. et Mart. 424.
xv	d	iv	12	S. Joannis Gualberti Abb. Conf. O. N. duplex. com. Oct. et SS. Naboris et Felicis Mart. 425.
xiv	e	iij	13	S. Anacleti Pap. et Mart. sem. com. Oct. 426.
xiij	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Ep. Conf. et Eccl. Doct. duplex, com. Oct. 428.
xij	g	Idib.	15	S. Henrici Imperat. Conf. sem. com. Oct. 429.
xj	A	xvij	16	Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo, dup. maj. com. Oct. 429
x	b	xvj	17	S. Alexii Conf. duplex. 17. com. Oct. et S. Leonis IV Papæ Conf. O. N. 437.
ix	c	xv	18	Dies Octava S. P. N. Benedicti, [illegible] 17. com. SS. Symphorosæ cum Septem Filiis Mart. 431.
viij	d	xiv	19	S. Vincentii a Paulo Conf. dup. 431.
vij	e	xiij	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. dup. com. S. Margaritæ Virg. Mart. 432.
vj	f	xij	21	S. Hydulphi Ep. et Conf. O. N. [illegible] ass. sem. 19. com. S. Praxedis Virg. 434.
v	g	xj	22	S. Mariæ Magdalenæ Pœnit. N. Congregationis Patronæ, dup. 2 class. cum Oct. 435.
iv	A	x	23	S. Apollinaris Ep. et Mart. [illegible] com. Oct. ac S. Liberii Ep. et Conf. 436.
iij	b	ix	24	S. Camilli de Lellis Conf. [illegible] hujus, dupl. 433. com. Oct. Vigil et S. Christinæ Virg. et Mart. 438.
ij	c	viij	25	S. Jacobi Apost. dupl. 2 class. com. S. Christophori Mart. 438.
j	d	vij	26	S. Annæ Matris B. M. V. [illegible] com. Oct. 439.
*	e	vj	27	De 6 die infra Oct. S. Mariæ Magdalenæ, sem. 435. com. S. Pantaleonis Mart. 440.
xxix	f	v	28	SS. Nazarii ac Celsi Mart. Victoris Pap. Mart. et Innocentii Pap. Conf. sem. 440. com. Octav. 435.
[illegible]	g	iv	29	Dies Octava S. Mariæ Magdalenæ [illegible] 435. com. SS. Felicis Papæ,

JULIUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
				Simplicii, Faustini et Beatricis Mart. 442.
xxvij	A	iij	30	S. Marthæ Virg. dies ass. ex heri. sem. 441. com. SS. Abdon et Sennen Mart. 443.
25. xxvj	b	Prid.	31	S. Ignatii de Loyola Conf. duplex. 444.

FESTA MOBILIA.

Dominica prima Julii, Officium Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. **dup. 2 class. 417.**

Dom. infra Octavam Translationis Reliquiarum S. P. N. Benedicti, Translatio S. Matris N. Scholasticæ Virg. dup. **2 class. 18.**

AUGUSTUS.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxv. xxiv	c	Kal.	1	S. Petri Apost. ad Vincula, dup. maj. com. S. Pauli Ap. et SS. Machabæorum Mart. 445.
xxiij	d	iv	2	S. Alphonsi Mariæ de Ligorio Ep. Conf. Doct. duplex, com. S. Stephani Pap. Mart. 446.
xxij	e	iij	3	Inventio Corporis S. Stephani Protomart. sem. 448.
xxj	f	Prid.	4	S. Dominici Conf. duplex. 449.
xx	g	Non.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives. dup. maj. 450.
xix	A	viij	6	Transfiguratio D. N. J. C. dup. maj. com. SS. Xysti Pap. et Soc. Mart. 450.
xviij	b	vij	7	S. Cajetani Conf. duplex. com. S. Donati Ep. et Mart. 451.
xvij	c	vj	8	SS. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart. sem. 452.
xvj	d	v	9	. . . . . . Vigilia com. S. Romani Mart. 453. et SS. Stephani Ab. et Soc. Mart. O. N. cxlvij.
xv	e	iv	10	S. Laurentii Mart. dup. 2 class. cum Oct. 455.
xiv	f	iij	11	De Octava S. Laurentii semid. 455. com. SS. Tiburtii et Susannæ Mart. 456.
xiij	g	Prid.	12	S. Claræ Virg. duplex, com. Oct. S. Laurentii. 456.
xij	A	Idib.	13	S. Radegundis Francorum Reginæ Vid. O. N. duplex. 19. com. Oct. et SS. Hippolyti et Cassiani Mart. 457.
xj	b	xix	14	De 5 die infra Oct. S. Laurentii, semid. com. Vigil. et S. Eusebii Conf. 457.
x	c	xviij	15	Assumptio B. M. V. dup. 1 class. cum Octava. 459.
ix	d	xvij	16	S. Rochi Conf. duplex, cxlix. com. Octavar. Assumpt. et S. Laurentii.
viij	e	xvj	17	Dies Octava S. Laurentii, dup. com. Octav. Assumpt. 462.
vij	f	xv	18	S. Hyacinthi Conf. dies ass. ex 16 hujus, duplex. 461. com. Octav. Assumpt. et S. Agapiti Mart. 463.
vj	g	xiv	19	De 5 die infra Octav. Assumpt. sem. 459.
v	A	xiij	20	S. Bernardi Abb. Doct. duplex, 464. com. Octav. Assumpt.
iv	b	xij	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. duplex. 465. com. Octav. Assumpt. et B. Bernardi Ptolomæi Abb. Institutoris Congregationis Olivetanæ. 470.
iij	c	xj	22	Dies Octava Assumpt. B. M. V. duplex, com. SS. Timothei, Hippolyti et Symphoriani Mart. 466.
	d	x	23	S. Philippi Benitii Conf. duplex. com. Vig. quæ Romæ et aliquibus locis fit die seq. 466.
j	e	ix	24	S. Bartholomæi Apost. dup. 2 class. Romæ et aliquibus locis fit die seq. 25. 468.
*	f	viij	25	S. Ludovici Francorum Regis et Conf. (In Gallia) dup. maj. Romæ fit 26. (Extra Galliam) semid. 469.
xxix	g	vij	26	. . . . . . S. Zephyrini Pap. et Mart. simpl. 470.
xxviij	A	vj	27	S. Josephi Calasanctii C. 470. duplex.
xxvij	b	v	28	S. Augustini Ep. Conf. Doct. duplex, com. S. Hermetis Mart. 471.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ dup. maj. com. S. Sabinæ Mart. 472.
xxv	d	iij	30	S. Fiacrii Conf. O. N. duplex. 20. com. SS. Felicis et Adaucti Mart. 474.
xxiv	e	Prid.	31	S. Raymundi Nonnati Conf. duplex. 474.

FESTA MOBILIA.

Dominica infra Octav. Assumptionis, S. Joachim Patris B. M. V. **dup. maj. com. Domin. 460.**

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxiij	f	Kal.	1	S. Lazari Ep. et Mart. duplex. 20. com. S. Ægidii Abb. et XII Fratrum Mart. 475. ac B. Julianæ de Collalto Virg. O. N. cliij.
xxij	g	iv	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. sem. 476. com. S. Nonnosi Abb. O. N. 477.
xxj	A	iij	3	S. Rosæ Limanæ Virg. dies ass. ex 30 August. duplex. 473. com. SS. Aigulphi Abb. et Soc. Mart. 21.
xx	b	Prid.	4	(In Italia) S. Rosæ Viterbien. Virg. duplex. cliij. Extra . . .
xix	c	Non.	5	S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf. semid. 477.
xviij	d	viij	6	. . . . . .
xvij	e	vij	7	. . . . . . S. Reginæ Virg. Mart. simp. 21.
xvj	f	vj	8	Nativitas B. M. V. dup. 2 class. cum Octav. com. S. Adriani Mart. 477.
xv	g	v	9	De 2 die infra Oct. Nativit. B. M. V. sem. com. S. Gorgonii Mart. 480.
xiv	A	iv	10	S. Nicolai de Tolentino Conf. duplex. 480. com. Octav.
xiij	b	iij	11	De 4 die infra Octav. sem. com. SS. Prothi et Hyacinthi Mart. 480.
xij	c	Prid.	12	De 5 die infra Octav. semid.
xj	d	Idib.	13	De 6 die infra Octav. semid.
x	e	xviij	14	Exaltatio SS. Crucis, dup. maj. 480. com. Oct.
ix	f	xvij	15	Dies Octav. Nativitatis B. M. V. duplex, com. S. Nicomedis Mart. 481.
viij	g	xvj	16	SS. Cornelii et Cypriani Pont. Mart. semid. com. S. Edithæ Virg. et SS. Euphemiæ, Luciæ ac Geminiani Mart. 482.
vij	A	xv	17	Impressio Sacror. Stigmatum in corpore S. Francisci Assisien. duplex. 483. com. S. Columbæ Virg. Mart. O. N. clv.
vj	b	xiv	18	S. Josephi a Cupertino Conf. duplex. 484.
v	c	xiij	19	SS. Januarii Ep. et Soc. Mart. duplex. com. S. Theodori Ep. Conf. O. N. 485
iv	d	xij	20	SS. Eustachii et Socior. Mart. duplex. com. Vigil. 487.
iij	e	xj	21	S. Matthæi Apost. et Evang. dupl. 2 class. 488.

SEPTEMBER.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
ij	f	x	22	S. Thomæ a Villanova Ep. Conf. duplex, com. SS. Mauritii et Socior. Mart. 489.
j	g	ix	23	S. Lini Pap. et Mart. sem. com. S. Theclæ Virg. et Mart. 490.
*	A	viij	24	B. M. V. de Mercede, dupl. maj. 491.
xxix	b	vij	25	. . . . . . S. Gerardi Ep. Mart. O. N. simpl. clvij.
xxviij	c	vj	26	. . . . . . SS. Cypriani et Justinæ Mart. simpl. 491.
xxvij	d	v	27	SS. Cosmæ et Damiani Mart. semid. 491.
25. xxvj	e	iv	28	S. Wenceslai Bohemiæ Ducis Mart. semid. 492.
xxv. xxiv	f	iij	29	Dedicatio S. Michaelis Archang. Nostræ Congregat. Patroni secundarii, dup 2 class. cum Oct. 493.
xxiij	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presb. Conf. et Doct. duplex. 494. com. Octav.

FESTA MOBILIA.

Dominica infra Oct Nativitatis B M. V., SS. Nominis ejusdem B. M. V. **dupl. maj. com. Dom. 478.**

Dominica III Septembris, Septem Dolorum B. M. V, **dup. maj. com. Dominicæ. 481.**

OCTOBER.

xxij	A	Kal.	1	S. Remigii Ep. et Conf. (In Gallia dupl.) Extra Galliam semid. ad libitum vel simp. de præcepto. 495.
xxj	b	vj	2	SS. Angelorum Custodum, dup maj. 495.
xx	c	v	3	De 3 die infra Octav. semid. 493.
xix	d	iv	4	S. Francisci Assisien. Conf. duplex. 497. com. Oct.
xviij	c	iij	5	SS. Placidi et Socior. Mart. O. N. dup. 2 class. 497. com. S. Attiliani Ep. et Conf. O. N. 21.
xvij	f	Prid.	6	Dies Octava S. Michaelis Archang. duplex. 493.
xvj	g	Non.	7	S. Justinæ Virg. et Mart. duplex. 499. com. S. Marci Pap Conf. et SS. Sergii et Soc. Mart. 500.
xv	A	viij	8	S. Pelagiæ Pœnit. duplex. 21.
xiv	b	vij	9	SS. Dionysii Ep. et Soc. Mart. sem. (Parisiis tantum dup. maj.) 501.
xiij	c	vj	10	S. Francisci Borgia Conf. semid. 503. com. S. Paulini Ep. Conf. O. N. 502.
xij	d	v	11	S. Brunonis Ord. Cartus. Inst. Conf. dies assig. ex 6 hujus, duplex. 498.
xj	e	iv	12	S. Birgittæ Vid. dies assig. ex 8 hujus, duplex. 501.
x	f	iij	13	S. Eduardi Anglorum Regis Conf. semid. 504.
ix	g	Prid.	14	S. Callixti Pap. Mart. duplex. 503.
viij	A	Idib.	15	S. Theresiæ Virg. duplex. 506. com. S. Brunonis Ep. Mart. et S. Theclæ Virg. Abbatissæ O. N. clxij.
vij	b	xvij	16	S. Galli Abb. O. N. duplex. 506.
vj	c	xvj	17	S. Hedwigis Vid. sem. 506.
v	d	xv	18	S. Lucæ Evang. dup. 2 class. 506.
iv	e	xiv	19	S. Petri de Alcantara Conf. duplex. 507.
iij	f	xiij	20	S Joannis Cantii Conf. duplex. 508.
ij	g	xij	21	S. Aureæ Virg. O. N. d. a. semid. 21. com. S. Hilarionis Abb. et SS. Ursulæ et Soc. Virg. Mart. 509.
j	A	xj	22	. . . . . .
*	b	x	23	Sanctissimi Redemptoris Jesu Nazareni. dupl. maj. cxl.
[illegible]	c	ix	24	S. Raphaelis Archang. dupl. maj. clxv.

OCTOBER.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xxviij	d	viij	25	. . . . . . SS. Chrysanti et Dariæ Mart. simpl. 509.
xxvij	e	vij	26	. . . . . . S. Evaristi Pap. et Mart. simp. 510.
xxvj	f	vj	27	. . . . . . Vigilia. 510.
xxv	g	v	28	SS. Simonis et Judæ Apost. dupl. 2 class. 511.
25. xxiv	A	iv	29	. . . . . .
xxiij	b	iij	30	SS. Reliquiarum seu com. SS. Martyr. et aliorum quorum reliquiæ in Eccl. O. N. asservantur luj maj. 512.
xxij	c	Prid.	31	. . . . . . Vigilia. 513.

FESTA MOBILIA.

Dominica quæ vel occurrit in Kalendis, vel prima est post Kalendas hujus mensis, celebratur Festum Rosarii B. M. V. **dupl. maj. com. Dom. 495.**

Dominica II Octobris, Festum Maternitatis B. M. V. **dup. maj. com. Dominicæ. clviij.**

Dominica III Octobris, Festum Puritatis B. M. V. **dup. maj. com. Dominicæ. clxj.**

Dominica IV Octobris, Festum Patrocinii B. M. V. **dup. 2 class. com. Dominicæ. clxvij.**

NOVEMBER.

xxj	d	Kal.	1	Solemnitas Omnium Sanctorum. dup. 1 class cum Octav. 515.
xx	e	iv	2	De 2 die infra Oct. sem. Commemorat. Omnium Fidelium Defunctorum sub ritu dupl. lxv.
xix	f	iij	3	De 3 die infra Oct. Omn. Sanctorum, semid. 515.
xviij	g	Prid.	4	S. Caroli Ep et Conf. duplex, com. Octav. et SS. Vitalis et Agricolæ Mart. 516.
xvij	A	Non.	5	S. Bertillæ Virg. Abbatissæ O. N. duplex. 21. com. Octav.
xvj	b	viij	6	De 6 die infra Octav. Omnium Sanctorum. sem. 515.
xv	c	vij	7	Translatio Reliquiarum S. Mauri Abb. dup. maj. 22. com. Oct.
xiv	d	vj	8	Dies Octava Omnium Sanctorum, duplex, com. SS. Quatuor Coronat. Mart. 518.
xiij	e	v	9	Dedicatio Archibasilicæ SS. Salvatoris, duplex. com. S. Theodori Mart. 518.
xij	f	iv	10	S. Andreæ Avellini Conf. duplex. 521. com. SS. Tryphonis et Soc. Mart. 518. ac S. Justi Ep. et Conf. O. N. 518.
xj	g	iij	11	S. Martini Ep. et Conf. dup. maj. com. S. Mennæ Mart. 519.
x	A	Prid.	12	S. Æmiliani Abb. O. N. duplex. 520.
ix	b	Idib.	13	Festum Omnium Sanctorum Ordinis S. P. N. Benedicti, dup. 2 class. 520.
viij	c	xviij	14	S. Vitonis Ep. et Conf. O. N. dies ass. sem. 22. Commemoratio Omnium Defunctorum O. N. duplex. 521.
vij	d	xvij	15	S. Martini Pap. et Mart. dies ass. ex 12 hujus, semid. 521.
vj	e	xvj	16	S. Didaci Conf. dies ass. ex 13 hujus, semid. 522.
v	f	xv	17	S. Gertrudis Magnæ Virg. Abbatis O. N. dup. 2 class. 523.
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicar. SS. Petri et Pauli Apost. duplex. 523.
iij	A	xiij	19	S. Elisabeth Reg. Hungariæ Vid. duplex. com. S. Pontiani Pap. et Mart. 523.
ij	b	xij	20	S. Felicis de Valois Conf. duplex. 524.

NOVEMBER.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
j	c	xj	21	Præsentatio B. M. V. dup. 2 class. cum Octav. 524.
*	d	x	22	S. Cæciliæ Virg. Mart. duplex. 525. com. Octav.
xxix	e	ix	23	S. Clementis Pap. Mart. duplex. com. Octav. ac S. Felicitatis Mart. 525.
xxviij	f	viij	24	S. Columbani Abb. O. N. duplex, com. Octav. ac S. Chrysogoni Mart. 527.
xxvij	g	vij	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. duplex. 527. com. Octav.
25. xxvj	A	vj	26	S. Silvestri Abb. O. N. duplex. com. Octav. et S. Petri Alexandrini Ep. Mart. 527.
xxv. xxiv	b	v	27	S. Odonis Abb. O. N. duplex. clxxiv. com. Octav.
xxiij	c	iv	28	Dies Octava Præsentationis B. M. V. duplex. 524.
xxij	d	iij	29	S. Gregorii Thaumaturgi Ep. Conf. dies ass. ex 17 hujus, sem. 297. (Romæ dupl.) com. Vig. 299. et S. Saturnini Mart. 298.
xxj	e	Prid.	30	S. Andreæ Apost. dup. 2 class. 299.

FESTA MOBILIA.

Dominica prima post Octavam Omnium Sanctorum, juxta decretum E. Card. Caprara S. Sedis Apostolicæ apud Gallias Legati a Latere, celebrari debet in tota Gallia (et Belgio) Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ, **dup. 1 class. cum Oct.** pro Ecclesiis Nostræ Congregationis in Gallia quæ consecratæ sunt **ideoque suam hodie celebrant propriam Dedicationem una cum dedicatione Ecclesiæ Cathedralis suæ respectivæ Diœcesis** ; in aliis vero quæ non sunt consecratæ, aut de quarum consecratione non certo constat, **ideoque non suam, sed tantum Ecclesiæ Cathedralis suæ respectivæ Diœcesis celebrant juxta decretum S. R. C. 1 Aprilis 1662, dup. 2 class. sine Octav. xxvij.**

DECEMBER.

Cyclus Epact.	L. D.		D. M.	
xx	f	Kal.	1	S. Joannis a Cruce Conf. dies ass. ex 24 Novem. duplex. 297.
xix	g	iv	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. semid. 301.
xviij	A	iij	3	S. Francisci Xaverii Conf. duplex. 302.
xvij	b	Prid.	4	S. Barbaræ Virg. Mart. dup. xxxj, 23. (In Gallia) Illatio Reliquiarum S. P. N. Benedicti dup. maj. 23.
xvj	c	Non.	5	(Extra Galliam) S. Petri Chrysologi Ep. Conf. Doct. duplex, d. a. ex heri 304. com. S. Sabbæ Abb. 303. (In Gallia) S. Barbaræ Virg. Mart. duplex, dies ass. ex 4 hujus. xxxj, 23. com. S. Sabbæ Abb. 304.
xv	d	viij	6	S. Nicolai Ep. et Conf. duplex. 304.
xiv	e	vij	7	S. Ambrosii Ep. Conf. et Eccl. Doct. duplex. 305.
xiij	f	vj	8	Immaculata Conceptio B. M. V. dup. 2 class. cum Octav. 23.
xij	g	v	9	(Extra Galliam) De 2 die infra Oct. semid. 23. (In Gallia) S. Petri Chrysologi Ep. Conf. Doct. duplex, dies ass. ex 4 hujus. 303.
xj	A	iv	10	De 3 die infra Octav. semid. com. S. Melchiadis Pap. Mart. 308. (Romæ et in statu Eccles. ac aliis in locis), Translatio Almæ Domus Lauretanæ, dup. maj. com. S. Melchiadis Pap. Mart. lxxxv.
x	b	iij	11	S. Damasi Pap. et Conf. semid. 308. com. Octav.
ix	c	Prid.	12	De 5 die infra Octav. semid.
viij	d	Idib.	13	S. Luciæ Virg. Mart. duplex. 309. com. Octav.
vij	e	xix	14	De 7 die infra Octav. sem. com. S. Dominici Silensis Abb. O. N. lxxxvj.
vj	f	xviij	15	Dies Octava Immaculatæ Conceptionis B. M. V. duplex. 23.
v	g	xvij	16	S. Eusebii Ep. et Mart. semid 310.
iv	A	xvj	17	. . . . . .
iij	b	xv	18	Expectatio Partus B. M. V. dupl. maj. 310.
ij	c	xiv	19	. . . . . .
j	d	xiij	20	. . . . . . Vigilia (de qua nihil in Officio). 311.
*	e	xij	21	S. Thomæ Apost. dupl. 2 class. 311.
xxix	f	xj	22	. . . . . .
xxviij	g	x	23	. . . . . .
xxvij	A	ix	24	Vigilia Nativitatis D. N. J. C. 12.
xxvj	b	viij	25	Nativitas D. N. J. C. dupl. primæ classis cum Octav. 13.
25. xxv	c	vij	26	S. Stephani Protomart. dup. 2 class. cum Octav. 16. com. Octav. Nativitatis et Omnium Sanctorum Martyrum in utrisque Vesperis, Laudibus ac Missa. lxxxvij.
xxiv	d	vj	27	S. Joannis Apost. et Evang. dupl. 2 class. cum Octav. 17. com. duar. Oct.
xxiij	e	v	28	SS. Innocentium Mart. dupl. 2 class. cum Octav. 18. com. trium Octav.
xxij	f	iv	29	S. Thomæ Canthuarien. Ep. Mart. semid. 20. com. quatuor Octav.
xxj	g	iij	30	De Dominica infra Oct. Nativit. vel de Octav. sem. 21. com. aliarum Oct.
19. xx	A	Prid.	31	S. Silvestri Papæ Conf. duplex. 22. com. Octav.

Hæc Epacta 19, nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero xix.

OFFICIA VOTIVA PER ANNUM.

In Officio Votivo Sanctissimi Sacramenti serventur adamussim concessiones factæ a Sacra Rituum Congregatione die 14 Junii 1845.

Idem dicatur de Officio Votivo Reparationis injuriarum Sanctissimo Sacramento illatarum.

Qualibet hebdomada feria tertia sive alia non impedita extra Advent. Quadrag. Octavas, Ferias et Vigilias privilegiatas S. P. N. Benedicto.

Quolibet Sabbato ut supra non impedito de Immaculata Conceptione B. M. V.

Semel in mense feria ut supra non impedita de S. Scholastica.

MONITUM.

Conceditur facultas ut Festa mobilia determinatis nempe Feriis vel Dominicis affixa in casu impedimenti transferri valeant ad primas insequentes dies liberas juxta Rubricas : attamen officia Mysteriorum et Instrumentorum Dominicæ Passionis post menses Januarium, Februarium et Martium adnotata non debent transferri ultra Quadragesimam.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

SUB INVOCATIONE ADORATIONIS PERPETUÆ SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Quum Sanctimoniales Ordinis Sancti Benedicti sub invocatione Adorationis perpetuæ Sanctissimi Sacramenti degentes in Asceterio Civitatis Atrebaten., ancipites hæreant num Festa nonnulla in eorum Kalendario admissa fuerint sine Apostolicæ Sedis Indulto, statuerunt Kalendarium ipsum reformare illudque Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX exhibere humiliter postulantes ut Kalendarium ipsum approbare dignaretur illudque non solum Oratricibus Sanctimonialibus, sed etiam omnibus ejusdem Instituti Sanctimonialibus, concedere ut in cunctis Asceteriis Instituti ipsius exoptata in Ecclesiastica Liturgia uniformitas habeatur. Sanctitas porro Sua referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario benigne quæ sequuntur privilegia indulgere dignata est nimirum : 1° Concessit ut Kalendarium suprascriptum ab eadem Sacra Rituum Congregatione revisum et correctum modo quo prostat in superiori Exemplari assumere valeant cum respectivo Proprio Missarum Sanctimoniales Instituti enuntiati degentes in Asceteriis Diœceseos Atrebaten. addita facultate ut Sacerdotes in earumdem Ecclesiis vel Sacellis Sacrum facturi Missas officiis respondentes celebrare valeant. 2° Necessarias et opportunas facultates concedere dignata est R^{mis} Ordinariis illarum Diœcesium in quibus erecta sunt vel postea erigentur Asceteria ejusdem Instituti ut nomine et auctoritate Sanctæ Sedis concedere valeant ut Sanctimoniales ibi degentes assumere possint supradictum Kalendarium et Proprium cum privilegio supra enunciato, dummodo id petatur ab iisdem R^{mis} Ordinariis per Superiorissam cujuslibet Asceterii habito prius consensu a Sanctimonialibus capitulariter congregatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 7 Septembris 1871.

C. Epus Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Præf.

Locus † sigilli.

D. BARTOLINI, S. R. C. Secretarius.

MISSÆ PROPRIÆ.

DE EXPOSITIONE SANCTISSIMI SACRAMENTI

SINGULIS FERIIS QUINTIS

ET DE MISSA IISDEM DIEBUS DICENDA.

De Expositione Sanctissimi Sacramenti. Qualibet Feria quinta Sanctissimum Sacramentum exponetur in Ecclesiis Sanctimonialium Ordinis S. Benedicti Adorationis Perpetuæ. (*S. R. C. die* 23 *Aug*. 1704.)

De Missa Solemni coram S^me^ Sacramento. I. Singulis Feriis quintis, exceptis tamen illis quæ occurrunt in Vigilia Nativitatis Domini, in Duplicibus primæ et secundæ classis, infra Octavas Epiphaniæ Paschæ et Pentecostes, cantabitur Missa votiva Solemnis de Sanctissimo Sacramento. (*S. R. C. die* 23 *Aug*. 1704.)

Missa vero cantabitur cum *Gloria, Credo*, cum Sequentiæ parte ultima, *Ecce panis Angelorum*, etc. ut infra scribitur. (*S. R. C.* 14 *Junii* 1845, *in Atrebaten*. — 10 *Aprilis* 1848, *in Nanceyen.*, *p.* 86.) Una dicitur tantum Oratio in hac votiva solemni si plures in Monasterio celebrantur Missæ: adduntur vero Commemorationes de die aliæque occurrentes juxta Rubricas, si non adsit alia Missa præter solemnem (*Gardellini additamentum* 4512-4362. *S. R. C. die* 22 *Julii* 1848, *in Tornacen.*)

II. Diebus autem supra exceptis quibus prohibetur Missa votiva solemnis de Sanctissimo Sacramento cantabitur Missa officio diei correspondens et Commemorationes fient prout præscribit decretum S. R. C. diei 23 Julii 1736 in Brugen. ad 8.

De Missis privatis. Missæ vero privatæ semper dicuntur conformes Officio : quando vero fit officium hebdomadarium de Sanctissimo Sacramento, Missa dicitur votiva de Sanctissimo Sacramento ut in Missali Salviucci XXXI cum Commemorationibus jam in Laudibus factis aliisque occurrentibus juxta Rubricas et recitantur *Gloria, Credo*.

Si Missa dicatur privata coram Sanctissimo Sacramento exposito, aliquando fit Commemoratio de Sanctissimo Sacramento, aliquando vero non, prout præscribit decretum S. R. C., diei 2 Sept. 1741, in Aquen., ad 5.

MISSA VOTIVA SOLEMNIS

FERIA QUINTA

PER ANNUM.

Introitus. *Psalm.* 80.

Cibavit eos ex ádipe fruménti, allelúia ; et de petra, melle saturávit eos, allelúia, allelúia, allelúia. Psalm. Exultáte Deo adjutóri nostro : jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 11. d.

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebá-

tur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit: Accípite et manducáte: Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem postquam cœnávit dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine: hoc fácite quotiescúmque bibétis in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo; et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale. Psalm. 144. Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúia, allelúia. ℣. Joann. 6. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet et ego in eo.

Sequentia.

Ecce panis Angelórum, factus cibus viatórum: vere panis filiórum, non mitténdus cánibus.

In figúris præsignátur, cum Isaac immolátur, agnus Paschæ deputátur, datur manna pátribus.

Bone pastor, panis vere, Jesu, nostri miserére: tu nos pasce, nos tuére, tu nos bona fac vidére in terra vivéntium.

Tu, qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortáles; tuos ibi commensáles, cohærédes et sodáles fac sanctórum cívium. Amen. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Lucæ 24. Cognovérunt Discípuli Dóminum Jesum in fractióne panis. Allelúia. ℣. Joann. 6. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet et ego in eo.

Sequentia. Ecce panis Angelórum. ut supra.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 6.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. Credo.

Offertorium. Levit. 21. Sacerdótes Dómini, incénsum et panes ófferunt Deo: et ídeo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus, allelúia.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mystice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate. Quia per incarnáti Verbi.

Communio. 1. Cor. 11. Quotiescúmque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat: ítaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini, allelúia.

Postcommunio.

Fac nos, quæsumus Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri, quam pretiósi Córporis et Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

MISSA VOTIVA SOLEMNIS

POST SEPTUAGESIMAM USQUE AD PASCHA.

Introitus. *Psalm.* 80.

Cibavit eos ex ádipe fruménti, et de petra, melle saturávit eos. Psalm. **Exultáte Deo adjutóri nostro : jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili, passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 11. d.

Fratres, ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit : Accípite et manducáte : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem postquam cœnávit dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale. Ps. 144. **Oculi ómnium in te sperant Dómine : et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam : et imples omne ánimal benedictióne.**

Tractus. Mal. 1. **Ab ortu solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in Géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur, et offértur nómini meo oblátio munda : quia magnum est nomen meum in Géntibus.** ℣. Prov. 5. **Veníte, comédite panem meum : et bíbite vinum quod míscui vobis.**

Sequentia.

Ecce panis Angelórum, factus cibus viatórum : vere panis filiórum, non mitténdus cánibus.

In figúris præsignátur, cum Isaac immolátur, agnus Paschæ deputátur, datur manna pátribus.

Bone pastor, panis vere, Jesu, nostri miserére : tu nos pasce, nos tuére : tu nos bona fac vidére in terra vivéntium.

Tu, qui cuncta scis et vales, qui nos pascis hic mortáles; tuos ibi commensáles, cohærédes et sodáles fac sanctórum cívium. Amen.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 6.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis Judæórum : Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. Credo.

Offertorium. Levit. 21. Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo : et ídeo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde : quæ sub oblátis munéribus mystice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. 1. Cor. 11. Quotiescúmque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat : itaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit Córporis et Sánguinis Dómini.

Postcommunio.

Fac nos quæsumus Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri, quam pretiósi Córporis et Sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat : Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

MISSA PRIVATA.

Introitus. *Psalm.* 80.

Cibavit eos ex ádipe fruménti et de petra, melle saturávit eos. Tempore Paschali additur Allelúia, allelúia. Psalm. Exultáte Deo adjutóri nostro, jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nobis, sub Sacraménto mirábili, Passiónis tuæ memóriam reliquísti : tríbue quæsumus, ita nos Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 11. e.

Fratres, Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem et grátias agens fregit et dixit : Accípite et manducáte : Hoc est corpus meum quod pro vobis tradétur : hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens : Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite quotiescúmque bibétis in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc et cálicem bibétis : mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit : non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale. Ps. 144. Oculi omnium in te sperant, Dómine, et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúia, allelúia. ℣. Joan. 6. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus : qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet et ego in eo, allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et versu sequenti, dicitur Tractus. Malach. 1. Ab ortu solis usque ad occásum magnum est nomen meum in Géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur et offértur nómini meo oblátio munda : quia magnum est nomen meum in Géntibus. ℣. Veníte, comédite panem meum et bíbite vinum quod míscui vobis.

Tempore Paschali omittitur Gra-

duale, et ejus loco dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 24. Cognovérunt discípuli Dóminum Jesum in fractióne panis, allelúia. ℣. Joann. 6. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet et ego in eo, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 6. f.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cœlo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Offertorium. Levit. 21. Sacerdótes Dómini, incénsum et panes ófferunt Deo; et ídeo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus. Tempore Paschali additur Allelúia.

Secreta.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mystice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini. Quia per incarnáti Verbi.

Communio 1. Cor. 11. Quotiescúmque manducábitis panem hunc et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis donec véniat: ítaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Tempore Paschali additur Allelúia.

Postcommunio.

Fac nos, quæsumus Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri, quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat. Qui vivis.

IN SOLEMNITATE

REPARATIONIS SACROSANCTI SACRAMENTI.

FERIA V. SEXAGESIMÆ AC UNAQUAQUE PRIMA FERIA V. CUJUSQUE MENSIS, EXTRA TEMPUS PASCHALE, JUXTA SUPERIUS DICTA UBI DE MISSA DE SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Introitus. *Psalm.* 73.

Exsurge, Deus, júdica causam tuam; memor esto imprope𝑟iórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die. Psalm. Ut quid, Deus, repulísti in finem? Irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri.

Oratio.

Adeuntes cum fidúcia ad thronum grátiæ tuæ, Dómine Jesu, propítius réspice et exáudi; ut glória tua, quæ in sacraménto amóris tui perpétuis impiórum contuméliis impétitur, perpétuo quoque tibi famulántium cultu reparétur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 10. d

Fratres, Habéntes fidúciam in intróitu sanctórum in sánguine Christi, quam initiávit nobis viam novam, et vivéntem per velámen, id est, carnem suam, et sacerdótem magnum super domum Dei: accedámus cum vero corde in plenitúdine fidei, aspérsi corda a consciéntia mala, et ablúti corpus aqua munda: teneámus spei

nostræ confessiónem indeclinábilem (fidélis enim Deus est qui repromísit), et considerémus ínvicem in provocatiónem charitátis, et bonórum óperum ; non deseréntes collectiónem nostram, sicut consuetúdinis est quibúsdam, sed consolántes, et tanto magis quanto vidéritis appropinquántem diem. Voluntárie enim peccántibus nobis, post accéptam notítiam veritátis, jam non relínquitur pro peccátis hóstia, terríbilis autem quædam expectátio judícii, et ignis æmulátio, quæ consumptúra est adversários. Irritam quis fáciens legem Móysi, sine ulla miseratióne duóbus vel tribus téstibus móritur : Quanto magis putátis deterióra meréri supplícia, qui Fílium Dei conculcáverit, et sánguinem testaménti pollútum dúxerit, in quo sanctificátus est, et Spirítui grátiæ contuméliam fécerit ? Scimus enim qui dixit : Mihi vindícta, et ego retríbuam ; et íterum : Quia judicábit Dóminus pópulum suum. Horréndum est incídere in manus Dei vivéntis.

Graduale. Psalm. 73. Quanta malignátus est inimícus in sancto ! Incendérunt igni sanctuárium tuum ; in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui. ℣. Usquequo Deus impropperábit inimícus ? Irritat adversárius nomen tuum in finem ?

Allelúia, allelúia. ℣. Apoc. 5. Dignus es, Dómine, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem.

Sequentia.

Jesu mitis, expiátum
Mundi tollis qui peccátum,
Quo te flemus conculcátum
Tolle nefas ímpium.
Os occlúde blasphemánti,
Sana mentem nauseánti,
Ne des sanctum usurpánti,
Ne te credas non amánti,
Fac te cuncti páveant.
Scelus adhuc dum vidémus
Fletus præter quid nos demus ?
En nos tibi devovémus :
Fletus ipse quos spondémus,
Da qui tibi pláceant.
Amen. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, Versu sequenti et Sequentia dicitur Tractus. Dan. 9. Peccávimus, iniquitátem fécimus (Dómine), in omnem justítiam tuam. ℣. Avertátur, óbsecro, ira tua, et furor tuus a civitáte tua, et monte sancto tuo. ℣. Tibi, Dómine, justítia ; nobis autem confúsio faciéi ; tibi, Dómino Deo nostro, misericórdia et propitiátio. ℣. Nunc ergo, exáudi, Deus noster, oratiónem nostram, et osténde fáciem tuam super sanctuárium tuum quod desértum est, propter temetípsum. ℣. Inclína, Deus meus, aurem tuam, et audi ; áperi óculos tuos et vide desolatiónem nostram. ℣. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. ℣. Exáudi, Dómine, placáre, Dómine ; atténde et fac ; ne moréris propter temetípsum, Deus meus. ℣. Quia nomen tuum invocátum est super civitátem, et super pópulum tuum.

Et deinceps dicitur Sequentia Jesu mitis, expiátum, sed in fine non additur Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 22. a

In illo témpore : Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et Pharisæis in parábolis, dicens : Símile factum est regnum cœlórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo, et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias ; et nolébant veníre. Iterum misit álios servos dicens : Dícite invitátis : Ecce prándium meum parávi, tauri mei et altília occísa sunt, et ómnia paráta ; veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt, et abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatió-

nem suam ; réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis afféctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est ; et missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis : Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes quos invenérunt, malos et bonos, et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi : Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem ? At ille obmútuit. Tunc dixit Rex minístris : Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres ; ibi erit fletus et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti. Credo.

Offertorium. 2. Mac. 1. Dómine, Deus ómnium Creátor, terríbilis et fortis, justus et miséricors, qui solus es bonus Rex, solus præstans, solus justus, et omnípotens et ætérnus, qui líberas Israel de omni malo, áccipe sacrifícium pro univérso pópulo tuo, et custódi partem tuam, et sanctífica ; contémptos et abominátos réspice, ut sciant gentes quia tu es Deus noster.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, de manu humilitátis nostræ, sacrifícium propitiatiónis, et præsta ; ut quod in honórem Fílii tui Dómini nostri, majestáti tuæ supplíciter offérimus, per hoc infiníta quæ propter nímiam suam in nos charitátem récipit oppróbia reparémus. Qui tecum.

Præfatio.

Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen. ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. ℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum. ℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per Christum Dóminum nostrum, verum æternúmque Pontíficem, et solum sine peccáti mácula sacerdótem, cujus sánguine fidélium corda mundántur ; cujus institutióne, placatiónis tibi hóstias non solum pro delíctis pópuli, sed étiam pro nostris offensiónibus, immolámus. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes ; Cœli cœlorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes :

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cœli et terra glória tua, Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini, Hosánna in excélsis.

Communio. 1 Cor. 11. Probet autem seípsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat ; qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit, non dijúdicans Corpus Dómini.

Postcommunio.

Clementissime Jesu, qui étiam Córporis et Sánguinis tui reos, a misericórdiæ tuæ viscéribus non repéllis : concéde propítius ; ut quibus ineffábilis hujus mensæ participátio fuit in láqueum, fiat illis póstmodum in salútis remédium et amóris aliméntum. Qui vivis et regnas.

FESTA JANUARII.

DIE XV. JANUARII.

S. MAURI, ABBATIS.

Introitus. *Psalm.* 76.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis, et vestígia tua non cognoscéntur : deduxísti sicut oves pópulum

tuum. Psalm. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ, et timuérunt, et turbátæ sunt abyssi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Maurum Abbátem ad imitándum obediéntiæ exémplum sicco pede super aquas ambuláre fecísti : concéde, ut et virtútum ipsíus implére documénta et præmiórum obtinére consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45. a.

Dilectus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit eum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Isaiæ 43. Ab Oriénte addúcam semen tuum, et ab Occidénte congregábo te. ℣. Cum transíeris per aquam tecum ero, et flúmina non opérient te.

Allelúia, allelúia. ℣. Prov. 21. et Ps. 111. Vir obédiens loquétur victórias, et in domo ejus divítiæ et glória.

Sequentia.

Miraculorum patrátor,
Benedícti imitátor
Maurus, lumen Gálliæ.
Maure, solis Oriéntis
Fers in plagas Occidéntis
Lucem sanctæ Régulæ.
Undas olim velut Petrus,
Jubénte patre, secúrus
Pédibus calcáverat.
Flúctibus periclitántem
Plácidum et naufragántem
Salúti reddíderat.
Talem Pater monachórum
Mittit ad regna Francórum
Præceptórem géntibus.
Huic via Oriéntis
Benedícti ascendéntis
Fulget in cœléstibus.
Quantos greges cóngregat Dómino !
Ipsos reges regit consílio
Et juvat Pontífices.
Vitæ formam et virtútis
Docet, et vias salútis,
Mentes firmat légibus.
Reddit lumen cæcutiéntibus,
Sanitátem dat moriéntibus,
Longe fugat dæmones.
Audit vocem creatúra
Imperántis, et natúra
Mauri paret nútibus.
Pie pater, rector morum,
Apóstole monachórum,
Tu, memor discipulórum,
Duc nos per calles Sanctórum
Ad cœlórum præmia.
Fac nos mundi contemptóres,
Inférni triumphatóres,
Dei veros amatóres,
Ejusdémque possessóres
Per ætérna sæcula.
Amen. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 19. d.

In illo témpore : Dixit Petrus ad Jesum : Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te; quid ergo erit nobis ? Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israel. Et omnis qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Credo.

Offertorium. Isaiæ 58. Ædificabúntur in te desérta sæculórum ; fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis, avértens sémitas in quiétem ; et cibábo te hæreditáte patris tui.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, beáti Mauri Abbátis precátio sancta concíliet ; ut cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Communio. Joann. 15. Ego elégi vos, et pósui vos ut eátis, et fructum afferátis , et fructus vester máneat : ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Postcommunio.

Supplices te rogámus , omnípotens Deus, ut quos donis cœléstibus satiásti, intercedénte beáto Mauro Abbáte, perpétua protectióne custódias. Per Dóminum.

DIE XIX. JANUARII.

IN FESTO INVENT. PUERI JESU IN TEMPLO IN MEDIO DOCTORUM.

Introitus. *Psalm.* 26.

Exaudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te : tibi dixit cor meum ; quæsívi vultum tuum, vultum tuum, Dómine, requíram : ne avértas fáciem tuam a me. Psalm. Dóminus illuminátio mea, et salus mea, quem timébo? ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui pulsántibus áperis et quæréntibus te benígnus occúrris : concéde propítius, ut intercedénte gloriósa Dei Genitríce María, sédula te semper devotióne quærere, et felíciter inveníre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3. a.

Surgam, et circuíbo civitátem : per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea : quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem : Num quem díligit ánima mea vidístis ? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea. Ténui eum nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam donec ipsa velit. Póne me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum, quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Psalm. 144. Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum, ómnibus qui ínvocant eum in veritáte. ℣. Laudem Dómini loquétur os meum, et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 104. et Matth. 7. Quærite Dóminum, et confirmámini : quærite fáciem ejus semper. Quærite et inveniétis ; pulsáte et aperiétur vobis : omnis qui quærit ínvenit, et pulsánti aperiétur. Allelúia.

Post Septuagesimam dicitur pro Tractu versus præcedens, omisso Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 2. f.

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam, secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidén-

tes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth : et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia, apud Deum et hómines. Credo.

Offertorium. Psalm. 9. Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine ; quóniam non derelínquis quæréntes te : psállite Dómino, qui hábitat in Sion.

Secreta.

OBLATUM tibi, Dómine, sacrifícium, intercedénte beáta semper vírgine Dei genitríce María, vivíficet nos semper et múniat. Per Dóminum.

Præfatio de Epiphania Domini.

Communio. Luc. 4. Mirabántur omnes de his quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio.

FIDELES tui, Deus, per tua dona firméntur ; ut éadem et percipiéndo requírant, et quæréndo sine fine percípiant. Per Dóminum.

DIE XXVI. JANUARII.

S. BATHILDIS, FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Missa, Cognóvi, ut in Communi nec Virg. nec Mart.

Oratio.

DEUS, qui beátam Bathíldem a servitúte ad sólium ineffábili providéntia extulísti : da nobis ejus intercessióne transférri de servitúte peccáti in regnum dilectiónis Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi : Qui tecum vivit et regnat.

Secreta.

RESPICE, Dómine, propítius super hæc múnera, quæ in sanctæ regínæ Bathíldis commemoratióne, pro nostris offensiónibus immolámus. Per Dóminum.

Postcommunio

DEUS, fidélium remunerátor animárum, præsta ; ut beátæ Bathíldis regínæ précibus, in cujus commemoratióne tua dona percépimus, indulgéntiam consequámur et pacem. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE III. FEBRUARII.

S. ODILONIS, ABBATIS.

Missa, Os justi, ut in Communi Abbatum.

Oratio

OMNIPOTENS, sempitérne Deus, terréna pro te calcántium merces magna nimis : da nobis exémplo et intercessióne beáti Odilónis Abbátis, cujus hódie solémnia celebrámus, temporália ómnia despícere, et ad ætérna tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Et fit com. Octavæ Purificationis B. Mariæ Virg.

Postea pro com. S. Blasii, Episc. et Mart. sumuntur Orationes ex Missa, Sacerdótes Dei, de Communi unius Mart. Pont.

DIE IV. FEBRUARII.

B. JOANNÆ VALESIÆ, FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Missa, Cognóvi, ut in Communi nec Virg. nec Mart.

Oratio.

DEUS, qui ad imitándum beátæ Vírginis Fílii tui Genitrícis virtútes, novum per beátam Joánnam sacrárum Vírginum cœtum instítui voluísti : ejus méritis, precibúsque concéde, ut per éadem gradiámur virtútum exémpla. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit com. Octavæ Purificationis B. Mariæ Virg.

DIE VIII. FEBRUARII.

IN FESTO

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Introitus. *Psalm.* 44.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis áureis circumamícta varietátibus; adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Ps. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti: concéde propítius, ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 8. b.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit. Candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 1. Magníficat ánima mea Dóminum: et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 2. g.

In illo témpore: Dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis: Nesciebátis, quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum: ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus, ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ vírginis ineffabíliter inflammávit. Per Dóminum.

Præfatio. Et te in festivitáte beátæ Maríæ Vírginis.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis reféсti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus, ut beátæ Maríæ vírginis intercessióne, cujus puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

EODEM DIE VIII. FEBRUARII.

Pro com. S. Stephani Abbatis, Ordinis Grandimontensis Institutoris.

Oratio.

Deus, qui perfécte ambulántium coram te protéctor es, et merces magna nimis: da nobis beáti Stéphani Abbátis intercessióne et exémplo, temporália despícere, et ad te tota mentis intentióne festináre. Per Dóminum.

Secreta.

Tribue, quæsumus, Dómine virtútum cœléstium, Deus; ut sacrifícia pro sancti Stéphani Abbátis solemnitáte tuæ Majestáti obláta, et desidérium temporále nos dóceant habére contémptum, et ambíre dona fáciant cœléstium gaudiórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Prosint nobis, quæsumus, Dómine, frequentáta mystéria: quæ nos,

intercedénte beáto Stéphano Abbáte, a cupiditátibus terrénis expédiant, et instruant amáre cœléstia. Per Dóminum.

DIE X. FEBRUARII.

S. SCHOLASTICÆ, VIRGINIS.

Introitus. *Cant.* 2.

Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, et veni: jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Psalm. 54. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ? et volábo, et requiéscam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ánimam beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ, ad ostendéndam innocéntiæ viam, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti: da nobis ejus méritis et précibus ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51. c.

Cum adhuc júnior essem, priúsquam oberrárem, quæsívi sapiéntiam palam in oratióne mea. Ante templum postulábam pro illa, et usque in novíssimis inquíram eam. Et efflóruit tamquam præcox uva; lætátum est cor meum in ea. Ambulávit pes meus iter rectum, a juventúte mea investigábam eam. Inclinávi módice aurem meam, et excépi illam. Multam invéni in meípsa sapiéntiam, et multum profáci in ea. Danti mihi sapiéntiam, dabo glóriam. Consiliáta sum enim ut fácerem illam: zeláta sum bonum, et non confúndar. Colluctáta est ánima mea in illa, et in faciéndo eam confirmáta sum. Manus meas exténdi in altum, et insipiéntiam ejus luxi. Animam meam diréxi ad illam, et in agnitióne invéni eam. Possédi cum ipsa cor ab inítio: propter hoc non derelínquar. Venter meus conturbátus est quæréndo illam: proptérea bonam possidébo possessiónem. Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam: in ipsa laudábo eum. Appropiáte ad me indócti, et congregábo vos in domum disciplínæ. Quid adhuc retardátis? et quid dícitis in his? ánimæ vestræ sítiunt veheménter. Apérui os meum, et locúta sum: Comparáte vobis sine argénto, et collum vestrum subjícite jugo, et suscípiat ánima vestra disciplínam: in próximo est enim inveníre eam. Vidéte óculis vestris, quia módicum laborávi, et invéni mihi multam réquiem.

Graduale. Cant. 8. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam. ℣. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Allelúia, allelúia. ℣. Ibid. 6. Diléctus meus mihi et ego illi qui páscitur inter lília, donec aspíret dies, et inclinéntur umbræ.

Post Septuagesimam Tractus. Cant. 3. ℣. Invéni quem díligit ánima mea; ténui eum, nec dimíttam. ℣. Ibid. 1. Oleum effúsum nomen tuum; ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. ℣. Trahe me post te, currémus in odórem unguentórum tuórum. ℣. Exultábimus et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum; recti díligunt te.

Sequentia.

Emicat merídies,
Et beáta réquies
Vírgini Scholásticæ.
Intrat in cubícula,
Sponsi petit óscula,
Quem amávit único.
Quantis cum gemítibus
Cordis et ardóribus
Hæc diléctum quæsiit!
Movit cœlos lácrymis,
Imbribúsque plúrimis
Pectus fratris mólliit.
O grata collóquia,
Cum cœlórum gáudia
Benedíctus éxplicat!
Ardent desidéria
Mentis, et suspíria
Virgo sponsus éxcitat.

Veni, formosíssima,
Sponsa dilectíssima,
Veni, coronáberis.
Dórmies in líliis,
Afflues delíciis,
Et inebriáberis.
O colúmba Vírginum,
Quæ de ripis flúminum
Adis aulam glóriæ.
Trahe nos odóribus,
Pasce et ubéribus
Immortális grátiæ.
Amen. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 25. a.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : símile erit regnum cœlórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam. Credo.

Offertorium. Ps. 17. Intónuit Dóminus de cœlo, et Altíssimus dedit vocem suam; grando et carbónes ignis. Fúlgura multiplicávit et conturbávit eos, et apparuérunt fontes aquárum, allelúia.

Secreta.

Suscipe, quæsumus, Dómine, desidéria supplicántium fidélium cum oblatiónibus hostiárum : ut interveniénte beáta Scholástica Vírgine tua, quæ te sincéro diléxit amóre, nec fides in nobis tórpeat, nec ardor tepéscat. Per Dóminum.

Communio. Joan. 15. Si mansériitis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis, dicit Dóminus.

Postcommunio.

Familiam tuam, quæsumus, Dómine, spirituáli cibo satiátam, beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ méritis propítius réspice : ut sicut ipsíus précibus, ad obtinéndum quod concupívit, imbrem cœlitus descéndere fecísti ; ita ejus supplicatiónibus aviditátem cordis nostri supérnæ dignéris grátiæ rore perfúndere. Per Dóminum.

DIE XI. FEBRUARII.

Pro com. S. Benedicti, Anianensis Abbatis. Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Abbátem Spíritus tui fervóre, et disciplínæ zelo replétum, reguláris observántiæ instauratórem strénuum effecísti : da nobis ejus méritis et intercessióne, ut reformáti in novitáte sensus nostri, et in sancta conversatióne vivéntes, viam mandatórum tuórum toto corde currámus. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem....

Secreta.

Te, Pater omnípotens, deprecámur, ut impósita altári tuo múnera lætus aspícias ; atque interveniénte beáto Benedícto Abbáte, angústam viam, per quam ille procéssit, fidéliter insisténtes, ad cœléste regnum pervenire mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Spiritualibus pasti épulis córporis et sánguinis unigéniti Fílii tui Jesu

Christi, orámus te, Dómine, in hac beáti Benedícti Abbátis festivitáte; ut mortificátis desidériis carnis, in ómnibus sit nostra conversátio spiritális. Per Dóminum.

DIE XV. FEBRUARII.

S. TITI, EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa, Státuit, de Communi, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde, ut juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Evangelium, **Designávit Dóminus,** ut in Festo S. Marci.

DIE XXVI. FEBRUARII.

S. MECTHILDIS, VIRGINIS.

Missa, Dilexísti, ut in Communi Virginum.

Oratio.

Deus, qui in devotíssimo beátæ Mecthíldis Vírginis tuæ corde jucúndam tibi mansiónem constituísti: da nobis, quæsumus, ejúsdem Vírginis intercessióne, dum vívimus, a terrénis semper ad cœléstia spíritu sublevári, et cum ea in resurrectióne justórum páriter triumpháre. Per Dóminum.

DIE XXVIII. FEBRUARII.

Pro com. B. Beatricis secundæ Estensis Virg. O. N.

Oratio.

Deus, qui beátam Beatrícem Vírginem, a sæculi delíciis ad Jesu Christi Fílii tui vestígia sequénda, et exímium illíus crucis amórem, traduxísti; concéde, ut ejus imitatióne ita per bona temporália transeámus, ut consequámur ætérna. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ut in Missa, Dilexísti, de Communi.

FESTA MARTII

DIE I. MARTII.

B. JOANNÆ BONOMO, VIRGINIS O. N.

Missa, Dilexísti, de Communi Virginum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Domine Jesu Christe, virtútum ómnium exémplar et præmium, qui beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiéntia pro nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo, ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia, ut assequátur et præmia. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Placationis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, intercedénte beáta Joánna María optátæ nobis patiéntiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, omnípotens Deus; ut qui in honórem beátæ Joánnæ Maríæ cœléstia aliménta percépimus: per ejus vestígia gradiéntes, carne mortificáti facílius ad te perveníre valeámus. Per Dóminum.

DIE XVI. MARTII.

S. LAURENTII A FANELLO, EREMITÆ CONFESSORIS.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont.

DIE XVII. MARTII.

S. GERTRUDIS NIVIGELLENSIS, ABBATISSÆ, VIRGINIS.

Missa, Dilexísti, ut in Communi Virginum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Dómine, beáta Virgo Gertrúdis, quæ pro tui nóminis amóre virginitátis propósitum illibáta mente servávit. Per Dóminum.

Secreta.

Hoc nos beneficio consecrándos, quæsumus, Dómine, tamquam vírginem castam Christo sponso præpara : cui uni beáta Gertrúdis Virgo adhærére et placére vóluit, ut esset sancta córpore et spíritu. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Sacræ mensæ suavitáte perfúsis sint nobis, Deus, castæ delíciæ Scriptúræ tuæ ; ut inde discámus cum beáta Gertrúde tibi sincéra cordis pietáte servíre. Per Dóminum

---

DIE XXII. MARTII.

S. JOSEPH AB ARIMATHEA, CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** de Communi, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beátum Joseph elígere dignátus es, ut corpus Jesu dilécti Filii tui de cruce depóneret, et honorífice in monuménto suo novo cónderet : concéde, quæsumus, ut ejúsdem Filii tui sánguine mundáti, ei consepúlti ac morti ejus configuráti, in eo, per eum, et cum eo in ætérnum vivámus. Qui tecum vivit et regnat.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 23. g.

In illo témpore : Ecce vir nómine Joseph, qui erat decúrio, vir bonus, et justus ; hic non consénserat consílio et áctibus eórum ; ab Arimathæa civitáte Judææ, qui exspectábat et ipse regnum Dei. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu : et depósitum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto excíso, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

FESTA APRILIS.

DIE III. APRILIS.

S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ, POENIT.

Missa, Cognóvi, de Communi nec Virg. nec Mart. præter seq.

Oratio.

Largire nobis, clementíssime Pater, quod sicut beáta María Ægyptíaca Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum, ita nobis apud misericórdiam tuam, indulgéntiam ímpetret ac sempitérnam beatitúdinem. Per eúmdem Dóminum.

DIE VI. APRILIS.

B. JULIANÆ DE MONTE CORNELIO, VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti justítiam,** de Communi Virginum.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam, ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti ; tríbue quæsumus, ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XIX. APRILIS.

Pro com. S. Leonis IX. Papæ et Conf.

Oratio.

Adesto supplicatiónibus Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus : ut intercedénte beáto Leóne Confessóre tuo atque Pontífice, cœléstibus semper amplificétur augméntis, et temporálibus ubíque protegátur auxíliis. Per Dóminum.

Reliquæ Orationes, ut in Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont.

FESTA MAII.

DIE V. MAII.

S. HUGONIS, ABBATIS.

Missa, **Os justi,** ut in Communi Abbatum, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, cujus múnere beátus Hugo Abbas, ut perféctus esset ómnia relíquit : da cunctis Evangélicæ perfectiónis sémitam ingréssis, ut ad te

sine effusióne curréntes, vitam consequántur ætérnam. Per Dóminum.

DIE X. MAII.

S. PHARÆ, VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** ut in Communi Virginum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus fons sanctitátis, cujus amóre flagrans beáta Phara mortálem réspuit sponsum, ut sortirétur ætérnum; et totam vitam impéndit, ut tibi castíssimas vírgines informáret: tríbue nobis ejus imitatióne ómnia terréna despícere, et in vitæ innocéntia constánter ad cœléstia festináre. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Mart. Gordiani et Epimachi.

Deinde pro com. S. Job,

Oratio.

Deus, qui nos beáti Job Prophétæ et Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Pro com. B. Beatricis Estensis primæ Virg. **O. N.** Oratio **Exáudi,** de Communi.

Secreta.

Da nobis, Dómine, beátæ Pharæ intercessióne et exémplo adhærére tibi; et unum tecum esse spíritum hujus vínculo sacrifícii, per quod consecrántur et placent tibi vírgines sanctæ, illústrior pórtio gregis Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui. Qui tecum vivit.

Et fit com. SS. Martyrum.

Deinde com. S. Job, Oratio. **Laudis tibi,** in Missa, **Os justi,** ut in Communi Conf. non Pont.

Et demum B. Beatricis Estensis.

Postcommunio.

Agni vírginum Sponsi córpore et sánguine reflécti; tríbue nobis, Dómine, ut cum sancta Phara Vírgine apud te vivámus in cœlis, quem in terris pósita tota mente diléxit. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com. SS. Martyrum. Postea S. Job, et B. Beatricis Estensis.

DIE XI. MAII.

S. MAIOLI, ABBATIS.

Missa, **Os justi,** ut in Communi Abbatum, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Perfice, quæsumus, Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium: ut quæ, exémplo beáti Máioli Abbátis erudíti, faciénda cognóvimus, eódem intercedénte, adjúti tua grátia faciámus. Per Dóminum.

DIE XV. MAII.

S. BERTHÆ, ABBATISSÆ, NON VIRGINIS.

Missa, **Cognóvi,** de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui humáno géneri pietátis tuæ remédia contulísti: concéde propítius; ut qui beátæ Berthæ Abbatíssæ natalítia celebritáte votíva recólimus, ejus intercessióne grátiæ tuæ largitátem, et peccatórum indulgéntiam cónsequi mereámur. Per Dóminum.

FESTA JUNII.

DIE III. JUNII.

S. CLOTILDIS, FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Missa, **Cognóvi,** de Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Respice, quæsumus, Dómine, ad Francórum benígnus impérium: et quibus per devótam sanctæ Clotíldis instántiam donum fídei contulísti, iísdem per ejus intercessiónem tríbue sincérum christiánæ pietátis afféctum. Per Dóminum.

DIE VI. JUNII.

S. CLAUDII, EPISC. ET CONF.

Missa, **Sacerdótes tui, Dómine,** de Communi Confessoris Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

(Si transfertur hoc Festum, omittuntur verba : **hodiérna die.**)

Omnipotens sempitérne Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique (hodiérna die) beátum Cláudium, Confessórem tuum atque Pontíficem, ætérnæ beatitúdinis glória sublimásti : concéde propítius ; ut, cujus mérita venerámur in terris, intercessiónis ejus auxílio apud tuam misericórdiam muniámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XVI. JUNII.

S. JOANNIS FRANCISCI REGIS, CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** ut in Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui ad plúrimos pro salúte animárum perferéndos labóres, beátum Joánnem Franciscum Confessórem tuum, mirábili caritáte, et invícta patiéntia decorásti : concéde propítius ; ut ejus exémplis instrúcti, et intercessiónibus adjúti, ætérnæ vitæ præmia consequámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XIX. JUNII.

S. DEODATI, EPISC. ET CONF.

Missa, **Statuit,** de Communi Confessoris Pontificis, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Propitiare nobis, quæsumus, Dómine, per sancti Deódati Pontíficis mérita gloriósa : ut ejus pia intercessióne, ab ómnibus protegámur advérsis, et ad cœléstia perducámur. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Martyrum.

Secreta.

Ut tuis, Dómine, digni famulémur Altáribus, per hujus virtútem sacrifícii ab omni nos amóre sæculi purífica ; et ejus fac ut imitémur exémpla, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit commemoratio SS. Martyrum.

Postcommunio.

Abscónde nos, Deus, in abscóndito faciéi tuæ hoc sacraménto munítos : ut imitatióne sancti Deódati Pontíficis in lege tua die ac nocte meditántes, delíciis mereámur pérfrui sempitérnis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit commemoratio SS. Martyrum.

FESTA JULII.

DIE XI. JULII.

IN FESTO

TRANSLAT. S. P. N. BENEDICTI.

Omnia ut in Missali fol. **357.** præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui hodiérnam diem honorábilem nobis in beáti Patris Benedícti solemnitáte tribuísti, da córdibus nostris dignam pro ejus Translatióne lætítiam, ejus in nobis rénovans spíritum, cujus ossa pio amóre compléctimur. Per Dóminum.

Post Graduale, dicitur : **Allelúia, allelúia. ℣. Vir Dei Benedíctus ómnium justórum spíritu plenus fuit ; ipse intercédat pro cunctis monásticæ professiónis.**

Sequentia.

Nunc alta siléntia,
Silvæ, specus, rúmpite ;
Et blanda per ótia,
Montes, valles, pláudite.
En quæ multitúdini
Magna lux evánuit,
Fulget solitúdini
Hoc sole quæ flóruit.

Felíci sub ómine
Homo Dei náscitur ;
Benedíctus nómine,
Talis vita nóscitur.
Romæ liberálibus
Institútus stúdiis,
Mélius cœléstibus
Miscétur commérciis.
Mundo sapiéntiæ
Qui foret oráculum,
Fit alúmnus grátiæ,
Angelis spectáculum.
Alta sub rupe jacet,
Sepúlchrum inhábitat ;
Sed qui fugit et tacet
Fama virum clámitat.
Jam desérti géstiit
Ruínas erígere ;
At fratrum quos quæsiit
Heu ! fit pulsus scélere.
Surgat empta flétibus
Mélior progénies,
Et ferax virtútibus
Domus crescat in dies.
Deo movet áuspice
Castra cœlis æmula ;
Celso suis vértice
Ponit incunábula.
E Cassíno pródeat
Orbi lumen émicans,
Hoc in throno sédeat
Legem Moses prædicans.
Fratri soror júngitur,
Huic par ministério :
Ut albénti téxitur
Rosa splendens lílio.
Quæ viris, virgínibus
Ductrix præit Régula,
Mille coram téstibus
Hanc signant mirácula.
Natórum in grémio,
Pater alme, moréris ;
Tuo sed suffrágio
Redivíves pósteris.
Qui cœléstis pátriæ
Nobis pandis sémitas,
Fac in aula glóriæ
Nostræ sit hæréditas.
Amen. Allelúia.

IN FESTO TRANSLATIONIS
S. M. N. SCHOLASTICÆ VIRGINIS.

Introitus. *Psalm* 17. ℣. 21. 23.

SECUNDUM puritátem mánuum meárum retríbuet mihi, Dóminus qui præcínxit me virtúte, et pósuit immaculátam viam meam. Psalm. 30. ℣. 8. Exultábo, et lætábor in misericórdia tua Dómine, quóniam respexísti humilitátem meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos concédis beátæ Matris nostræ Scholásticæ Vírginis tuæ patrocínio recreári : præsta, quæsumus, ut qui Translatiónem ejus celebrámus in terris, Sponsum Vírginum, ipsa intercedénte, assequámur in cœlis, Dóminum nostrum Jesum Christum : qui tecum vivit et regnat.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Cant. 2. ℣. 10.

EN diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra : tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam ; sonet vox tua in áuribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. Psalm. 72. ℣. 24. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram ? ℣. Ibid. 26. Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 38. ℣. 8. Quæ est expectátio mea ? nonne Dóminus ? et substántia mea apud te est. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 25. a.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile

erit regnum cœlórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis : Néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescítis diem neque horam.

Offertorium. Oseæ 2. ℣. 14. Ecce ego lactábo eam, et ducam in solitúdinem, et loquar ad cor ejus.

Secreta.

Dicatæ quæsumus, Dómine, capiámus oblatiónis efféctum, ut méritis ac intercessióne beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ terrénæ voluptátis conversatióne mundáti cœléstis vitæ desidério innovémur. Per Dóminum.

Communio. Ezechiel. 16. ℣. 11. 13. Ornávi te ornaménto, et dedi armíllas in mánibus tuis... et decóra facta es veheménter nimis : et profecísti in regnum.

Postcommunio.

Agni Vírginum Sponsi Córpore et Sánguine reféctis, tribue, Dómine, tibi religióne munda, et immaculáta servíre, ut cum beáta Vírgine tua Scholástica apud te quem in terris pósita tota mente diléxit vivámus in cœlis. Per Dóminum.

DIE XVII. JULII.

S. ALEXII CONFESSORIS.

Missa, Egrédere. fol. clxiij.

Oratio.

Deus, qui beátum Aléxium Confessórem tuum in mundi contémptu mirábilem effecísti : præsta, quæsumus, ut intercessiónis ejus auxílio fidéles tui terréna despíciant, et ad cœléstia semper aspírent. Per Dóminum.

DIE XXI. JULII.

S. HYDULPHI, EPISC. ET CONF.

Missa, Sacerdótes, de Communi Conf. Pont. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Hydúlphum Confessórem tuum atque Pontíficem sanctórum tuórum glória sublimásti : da nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI.

DIE XIII. AUGUSTI.

S. RADEGUNDIS, FRANCORUM REGINÆ, VIDUÆ.

Missa, Cognóvi, ut in Communi nec Virg. nec Mart. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, cujus amóre beáta Radegúndis ex aulæ tumúltu, spretis mundi illécebris, in solitúdinem evolávit : tríbue nobis ex ejus imitatióne terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Et fit com. Octavæ S. Laurentii, et SS. Hippolyti et Cassiani, Mart.

Secreta.

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis tua nos propitiatióne dignos efficiat beátæ Radegúndis inter-

véntu, quæ tibi soli placére stúduit. Per Dóminum.

Et fiunt supradictæ commemorationes.

Postcommunio.

Coelestibus repléti mystériis, te, Dómine, deprecámur : ut exémplo et intercessióne beátæ Radegúndis, spretis mundi hujus oblectatiónibus, in te uno delectári mereámur. Per Dóminum.

Et fiunt supradictæ commemorationes.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. ROCHI, CONFESSORIS.

Missa, Justus, de Communi Conf. non Pont.

Oratio.

Populum tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi : et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ, et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. FIACRII, CONFESSORIS.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Misericordiam tuam, Dómine, nobis, quæsumus, interveniénte beáto Fiácrio Confessóre tuo, cleménter impénde : et nobis peccatóribus ipsíus propitiáre suffrágiis. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Felicis et Adaucti, Martyrum.

Secreta.

Suscipe, Dómine, hóstiam redemptiónis humánæ : et interveniénte beáto Fiácrio, salútem nobis mentis et córporis operáre placátus. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Martyrum.

Postcommunio.

Fideles tuos, Deus, beáti Fiácrii solémnia recoléntes cœléstis grátiæ largitáte proséquere : ut visibílibus adjúti solátiis, ad invisibília bona prómptius inciténtur. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Martyrum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I. SEPTEMBRIS.

S. LAZARI, EPISC. ET MART.

Missa, Státuit, de Communi unius Mart. Pont. præter Orationes et Evangelium quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui per unigénitum Fílium tuum beátum Lázarum quatriduánum mórtuum resuscitásti a monuménto, ipsúmque Pontifício et Martyrio decorásti : érige nos propítius de túmulis peccatórum, ut mereámur adipísci consórtium electórum tuórum. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com. S. Ægidii, Abbatis ; postea SS. Martyrum XII. Fratrum

Postremo fit com. B. Julianæ Virg.

Deus, qui dispositióne mirábili beátam Juliánam Vírginem tuam a prima ætáte grátiæ ubertáte prævéntam, mira innocéntia et contemplatiónis dono decoráre dignátus es : ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, tibi in terris fide et charitáte conjúncti, ad contemplándam in cœlis spéciem tuæ pulchritúdinis perducámur. Per Dóminum.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 11. a.

In illo témpore : Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ sorória ejus. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis : cujus frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres ejus ad eum, dicéntes : Dómine, ecce, quem amas, infirmátur. Audiens autem Jesus, dixit eis : Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham, et sorórem ejus Maríam, et Lázarum.

Secreta.

Deus, cujus Filius per humilitátem assúmptæ carnis Lázarum flevit, et per Divinitátis poténtiam vitæ réddidit : da nobis hujus sacrificii operánte virtúte, et a peccáti morte liberári, et ætérnæ vitæ felicitáti restitui. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com. S. Ægidii, Abbatis : postea SS. Martyrum XII. Fratrum.

Postremo pro com. B. Julianæ Virg.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum : quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui panem de cœlo verum homínibus dedísti, ut qui ex eo manducáverit, non moriátur : da nobis ut hunc panem in beáti Lázari festivitáte digne suscipiéntes, resurrectiónem vitæ adipísci mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. S. Ægidii, Abbatis : postea SS. Martyrum XII. Fratrum.

Postremo pro com. B. Julianæ, Virg.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris : ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE III. SEPTEMBRIS.

Pro com. SS. Aygulfi Abb. et Soc. Mart. Oratio. **Deus, qui nos concédis,** ut in Missa, **Sapiéntiam,** de Communi plur. Mart.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

Pro com. S. Reginæ Virg. et Mart. Oratio.

Deus, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martyrii contulísti : concéde propítius ; ut qui beátæ Regínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ut in Missa, **Loquébar.**

FESTA OCTOBRIS.

DIE V OCTOBRIS.

Pro com. S. Attilani Episc. et Conf. in Missis Privatis tantum. Oratio. **Da quæsumus,** de Communi.

Secreta et Postcommunio ut in Missa, **Státuit.**

DIE VIII. OCTOBRIS

S. PELAGIÆ, POENITENTIS.

Missa, **Cognóvi,** de Communi nec Virg. nec Mart.

Oratio.

Exultemus, Dómine Deus noster, in solemnitáte beátæ Pelágiæ, ut ejus sacra natalítia celebrántes, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvémur. Per Dóminum.

DIE XXI. OCTOBRIS.

S. AUREÆ, VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Communi Virginum.

Oratio.

Concede, quæsumus, Dómine, fidélibus tuis, digne sanctæ Vírginis tuæ Aureæ celebráre solémnia ; ut per ea quæ fidéliter exequúntur, hic experiántur auxílium, et ætérnis affectibus apprehéndant. Per Dóminum.

Et fit com. S. Hilarionis, Abbatis, et SS Ursulæ et Sociarum, Virg. et Mart.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE V. NOVEMBRIS.

S. BERTILLÆ, VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** de Communi Virginum, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui humilitátis grátia nos révocas ad cœléstia : tribue nobis beatíssimæ Bertíllæ Vírginis tuæ mé-

ritis subsídium, quam per obediéntiæ exémpla ad majóra provexísti. Per Dóminum.

DIE VII. NOVEMBRIS.

TRANSLATIONIS S. MAURI, ABBATIS O. N.

Introitus. *Sap.* 14. ℣. 23.

Dedisti ei, Dómine, inter fluctus sémitam firmíssimam, osténdens quóniam potens es ex ómnibus salváre. Psalm. 97. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Maurum Abbátem, ad imitándum obediéntiæ exémplum, sicco pede super aquas ambuláre fecísti: concéde, ut et virtútum ipsíus implére documénta, et præmiórum obtinére consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ. Thren. 3. ℣. 24.

Pars mea, Dóminus, dixit ánima mea, proptérea expectábo eum. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. Bonum est præstolári cum siléntio salutáre Dei. Bonum est viro quum portáverit jugum ab adolescéntia sua. Sedébit solitárius et tacébit : quia levávit super se.

Graduale. Psalm. 70. ℣. 17. 18. Deus docuísti me a juventúte mea, et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. ℣. Et usque in senéctam et sénium Deus, ne derelínquas me.

Allelúia, allelúia. ℣. Job 23. ℣. 11. Vestígia Dómini secútus est pes meus, viam ejus custodívi et non déclinávi ex ea. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 14.

In illo témpore : Respóndens Petrus dixit : Dómine, si tu es, jube me veníre ad te super aquas. At ipse ait : Veni. Et descéndens Petrus de navícula ambulábat super aquam, ut veníret ad Jesum. Videns vero ventum válidum, tímuit : et quum cœpísset mergi, clamávit dicens : Dómine, salvum me fac. Et contínuo Jesus exténdens manum apprehéndit eum, et ait illi : Módicæ fídei, quare dubitásti ? Et quum ascendísset in navículam cessávit ventus. Qui autem in navícula erant, venérunt, et adoravérunt eum dicéntes : Vere Fílius Dei es.

Offertorium. Job 31. ℣. 7. Non declinávit gressus meus de via, nec secútum est óculos meos cor meum, et mánibus meis non adhæsit mácula.

Secreta.

Múnera nostra ad Altáre tuum offeréntes, Dómine, supplíciter exorámus, ut exémplo beáti Mauri Abbátis carnem nostram cum vítiis et concupiscéntiis crucifigéntes, Christi cum ipso cohærédes efficiámur. Qui tecum.

Communio. Isaiæ 58. ℣. 11. Réquiem tibi dabit Dóminus semper et implébit splendóribus ánimam tuam, et eris quasi hortus irríguus et sicut fons aquárum cujus non defícient aquæ.

Postcommunio.

Pretiosi Córporis et Sánguinis tui Sacraménto munítos abscónde nos, Dómine, in abscóndito faciéi tuæ, ut beáti Mauri Abbátis vestígiis inhæréntes, mirabília de lege tua meditámur in terris donec ubertáte domus tuæ fruámur in cœlis. Qui tecum vivit.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

S. VITONIS, EPISC. ET CONF.

Missa, Sacerdótes, de Communi Conf. Pont. præter Orationem seq.

Oratio.

Per stúdium charitátis non fictæ, et intercessiónem beáti Vitónis Pontíficis tui, tuére, quæsumus, Dómine, famíliam tuam ; et per dilectiónis vínculum spirituálibus ínstrue disciplínis. Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV. DECEMBRIS.

IN FESTO

ILLATIONIS RELIQUIARUM

S. P. N. BENEDICTI.

Omnia ut in Missali, præter seq.

Oratio.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Benedíctus Abbas servívit: ut eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Fit commemoratio Feriæ.

Post Graduale, dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Vir Dei Benedíctus, ómnium justórum spíritu plenus fuit, ipse intercédat pro cunctis monásticæ professiónis. Allelúia.

Non dicitur Sequentia; sed dicitur Credo.

DIE V. DECEMBRIS.

IN FESTO

S. BARBARÆ VIRG. ET MART.

Missa, Loquébar, de Communi Virg. et Mart. præter Orationem sequentem.

Oratio.

Intercessio, quæsumus, Dómine, beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ ab omni nos adversitáte prótegat: ut per ejus intervéntum, gloriosíssimum Sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Qui tecum.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Introitus. *Isaiæ* 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Psalm. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti; quæsumus, ut qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam; quando certa lege et gyro vallábat abyssos; quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum; quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos; quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens; et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum, et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale. Judith 13. 23. Benedícta es tu, virgo María, a Dómino Deo ex-

célso præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Ibid. **Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.**

Allelúia, **allelúia.** ℣. Cant. 4. 7. **Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te. Allelúia.**

Sequéntia **sancti Evangélii secúndum Lucam.** Cap. 1. c.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit : Ave, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus.

Credo quod dicitur per totam Octavam.

Offertorium. Luc. 1. **Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, allelúia.**

Secreta.

Salutarem Hóstiam, quam in solemnitáte Immaculátæ Conceptiónis beátæ vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta : ut sicut illam, tua grátia præveniénte, ab omni labe immúnem profitémur ; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te **in Conceptióne Immaculáta.** Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

Communio. **Gloriósa dicta sunt de te, María, quia fecit tibi magna qui potens est.**

Postcommunio.

Sacramenta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, illíus in nobis culpæ vúlnera réparent ; a qua Immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum.

SANCTIMONIALIUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI

SUB INVOCATIONE ADORATIONIS PERPETUÆ SANCTISSIMI SACRAMENTI.

Quum Sanctimoniales Ordinis sancti Benedicti sub invocatione Adorationis Perpetuæ Sanctissimi Sacramenti degentes in Asceteriis Diœceseos Atrebaten. die vij. Septembris anni elapsi obtinuerint reformationem proprii Kalendarii, iteratis modo humillimis precibus a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa IX. postulaverunt ut Proprium etiam Missarum juxta memoratum Kalendarium dispositum et ordinatum approbare dignaretur, ac concedere ut idem Proprium adhiberi valeat non solum in Ecclesiis et Sacellis Monasteriorum ipsarum Oratricum sed etiam in Ecclesiis et Sacellis illorum Monasteriorum proprii Instituti quæ tum Kalendarii, tum Proprii Officiorum et Missarum extensionem petierint juxta concessionem factam sub enunciata die vij. Septembris 1871. in approbatione Kalendarii. — Sanctitas porro Sua, referente subscripto S. R. C. Secretario, Proprium Missarum uti prostat in superiori Exemplari, ab eadem Sacra Rituum Congreg. revisum et correctum suprema Auctoritate sua approbavit, indulsitque ut idem Proprium adhiberi valeat in Ecclesiis vel Sacellis uti supra designatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 15 Februarii 1872.

C. Epüs Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI. **S. R. C. Præf.**

L. ✝ S.

D. Bartolini **S. R. C. Secretarius.**

Diligenti revisione peracta omnia cum Originalibus concordare reperta sunt. In quorum fidem, etc. Ex Secretaria Sacræ Rituum Congregationis hac die 10 Maii 1873.

Pro R. P. D. DOMINICO BARTOLINI, Secretario.

Locus ✝ Sigilli.

Josephus Ciccolini, Substitutus.

Imprimi potest.

Mechliniæ 6 Augusti 1873.

✝ VICTOR AUGUSTUS, Arch. Mechl.

PRO CONGREGATIONE

SS. CORDIUM JESU ET MARIÆ

DIE XVII. DECEMBRIS.

IN FESTO

S. LAZARI RESUSCITATI

EPISC. ET CONF.

Missa Sacerdótes tui. *de Comm. Conf. Pont.* p. xvij. *præter Evangelium & Communionem.*

Evang. Erat quidam. *de Feria* VI. *post Dom. IV. Quadr.* p. 103.

Communio. Joan. 11. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judæis, & exclamávit: Lázare, veni foras. Et pródiit ligátis mánibus & pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

DIE XV. JUNII.

IN FESTO

S. GERMANÆ COUSIN

VIRGINIS.

Missa Dilexísti. *de Communi Virg.* p. xxiij. *præter Orationes.*

Oratio.

DEUS, humílium celsitúdo, qui beátam Germánam, Vírginem tuam, charitátis & patiéntiæ decóre excéllere disposuísti: ejus méritis & intercessióne concéde; ut crucem júgiter feréntes, te semper dilígere valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

SUPPLICES te rogámus, omnípotens Deus; ut beátæ Germánæ, Vírginis tuæ, suffúlti præsídio, puris méntibus & mundo corde hæc sacra mystéria operémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

DIVINI múneris participatióne reféc̄ti, quæsumus, Dómine Deus noster; ut intercedénte beáta Germána, Vírgine tua, mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, tibi uni adhærére studeámus. Per eúmdem.

DIE XVII. OCTOBRIS.

IN FESTO

B. MARGARITÆ MARIÆ ALACOQUE

VIRGINIS.

Missa Dilexísti. *de Communi Virginis.* p. xxiij.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátæ Margarítæ Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis & imitatióne; ut te in ómnibus & super ómnia diligéntes, jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur. Qui vivis.

Secreta.

ACCEPTA tibi sint, Dómine, plebis tuæ múnera, & concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo de Corde Fílii tui emísso beáta Margaríta veheménter æstuávit. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Corporis & sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quæsumus, beáta Margaríta Vírgine intercedénte; ut supérbis sæculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem & humilitátem Cordis tui indúere mereámur. Qui vivis & regnas.

DIE XX. OCTOBRIS.

IN FESTO

SANCTI CAPRASII

EPISC. ET MART.

Missa Státuit ei. *de Communi Mart.* p. ij.

KALENDARIUM

AD USUM CONGREGATIONIS

SS. CORDIUM JESU ET MARIÆ

FESTA MOBILIA

FESTA FIXA

PARISIIS. — EX TYPIS ADRIANI LE CLERE, VIA DICTA CASSETTE, 29.

0 16

SUPPLEMENTUM

AD

MISSALE ROMANUM.

DIE III. APRILIS.
IN FESTO

S. BENEDICTI A S. PHILADELPHO

CONFESSORIS I. ORD.

Introitus. *Psalm.* 91.

Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur : plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. Ps. Bonum est confitéri Dómino : et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum Confessórem tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis, et virtútibus claráre fecísti : præsta, quæsumus; ut, ejus méritis et précibus, tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. c. 4.

Fratres, Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo; nos infírmi, vos autem fortes; vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris : maledícimur, et benedícimus ; persecutiónem pátimur, et sustinémus : blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos charíssimos móneo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia.

¶ Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur Tractus. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

¶ Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia. ℣. Osec 14. Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 12.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cœlis : quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Psalm. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exultábit veheménter : desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus; ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Benedícto Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DOM. POST OCTAVAM ASSUMPTIONIS.
IN FESTO
PURISSIMI CORDIS B. M. V.
Ex Decreto S. R. C. die 21 Julii 1855.

Introitus. *Psalm.* 44.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus: adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Ps. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem Puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum. In unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. ℣. Luc. 1. Magníficat ánima mea Dóminum: et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

In illo témpore; Dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum: ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus; ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per Dñum.

Præf. Et te in Festivitáte B. M. V.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illíus quem desideráveram sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis reffécti munéribus, te, Dómine; supplíciter exorámus; ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus Puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXV.

DOM. INFRA OCT. FESTI OMN. SANCTORUM.

IN FESTO

SANCTI AUSTREMONII,

PRIMI ARVERNORUM EPISCOPI,

ET VICARIATUS APOSTOLICI NOVÆ CALEDONIÆ PRINCIPALIS PATRONI.

(Ex duplici Decreto S. R. C. de Propaganda Fide 15 Maji 1881. et 18. Decembris ejusdem anni.)

Introitus. *Psalm.* 95.

ANNUNTIATE inter Gentes, quóniam magnus Dóminus super omnes deos; quóniam omnes dii Géntium, dæmónia : Dóminus autem cœlos fecit. Psalm. ibid. Cantáte Dómino cánticum novum : cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos de ténebris in admirábile lumen tuum, beáti Austremónii prædicatióne vocáre dignátus es : da nobis ejus méritis et précibus, ita digne Evangélio Christi conversári ; ut eam, quam, te miseránte, suscépimus fidem, sanctis opéribus confitéri valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Et fit com. Dominicæ tantum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses. 1. Thessal. 2. 2.

FRATRES : Fidúciam habúimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium, ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis; neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est : nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat filios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam charíssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, Fratres, labóris nostri et fatigatiónis : nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei. Vos testes estis, et Deus, quam sancte, et juste, et sine queréla, vobis qui credidístis, fúimus : sicut scitis, quáliter unumquémque vestrum (sicut pater fílios suos) deprecántes vos et consolántes testificáti sumus, ut ambularétis digne Deo, qui vocávit vos in suum regnum et glóriam. Ideo et nos grátias ágimus Deo sine intermissióne : quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operátur in vobis qui credidístis.

Graduale. 2. Cor. 1. Glória vestra sumus, sicut et vos nostra, in die Dómini nostri Jesu Christi. ℣. 1. Cor. 4. In Christo Jesu, per Evangélium, ego

vos génui. Rogo vos, imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. Allelúia, allelúia. ℣. 2. Cor. 2. Deo grátias, qui triúmphat nos in Christo Jesu, et odórem notítiæ suæ maniféstat per nos.

Sequentia.

Arverna Gens, mente læta,
Prome cantus die ista
In laudem Stremónii.
Hic te primus informávit
Vera fide, primus pavit
Verbo Evangélii.
Missus a Romána Sede
Ad te volat; et repénte
Nova fiunt ómnia.
Plebs, quæ prius sine Deo,
Redemptóre gaudet Christo,
Jam fidélis et pia.
Quos ludébat stultus error,
Quos tegébat noctis horror,
Hi sunt lux in Dómino.
Ubi vepres et spinéta,
Ibi surgit seges multa,
Rigánte Stremónio.
Christe, quem sub hoc Pastóre
Patres nostri coluére
Fide et virtútibus;
Quorum fidem profitémur,
Fac et mores imitémur,
Placéntes in ómnibus;
Ut coróna quam in cœlis
Tuis parásti eléctis,
Mereámur pérfrui.
Amen. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Cap. 16, 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent; et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit; super ægros manus impónent, et bene habébunt. Credo.

Offertorium. Isaiæ 61. Vos sacerdótes Dómini, minístri Dei nostri, dicétur vobis: Fortitúdinem géntium comedétis, et in glória eárum superbiétis.

Secreta.

Benedictio tua, Dómine, super hæc múnera nostra descéndat, quæ majestáti tuæ pro triúmpho sancti Austremónii offérimus, humíliter deprecántes; ut cujus ministério fidem accépimus, ejus intercessióne ex fide vivámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Et fit commem. Dominicæ.

Communio. Ephes. 2. Frátis sine Deo in hoc mundo; nunc autem in Christo Jesu vos, qui aliquándo erátis longe, facti estis prope, in Sánguine Christi.

Postcommunio.

Deus, qui beáti Austremónii ministério, eam nobis grátiam contulísti, ut ex infidélibus fidéles, ex peccatóribus justi efficerémur: adésto opéribus tuis, adésto munéribus; ut quibus inest fídei justificátio, non desit fídei fortitúdo. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Imprimatur.

Mechliniæ, 3 Februarii 1882.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMPS, Arch. Mechlin.

6 18

MISSÆ PROPRIÆ

QUÆ

IN ALIQUIBUS SICILIÆ LOCIS

ET PRÆSERTIM

PANORMI

EX INDULTO APOSTOLICO CELEBRANTUR

FESTA JANUARII

DIE XXII.

S. VINCENTII LEVITÆ ET MART.

Introitus. Sap. 10.

CERTAMEN forte dedit illi Dóminus, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia, descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum.

Psalm. 58. Fortitúdinem meam ad te custódiam, quia Deus suscéptor meus es.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, omnípotens Deus, advérsa mundi invícta mentis constántia toleráre, qui beatum Levítam Vincéntium nec minis terréri, nec pœnis passus es superári. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beati Joánnis Apóstoli. Cap. 2 et 3.

IN diébus illis: Audívi vocem magnam tamquam tubæ, dicéntis : Scribe : Hæc dicit, qui tenet septem stellas in déxtera sua: Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos : et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Qui habet áurem, áudiat quid Spíritus dicat: Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei, manna abscónditum, et cálculum cándidum, et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit. Qui vícerit, et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super Gentes: vestiétur vestiméntis albis, et non delébo nomen ejus de libro vitæ, et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus: fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et dabo ei sedére mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus.

Graduale. 2 Tim. 4. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi, in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ.

℣. Philip. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Allelúja, allelúja. ℣. 1 Cor. 15. Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Allelúja.

Si hoc festum venerit post Septuagesimam, omisso Allelúja et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Psalm. 58. Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, et exaltábo mane misericórdiam tuam.

℣. Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

℣. Adjútor meus, tibi psallam: quia Deus suscéptor meus es.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.

Offertorium. Apoc. 3. Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus.

Secreta.

Hodiernum tibi, Dómine, sacrificium lætántes offérimus: qui beati Vincéntii cœléstem victóriam recenséntes, et tua magnália prædicámus, et nos acquisísse gaudeámus suffrágia gloriósa. Per Dóminum.

Communio. Marc. 8. Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam.

Postcommunio.

Cœlestibus, Dómine, corróbora nos sacraméntis: ut eádem virtúte vitiórum blandiménta vincámus, qua beatus Martyr Vincéntius tormentórum immanitátem pro fide tui nóminis superávit. Per Dóminum.

DIE XXX.

B. SEBASTIANI VALFRÈ CONF.

Missa **Os justi.** Evang. **Sint lumbi etc.**

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beatum Sebastiánum Confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

DIE IX.

S. ANASTASII MARTYRIS

Missa **In virtúte.** Evang. **Si quis vult,** ex Missa **Státuit.**

Oratio.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beati Anastásii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beato Anastásio Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóm.

FESTA MARTII

DIE IX.

S. CATHARINÆ BONONIENSIS VIRG.

Missa **Dilexísti,** de Communi.

Oratio.

Concede nos fámulos tuos, Deus, beatæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári, cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

DIE XI.

B. PETRI DE JEREMIA CONF.

Missa **Os justi.**

Oratio.

Deus, qui beati Petri Confessóris tui précibus et hortaméntis errántes in viam justítiæ misericórditer redíre fecísti: diláta, quæsumus, illíus intercessióne corda nostra, ut sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum.

DIE XIII.

S. LEANDRI EPISC. ET CONF.

Missa **In médio Ecclésiæ** de Com. Doctor. sine **Credo.**

Oratio.

Deus, qui Ariánam pravitátem doctrína sancti Confessóris tui atque Pontíficis Leándri ex Hispánia propulísti, da plebi tuæ, ut, ejúsdem méritis et précibus, ab omni errórum et vitiórum labe semper líbera servétur. Per Dóminum.

DIE XIV.

B. JOSEPHI M. TOMMASI CONF.

Missa **Os justi,** de Com. 1 loco.

Oratio.

Deus, qui beatum Joséphum Maríam Confessórem tuum gloriósis méritis et doctrínis decoráre dignátus es: concéde propítius, ut et cœléstis doctrínæ pábulo nutriámur, et ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

Cum timóre et fidúcia tibi, Dómine, hæc múnera offérimus, ut a te sanctificáta misericórdiam nobis concílient, et pacem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hujus nos, Dómine, percéptio Sacraménti mundet a crímine, et beati Joséphi Maríæ intercedéntibus méritis ad cœléstia regna perdúcat. Per Dóminum.

FESTA APRILIS

DIE III.

S. BENEDICTI A S. PHILADEL. CONF.

Missa **Justus,** de Com. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beatum Benedíctum Confessórum tuum cœléstibus donis locupletásti, eúmque in Ecclésia tua signis et virtútibus claráre fecísti: præsta, quæsumus, ut ejus méritis et précibus tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

DOMINICA II. POST PASCHA

S. FRANCISCI DE PAULA CONF.

Introitus.

Charitas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis. Allelúja.

Psalm. 72. **Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beatum Francíscum Confessórem sanctórum tuórum glória sublimásti: tríbue quæsumus, ut ejus méritis et imitatióne, promíssa humílibus præmia felíciter consequámur. Per.

Léctio Epístolæ beati Páuli Apóstoli ad Coríníthios. 1 Cor. 13.

Fratres: Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, charitátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam; et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, charitátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultates meas, et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, charitátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cháritas pátiens est, benígna est. Cháritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti. Omnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cháritas númquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Nunc autem manent fides, spes, cháritas: tria hæc, major autem horum est cháritas.

Allelúja, allelúja.

℣. **In te cantátio mea semper: tamquam prodígium factus sum multis: et tu adjútor fortis. Allelúja.**

℣. **Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 11.

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui volúerit Filius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego reficiam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Credo.

Offertorium. Univérsa terra, Dómine, in spíritu humilitátis suscipiátur: et sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo, ut pláceat tibi. Allelúja.

Secreta.

Quæsumus, Dómine, ut múnera obláta sanctífices: et corda nostra, intercessióne beati Francísci, tuæ rébleas abundántia charitátis. Per Dóminum.

Communio. Matth. 11. Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelùja.

Postcommunio.

Deus, qui supérbis resístis, et humílibus grátiam tríbuis: exáudi preces nostras, et intercedénte beato Francísco Confessóre tuo, da nobis alta non sápere; sed majestáti tuæ húmili semper corde servíre. Per Dóminum.

FESTA MAJI

DIE V.

S. ANGELI CARMELITÆ MARTYRIS

Missa **Protexísti,** de Comm. Mart. Temp. Pasch. sed Evang. **Si quis vult** ex missa **Statuit** de Com. unius Mart. extra Tempus Pasch.

Oratio.

Plebs tua, Dómine, beati Sacerdótis et Mártyris tui Angeli te glorificatióne sanctíficet: et eódem semper precánte, te mereátur habére rectórem. Per Dóminum.

DIE X.

SS. ALPHII, PHILADELPHI ET CYRINI MARTYRUM

Introitus. Psalm. 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus, allelúja. Dóminus custódit ómnia ossa eórum, unum ex his non conterétur. Allelúja, allel.

Psalm. ibid. Benedícam Dóminum in omni témpore, semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Alphii, Philadélphi et Cyríni natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10.

Reddidit Deus justis mercédem labórum suórum: et dedúxit illos in via mirábili; et fuit illis in velaménto diei, et in luce stellárum per noctem. Tránstulit illos per mare rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter, Dómine Deus noster.

Allelúja, Allelúja.

℣. Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum.

℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cœléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9.

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi ma-

néte, et inde ne exeátis: et quicúmque non recéperint vos, exeúntes de civitáte illa, etiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes, et curántes ubíque.

Offertorium. Psalm. 67. **Mirábilis Deus in Sanctis suis, Deus Israel, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúja, allelúja.**

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Joan. 15. **Ego elégi vos de mundo, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Allelúja.**

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Alphio, Philadélpho et Cyríno, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE XI.

B. BENEDICTI AB URBINO CONF. ORD. MIN.

Missa **Justus,** de Com. 2 loco.

Oratio.

Concede quæsumus, omnípotens Deus, ut per Crucis mortificatiónem, quam beatus Conféssor tuus Benedíctus despéctis mundi delíciis, júgiter in suo córpore portávit, abnegántes sæculária desidéria, juste et pie in hoc sæculo vivámus. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, Dómine, quæ offérimus múnera: et præsta, ut beati Benedícti Confessóris tui méritis et exémplis carnem cum vítiis et concupiscéntiis crucifigéntes, regnum cœlórum cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacris, Dómine, sumptis munéribus tríbue quæsumus, ut intercedénte beato Benedícto Confessóre tuo abjiciéntes ópera tenebrárum, indúere valeámus Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte, etc.

DIE XIX.

B. AUGUSTINI NOVELLI

Introitus. Psalm. 54.

Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine. Allelúja, allelúja.

Psalm. ibid. **Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam, inténde mihi, et exáudi me.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui supérbis resístis, humílibus autem das grátiam, concéde, quæsumus, nobis, intercedénte beato Augustíno Confessóre tuo, supérbe non sápere, sed ad te verum Deum humíliter gradiéndo perveníre. Per Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ. Sap. 8.

Si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur ómnia? Si autem sensus operátur: quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? et si justítiam quis díligit: labóres hujus magnas habent virtútes: sobrietátem enim, et prudéntiam docet, et justítiam, et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus. Et si multitúdinem sciéntiæ desíderat quis, scit prætérita, et de futúris æstimat: scit versútias sermónum, et dissolutiónes argumentórum: signa et monstra scit ántequam fiant, et evéntus témporum, et sæculórum. Propósui ergo hanc addúcere mihi ad convivéndum: sciens quóniam mecum communicábit de bonis, et erit allocútio cogitatiónis, et tædii mei. Habébo propter hanc claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis: et acútus invéniar in judício, et in conspéctu poténtium admirábilis ero, et fácies príncipum mirabúntur me: tacéntem me substinébunt, et loquéntem me respícient, et sermocinánte me plura, manus ori suo impónent. Prætérea habébo, per hanc, immortalitátem: et memóriam ætérnam his, qui post me futúri sunt, relínquam. Dispónam pópulos: et natiónes mihi erunt súbditæ.

Tempore Pasch. **Allelúja, allelúja.**

℣. Psalm. 17. **Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi, in audítu áuris obedívit mihi. Allelúja.**

℣. Matth. 11. **Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde. Allelúja.**

Extra tempus Pasch.

Graduale. Psalm. 83. **Mélior est dies una in átriis tuis, Dómine, super míllia.**

℣. **Elégi abjéctus esse in domo Dei, magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.**

Allelúja, allelúja.

℣. Ad Philip. 3. **Omnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam. Allelúja.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Luc. 14.

In illo témpore: Dicébat Jesus et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco: ne forte honorátior te, sit invitátus ab illo; et véniens is, qui te et illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére; sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco: ut cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Offertorium. Eccl. 11. **Oculus Dei respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus: et miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum. Allelúja, allelúja.**

Secreta.

Deus, qui odóre unguentórum tuórum fidéles tuos in solitúdinem trahis, ibíque in eórum córdibus lóqueris, ac cœléstibus delíciis áffluis: concéde propítius, ut, beato Augustíno Confessóre tuo intercedénte, in solitúdinem cordis et córporis gradiámur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 18. **Amen dico vobis, nemo est, qui relíquit domum, aut paréntes, aut fratres, aut uxórem, aut fílios propter regnum Dei, et non recípiat multo plura in hoc témpore, et in sæculo ventúro vitam ætérnam. Allelúja.**

Postcommunio.

Deus, a quo bona cuncta procédunt: largíre nobis cœléstis ádipe fruménti satiátis, ut beati Augustíni Confessóris tui humilitátis exémpla sectántes in terris, exaltári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum.

FESTA JUNII

DIE XVIII.

S. CALOGERI CONFESSORIS

Introitus. Ps. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et língua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Ps. ib. **Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beati Calógeri Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius: ut, cujus natalítia cólimus, etiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beati Páuli Apóstoli ad Timótheum. 1 Cap. 6.

Charissime, est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum, haud dúbium quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti sumus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília et nocíva, quæ mergunt hómines in intéritum et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas. Quam quidam appeténtes erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, charitátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fidei, apprehénde vitam ætérnam.

Graduale. Ps. 91. **Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.**

℣. **Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.**

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. **Beatus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.** Cap. 16.

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit; qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: in nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, serpéntes tollent, et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso, et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Communio. Marci 16. **Signa autem eos, qui in me credunt, hæc sequéntur: dæmónia ejícient, super ægros manus impónent, et bene habébunt.**

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

DIE XXIII.

S. AGRIPPINÆ VIRG. ET MART.

Missa **Loquébar,** de Com.

Oratio.

Deus, qui beatæ Agrippínæ largítus es ut cum virginitátis flore martyrii palmam copuláret: concéde, ut ejus intercessióne, illécebris et advérsis mundi superátis, ad gaúdia ætérna perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE XXIX.

Commemorationes

Addendæ in Missa SS. Ap. Petri et Pauli

Pro omnibus Sanctis Apostolis.

Oratio.

Exaudi nos, Deus salutáris noster, et ómnium sanctórum Apostolórum tuórum tuére præsídiis, quorum donásti fidéles esse doctrínis.

Pro omnibus SS. Martyribus.

Deus, qui glorificáris in concílio sanctórum Mártyrum tuórum: réspice ad preces humilitátis nostræ; ut quorum solémnia celebrámus, eorum précibus adjuvári mereámur. Per Dóminum.

Pro omnibus SS. Apostolis.

Secreta.

Gloriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam celebrántes, quæsumus, ut eámdem, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus.

Pro omnibus SS. Martyribus.

Suscipe, quæsumus Dómine, et sanctífica hoc sacrificium: ut quod in honórem beatórum Mártyrum tuórum offértur ad glóriam, nobis prosit ad véniam. Per Dóm.

Pro omnibus SS. Apostolis

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fidéles tui venerándas assídue celebrántes sanctórum Apostolórum tuórum passiónes, et cópiam invéniant perpétuæ devotiónis, et salútis ætérnæ suffrágia majóra conquírant.

Pro omnibus SS. Martyribus.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut non désinant Sancti pro nostris tibi supplicáre peccátis, a quibus voluísti pro peccatóribus exorári. Per Dóminum.

FESTA JULII

DIE V.

S. ARCHANGELI A CALATAPHIMO CONFESSORIS

Missa Justus.

Oratio.

Clementissime Deus, qui beatum Archángelum Confessórem tuum, solitúdinis cultórem, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: concéde nobis fámulis tuis, ut ejúsdem imitántes exempla, consequámur et præmia. Per Dóminum.

Secreta.

Oblatis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et intercedénte beato Archángelo Confessóre tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Familiam tuam, quæsumus Dómine, quam sacris munéribus satiásti, beati Archángeli intercessióne réfove: ut, humilitátis ejus vestígia ínsequens, ad gáudia pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

DIE IX.

S. VERONICÆ DE JULIANIS VIRG.

ABBATISSÆ CAPUCC. TIPHERNI

Introitus. Cant. 6, 4.

Quam pulchra es, amíca mea, quam pulchra es! vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum: emissiónes tuæ paradísus.

Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beatam Verónicam Vírginem Passiónis tuæ signis mirábilem effecísti: concéde propítius, ut, carnem crucifigéntes, ad gáudia ætérna perveníre mereámur. Qui vivis et regnas.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 6 et 7.

Dilectus meus descéndit in hortum suum ad aréolam arómatum, ut pascátur in hortis, et lília cólligat. Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Pulchra es, amíca mea, suávis et decóra sicut Jerúsalem. Ego diléсto meo, et ad me convérsio ejus. Veni, diléсte mi, egrediámur in agrum, commorémur in villis. Mane surgámus ad víneas, videámus si flóruit vínea, si flores fructus partúriunt. In portis nostris ómnia poma: nova et vétera servávi tibi.

Graduale. Judith 12. Benedícta tu a Deo tuo in omni tabernáculo Jacob.

℣. Ibid. Quóniam in omni gente, quæ audíerit nomen tuum, magnificábitur super te Deus Israel.

Allelúja, allelúja.

℣. Galat. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Allelúja.

Post Sept. omiss. Allelúja et ℣. seq., ac:

Tractus ℣. Sap. 4. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte: immortális est enim memória illíus, quóniam apud Deum nota est et apud hómines.

℣. Quum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, quum se edúxerit.

℣. Et in perpétuum coronáta triúmphat, incoinquinatórum certáminum præmia víncens.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.

Ps. 65. Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ. Allelúja.

℣. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. Ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Allelúja.

Evang. Símile erit, ex Missa Dilexísti.

Offertorium. Ps. 41. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fontem vivum.

Secreta.

Per hanc immaculátam hóstiam vírgines germinántem, Dómine Jesu Christe, sanctífica, quæsumus, corda et córpora nostra, per quam beata virgo Verónica thálamum suum méruit introíre. Qui vivis et regnas.

Communio. Philip. 1. **Magnificábitur Christus in córpore meo sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.**

Postcommunio.

Hæc sacra nos, Dómine, poténti virtúte mundátos, méritis et exémplo beatæ Verónicæ Vírginis tuæ, ad suum faciant puriόres perveníre princípium. Per Dóminum.

DIE XVI.

COMM. CANONIZATIONIS S. FRANCISCI ASSIS.

Oratio.

Deus, qui ad sectándas Unigéniti tui vias B. P. Franciscum ducem ac præceptórem nobis tribúere dignátus es, concéde propítius, ut cujus hódie memóriam cólimus, ejus in cœlis glóriæ partícipes éffici mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, Dómine, laudis hóstiam, quam in honórem beati Patris Francísci tuæ offérimus majestáti, et per eam nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacro pro múnere tibi, Dómine, grátias agéntes, quæsumus, ut intercedénte beato P. Francísco, cujus gaudémus triúmphis, spirituálibus proficiámus auxíliis. Per Dóminum.

DIE XIX.

S. MACRINÆ VIRG. ABBATISSÆ

Missa **Dilexísti**, de Comm. Virginum, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, veritátis amátor, qui beatæ Macrínæ Vírginis ad tui nóminis glóriam vota suscípere dignátus es: fac nos rádios veræ lucis agnóscere, et ad perpétuæ charitátis tuæ ampléxus felíciter perveníre. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

DIE XII.

S. EUPLII DIACONI ET MARTYRIS

Introitus. Psalm. 118.

Quomodo diléxi legem tuam, Dómine? tota die meditátio mea est. Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo, quia in ætérnum mihi est.

Psalm. ibid. **Beati immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, cujus verbo erudítus, et grátia roborátus Euplius Martyr, bonum certámen in gloriósa Evangélii tui confessióne certávit: da nobis eámdem fidei firmitátem, ut per consolatiónem Scripturárum spem habeámus, et a charitáte tua nullis tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beati Páuli Apóstoli ad Coríuthios. 2 Cor. 4.

Habentes administratiónem, juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si etiam opértum est evangélium nostrum; in iis qui péreunt, est opértum: in quibus Deus hujus sæculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum. Quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus, ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes. Semper enim nos, qui vívimus,

in mortem trádimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eumdem spíritum fidei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: et nos crédimus, propter quod et lóquimur: sciéntes, quóniam qui suscitávit Jesum, et nos cum Jesu suscitábit, et constítuet vobíscum.

Graduale Ps. 39. Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

℣. Ecce lábia mea non prohibébo, Dómine, tu scisti. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.

Allelúja, allelúja.

℣. Matth. 3. Beati qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Filius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis; et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Ps. 118. A judíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua! super mel ori meo.

Secreta.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut beati Euplii Mártyris tui præclára exémpla sectántes, Evangélium Filii tui sincéra dilectióne servémus, cujus córpori communicámus et sánguini: Qui tecum vivit.

Communio. Ps. 93. Beatus homo quem tu erudíeris, Dómine, et de lege tua docúeris eum.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine: ut quod beato Euplio robur cóntulit ad certámen, nobis quoque præstet fidei, spei et charitátis augméntum. Per Dóminum nostrum.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE IV.

S. ROSALIÆ VIRG. PANORMITANÆ

Introitus.

Regnum mundi, et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Jesu Christi, quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi.

Ps. 120. Levávi óculos meos in montes, unde véniet auxílium mihi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatam Rosáliam Vírginem e regálibus delíciis in móntium solitúdinem transtulísti, concéde propítius: ut, ejus méritis et intercessióne, a mundi voluptátibus in cœléstium amórem erigámur, et ab iracúndiæ tuæ flagéllis misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beati Páuli Apóstoli ad Corínthios. Cap. 10.

Fratres, qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim, qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 34. Audi, fília, et vide, et inclína áurem tuam, et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui, et concupíscet Rex decórem tuum.

℣. Cultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Allelúja, allelúja.

℣. Mémores erunt nóminis tui in omni generatióne et progénie. Allelúja.

Evang. **Símile est.... thesáuro**, ex Missa **Cognóvi**, de Com. non Virginum.

Offertorium. Ps. 54. **Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, et volábo, et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine.**

Secreta.

Réspice, quæsumus Dómine, ad hæc salútis ætérnæ múnera: ut, qui in beatæ Rosáliæ solemnitáte hóstiam virgináli odóre flagrántem offérimus, tantæ vírginis imitémur exémpla, et assíduæ protectiónis increménta sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 16. **Abscóndit me Dóminus in tabernáculo suo; in die malórum protéxit me; in petra exaltávit me.**

Postcommunio.

Rex vírginum, et castitátis amátor, cleméntiam tuam súpplices deprecámur; ut redemptiónis tuæ múnere vegetátos, beatæ Rosáliæ précibus gloriósis, ab omni mentis et córporis contagióne tueáris. Qui vivis.

DIE XXV.

S. PACIFICI A S. SEVERINO C. O. M.

Missa **Os justi**, de Com. 1 loco.

Oratio.

Largitor ómnium bonórum Deus, qui beatum Pacíficum Confessórem tuum exímiæ patiéntiæ virtúte, et solitúdinis amore decorásti, ejus nobis intercessióne concéde, ut, per éadem vestígia gradiéntes, eádem assequámur et præmia. Per Dóminum.

Secreta.

Ut sacrifícium, quod, beati Pacífici interveniénte suffrágio, majestáti tuæ offérimus, Dómine, acceptábile tibi, nobísque sit salutáre; fac nos ea cordis humilitáte, eoque spíritus ardóre sacrum Mystérium perágere, quo ipse quotídie perégit. Per Dóm.

Postcommunio.

Pro cœlésti Convívio, quo nos excípere dignátus es, Dómine, grátias agéntes, te humíliter deprecámur, ut qui manducávimus tuam carnem, et bíbimus tuum sánguinem, intercedénte beato Pacífico, vitam habeámus ætérnam. Qui vivis.

EADEM DIE.

S. MARIÆ DE CERVELLIONE VIRG.

Missa **Dilexísti.**

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsístere: concéde propítius: ut, intercedénte beata María fámula tua, de præséntis vitæ flúctibus edúcti, ad ætérnæ salútis portum perveníre valeámus. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS

DIE V.

SS. PLACIDI ET SOCIORUM MM.

Introitus. Ps. 36.

Salus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum in témpore tribulatiónis. Ps. ibid. **Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui beatum Plácidum in aquis pene demérsum mirabíliter eripuísti, ut fidem inde, quam cum plúribus sóciis coram persecutóribus conféssus est, próprio sánguine confirmáret: ipsórum nobis intercessióne concéde; ut ánimas nostras propter te pérdere non timéntes, eas apud te felíciter inveníre mereámur. Per Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo defféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile æquitátem.

Graduale. Ps. 123. **Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium.**

℣. **Láqueus contrítus est, et nos liberáti**

sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cœlum et terram.

Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei, et delectántur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 149. Exultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum. Allelúja.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Plácido et Sociis ejus, ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE XXIX.

BEATÆ M. V. AGONIZANTIUM

Oratio.

Deus, qui Unigénito tuo pendénti in cruce pro animárum salúte, ejus genitrícem Vírginem Maríam adésse voluísti: fac, ut nos in extrémo vitæ perículo constitúti, ejus intercessióne adjuvémur, et ætérna præmia cónsequi mereámur. Per eúmdem Dóm.

DIE XXX.

B. ANGELI AB ACRIO CONF.

Missa Justus, de Com. 2 loco.

Oratio.

Mirabilis in Sanctis tuis, omnípotens Deus, qui beati Angeli spíritum ad te ipsum tráhere dignátus es; ejus méritis et intercessióne concéde cuncta nos terréna respúere, et in amóre supérnæ pátriæ contínua cœléstium meditatióne roborári. Per Dóm.

FESTA NOVEMBRIS

DIE XIV.

S. JOANNIS LICCII CONF.

Missa Os justi, de Com. 1 loco.

Oratio.

Deus, qui beatum Joánnem Confessórem tuum plena sui abnegatióne, atque exímiæ charitátis zelo claréscere voluísti; ejus nobis imitatióne concéde, ut, abdicátis terrénis afféctibus, in tua dilectióne vivámus. Per Dóminum.

DIE XXVI.

S. LEONARDI A PORTU MAURITIO CONFESSORIS

Introitus. Isai. 58.

Dominus implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non deficiunt aquæ.

Ps. 80. Exultáte Deo adjutóri nostro: Jubiláte Deo Jacob.

℣. Glória Patri etc.

Oratio.

Deus, qui ad obstináta peccatórum corda per evangélicam prædicatiónem ad pœniténtiam flecténda, sanctum Leonárdum Confessórem tuum admirábili sanctitáte, et invícto dicéndi róbore suscitásti; da, quæsumus, ut contritiónis lácrymas, ad quas ob durítiam cordis nostri permovéri non póssumus; per ejus preces ac mérita consequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beati Páuli Apóstoli ad Ephésios. Cap. 1.

Fratres: Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cœléstibus in Christo: sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in charitáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Filio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus; remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia. Ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum instauráre ómnia in Christo quæ in cœlis, et quæ in terra sunt in ipso. In quo etiam et nos sorte vocáti sumus, prædestináti secúndum propósitum ejus, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ: ut simus in laudem glóriæ ejus nos, qui ante sperávimus in Christo. In quo et vos cum audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ), in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est pignus hæreditátis nostræ in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

Graduale. Isai. 58. Quasi tuba exálta vocem tuam, et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum.

℣. Sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Allelúja, allelúja.

℣. Omnes me dereliquérunt, Dóminus autem mihi ádstitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 10.

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem páuci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui. Et si ibi fúerit filius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. 2 Corinth. 3. Non sumus sufficiéntes cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est, qui et idóneos nos fecit minístros novi Testaménti.

Secreta.

Immaculatum Agnum, qui in ara Crucis pro nobis se ipsum óbtulit, tibi, Dómine, offeréntes, quæsumus, ut Passiónis ejus jugis meditátio corda nostra inflámmet, quæ beatum Leonárdum quotídie offeréntem in conspéctu tuo adússit et inflammávit. Per eumdem Dóminum.

Communio. 2 Corinth. 3. Pro Christo legatióne fúngimur tamquam Deo exhortánte per nos. Obsecrámus pro Christo, reconciliámini Deo.

Postcommunio.

Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quæsumus Dómine, méritis sancti Leonárdi Confessóris tui, et quos divínis aliméntis recreásti, fac, ipso intercedénte, usque in finem tua protectióne munítos. Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS

DIE XII.

INVENT. CORP. S. FRANCISCI ASSIS. CONFESSORIS

Introitus.

Miserere mei, Dómine: vide humilitátem meam, qui exáltas me de portis mortis, ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis filiæ Sion.

Ps. 9. **Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo; narrábo ómnia mirabília tua.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui pretiósum beati Patris Francísci Confessóris tui corpus e ténebris in lucem proférri fecísti : da nobis quæsumus, ut ejus intercessióne, e nocte peccatórum edúcti, gressus nostros in viam pacis et justítiæ dirigámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beati Páuli Apóstoli ad Gálatas. Cap. 6.

Fratres, mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israel Dei. De cætero nemo mihi moléstus sit: ego enim Stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale. Sap. cap. 3. **Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis.**

℣. **Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.**

Allelúja, allelúja.

℟. Ps. 33. **Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Allelúja.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** Cap. 11.

In illo témpore : respóndens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui volúerit Filius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium. Reg. 4. **Dimíttite eum: nemo commóveat ossa ejus; et intácta mansérunt ossa illíus.**

Secreta.

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus, illíus Córporis Inventiónem honóre débito recoléntes, in quo, prærogatíva mirábili, Passiónis tuæ sacra Stígmata renovásti. Qui vivis.

Præf. (pro Ord. Min.) **Qui venerándum,** de sancto Francisco.

Communio. Job 11. **Defóssus, secúrus dórmies; requiésces, et non erit qui te extérreat.**

Postcommunio.

Cœlestibus, Dómine, reféeti mystériis, Te supplíciter exorámus, ut beati Patris Francísci méritis et intercessióne, per ejus vestígia gradiéntes, ætérna gáudia cónsequi mereámur. Per Dóminum.

KALENDARIUM ET INDEX

Quæ hic non recensentur Missæ de Passione Domini, SS. Cordis Jesu, et propriæ Sanctorum, reperire est vel in Proprio Missalis vel in Appendice pro Aliq. Locis.

Missas propriás pro aliquibus Siciliæ locis typis Eq. Petri Marietti, typographi Pontif. et Archiep. nuper impressas cum aliis probatis editionibus concordare reperimus: eas propterea publicari permittimus.

Taurinorum Augustæ, die 25 Septembris 1874.

Can. Præp. **JOSEPH ZAPPATA** Vic. Gen.
Can. CAVIASSI, Pro-Cancel.

Ex Typ. ~~Pontif. et Archiep. Eq.~~ Petri Marietti.

MISSÆ PROPRIÆ

SS. DIŒCESIS FLORENTINÆ

ET ALIORUM FESTORUM

QUÆ JUXTA NOVISSIMA S. R. C. DECRETA PRÆCEPTÆ SIVE CONCESSÆ SUNT.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXVII.

S. GREGORII THAUMAT.

EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die xvij. Novembris.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV.

S.BERNARDI CONF.FLOR.

EPISC. PARM.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

DEUS mundi creátor, et rector, qui hodiérna die beátum Bernárdum Pontíficem ad cœléstis regni glóriam transtulísti; da nobis fámulis tuis, ut qui, ejus celebrámus, festivitátem, salútem consequámur et pacem. Per Dóminum.

DIE VII.

IN VIGILIA

IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE VIII.

IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Missa ut in Missali.

DIE XII.

B. JOANNIS DOMINICI

CARD. EP. RAGUSINI, CONF. FLOR.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

DEUS largítor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem atque Pontíficem, in conservánda Ecclésiæ unitáte, instaurandáque regulári disciplína virtúte roborásti; per ipsíus intercessiónem tríbue nobis idípsum sentíre et fácere in Christo Jesu dómino nostro. Qui tecum.

Secreta.

PER ipsam immaculátam hóstiam, quam tibi, Dómine, offérimus, concéde; ut intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo atque Pontífice, fidem et pacem servémus júgiter in Christo Jesu dómino nostro. Qui tecum.

Postcommunio.

LARGIRE benígnus in nobis, Dómine; ut hujus sacrifícii partícipes effécti, per mérita beáti Joánnis Confessóris atque Pontíficis, omnis boni grátiam in præsénti, et ætérnæ retributiónis præmium tríbuas in futúro. Per Dóminum.

DIE XIV.

S. BARBARÆ VIRG. MART.

ass. ex iv. hujus.

Missa ut in Appendice Missalis.

Deinde fit com. Oct. et Feriæ. Præfatio de Octava.

FESTA JANUARII.

DIE XXVI.

TRANSLAT. S. ZENOBII

EPISC. ET CONF. FLOR.

Missa, **Sacerdótes tui,** de Comm. ij. loco.

Oratio.

Deus, qui in sacra beáti Zenóbii Confessóris tui atque Pontíficis Translatióne nova mirácula suscitásti; concéde quæsumus, ut ejus intercedéntibus méritis, in cœléstem glóriam transférri mereámur. Per Dñum.

In Metrop. tantum dicitur Credo.

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

S. VERDIANÆ VIRG. FLOR.

Missa, Dilexísti, de Comm.

DIE II.

PURIFICATIONIS B. M. V.

Celebratur cum Octava in tota Diœcesi.

DIE III.

S. BLASII, EPISC. MART.

Missa, Sacerdótes Dei, de Comm. unius Mart. ij. loco.

Secunda Oratio Octavæ, iij. de Spiritu Sancto, Credo, et Præfatio de Octava.

DIE VI.

S. TITI EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, die vj. Februarii, ass. ex iv. Jan.

Et fit com. Oct. Purificat. et S. Dorotheæ Virg. et Mart. ut in Missali.

DIE VIII.

S. PETRI IGNEI, EPISC. ET CONF. FLOR.

Missa, Státuit. Oratio. Da, quæsumus omnípotens Deus, ut beáti Petri Ignei, etc. sic exprimitur nomen in Postcommunione.

Fit com. Octavæ.

DIE IX.

OCT. PURIFICAT. B. M. V.

Missa ut in Festo cum com. S. Apolloniæ Virg. et Mart.

DIE XI.

BB. SEPT. FUNDATORUM ORD. SERVORUM B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis. Oratio. Deus qui.

DIE XIII.

S. CATHARINÆ DE RICCIIS FLOR. VIRG. ORD. PRÆD.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XVII.

B. ALEXII DE FALCONERIIS, CONF. FLOR.

Missa, Justus, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Aléxium Confessórem tuum, inter céteras egrégias dotes, singuláris pudicítiæ, atque exímia humilitátis laude decoráre dignátus es: concéde nobis fámulis tuis; ut ejus imitatióne a carnálibus illécebris abstinéntes, mundána ómnia despícere, ac cœléstia solum appétere studeámus. Per Dóminum.

DIE XVIII.

B. JULIÆ A CERTALDO VIRGINIS.

Missa, Dilexísti, de Comm. Virg.

Oratio.

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere; da nobis per mérita et intercessiónem beátæ Júliæ Vírginis tuæ, ut a malis, quæ pro peccátis nostris pátimur, erépti, facílius dona cœléstia capiámus. Per Dóminum.

DIE XXV.

S. PETRI DAMIANI CARD. EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Missa ut in Missali, die xxiii. hujus.

DIE XXVI.

S. ANDREÆ, EPISCOPI ET CONF. FLOR.

Missa, Státuit, in Metrop. tantum cum Credo.

DIE XXVIII.

B. ANTONIÆ, VID. FLOR.

Missa, Cognóvi, ut in Comm.

Oratio.

Deus, qui beátam Antóniam fámulam tuam per omnes vitæ sémitas ad te mirabíliter traduxísti : tríbue quæsumus, ut ejus méritis et exémplis ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

MISSÆ PROPRIÆ
Mysteriorum Passionis
DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
Ut in Appendice Missalis.

FESTA MARTII.

DIE I.

B. VILLANÆ DE BOTTIS FLOR. NEC VIRG. NEC MART. ORD. PRÆD.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart.

Oratio.

Deus, qui beátam Villánam fámulam tuam a mundi illécebris revocátam, per omnes pœniténtiæ et humilitátis sémitas transíre fecísti : illíus intercessióne concéde, ut reátus nostri conféssio indulgéntiam tuam váleat inveníre. Per Dóminum.

Secreta.

Beatæ Villánæ memóriam recoléntes, acceptábile fiat sacrifícium, quod tibi offérimus, Dómine Deus; ut delictórum nostrórum véniam percípere mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlestibus reficti delíciis quæsumus, omnípotens Deus; ut, intercedénte beáta Villána, a peccatórum néxibus solúti, et grátiæ tuæ ubertáte repléti, tibi semper adhæreámus. Per Dóminum.

DIE II.

TRANSLAT. S. ANTONINI, ARCHIEP. FLOR. CONF.

Missa, Sacerdótes tui, ut in Comm. ij. loco.

DIE XI. ASS. EX IX. HUJUS.

S. CATHARINÆ VIRG. DE BONONIA ORD. S. CLARÆ.

Missa, Vultum tuum, de Comm. sed Evang. sumitur ex Missa, Dilexísti.

Oratio.

Concede nos fámulos tuos, Deus, beátæ Catharínæ Vírginis suffrágiis adjuvári : cujus odóre unguentórum tráhimur ad tua sancta lætántes. Per Dóminum.

In Quadrag. fit commem. Feriæ.

Secreta.

Illo nos igne in hoc sacrifício offeréndo fac quæsumus, Dómine, veheménter incéndi, quo beáta Catharína Virgo seípsam tibi offerébat júgiter famulári. Per Dóminum.

Postcommunio.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut, sicut beátæ Catharínæ Vírginis corpus incorrúptum servásti, ita nos fácias per hæc sancta, quæ súmpsimus, ab omni culpárum labe servári. Per Dóminum.

DIE XIV.

B. M. V. DE SUCCURSU.

Missa, Salve, ex votiva B. M. V. a Purif. ad Pascha.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beátam vírginem Maríam unigéniti Fílii tui Matrem esse voluísti, da nobis, quæsumus, ut ea intercedénte diabólica vitáre contágia, et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 19.

In illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cléophæ,

et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Præfatio, Et te in Festivitáte.

DIE XVI.

B. TORELLI EREMITÆ, ET CONFESSORIS.

Missa, Justus, de Comm. ij. loco.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus ; ut quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, interveniénte beáto Toréllo Confessóre tuo, véniam largiáris et pacem. Per Dóminum.

Epistola, Quæ mihi, ut ibi.

DIE XX.

B. HIPPOLYTI GALANTINI, CONGREGATIONIS DOCT. CHRIST. FUNDATORIS.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

DEUS, qui ad christiánam parvulórum et rúdium institutiónem, beátum Hippólytum inter sæculi curas singulári caritáte decorásti : ipsíus méritis concéde, nos ópere implére, quæ fide percépimus, et ad promíssa fidélibus gáudia perveníre. Per Dóminum.

Secreta.

SACRA múnera, Dómine, quæ tibi offérimus, eum nobis cónferant fervórem caritátis ; quo beátus Hippólytus júgiter in tui famulátu flagrábat. Per Dóminum.

Postcommunio.

DIVINA doctrína institútis, cœlésti mensa satiátis spíritum nobis, Dómine, tuæ dilectiónis infúnde; quo beátus Hippólytus corde fervébat, et álios verbo et exémplo stúduit inflammári. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

FESTA APRILIS.

DIE I.

IMPRESS. SS. STIGMATUM IN CORPORE S. CATHARINÆ VIRG. SENENSIS.

Missa, Dilexísti, de Comm.

Oratio.

DA quæsumus, omnípotens Deus ; ut qui beátæ Catharínæ Vírginis tuæ sacra Stígmata cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta.

ASCENDANT ad te, Dómine, quas in beátæ Catharínæ solemnitáte offérimus, preces, et hóstia salutáris virgíneo fragrans odóre. Per Dóminum.

Postcommunio.

ÆTERNITATEM nobis, Dómine, cónferat, qua pasti sumus, mensa cœléstis; quæ beátæ Catharínæ Vírginis vitam étiam áluit temporálem. Per Dóminum.

DIE IX.

B. UBALDI DE ADIMARIIS CONF. FLOR.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont. j. loco.

Oratio.

ECCLESIAM tuam, quæsumus Dómine, júgiter amplificáre dignéris; et beáto Ubáldo deprecánte, ab impiórum seditiónibus et ab hóstium insídiis incólumem custodíre. Per Dóminum.

DIE XIX.

S. CRESCENTII, CONF. FL.

Missa, Os justi, ut in Comm. in Metrop. tantum cum Credo.

DIE XX.

S. AGNETIS DE MONTE POLITIANO, VIRG.

Missa, Dilexísti, de Comm.

Oratio.

DEUS, qui beátam Agnétem Vírginem tuam cœlésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis ejus loca divérsis enátis flóri bus decoráre dignátus es : concéde propítius; ut ejus précibus perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per Dóminum.

DIE XXVI.

APPARITIONIS B. M. V. DE BONO CONSILIO.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XXVIII.

S. PAULI A CRUCE, CONF.

Missa ut in Missali.

FESTA MAJI.

DOMINICA I.

B. M. V. DIVINI PASTORIS MATRIS.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Divíni Pastóris Matris : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei, allelúia, allelúia. Ps. 63. Protexísti me Deus a convéntu malignántium; a multitúdine operántium iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui univérsum mundum ineffábili tua providéntia regis atque gubérnas ; præsta nobis fámulis tuis, ut intercedénte beáta María semper Vírgine, quæ vígili custódia nos pascit, ab hóstibus defénsi et fructus tui dulcédine satiáti, ad cœléstem pátriam secúri perducámur. Per Dóminum.

Et fit com. Dominicæ occurrentis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 4.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris ; et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis : in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient : et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúia, allelúia. ℣. Isaiæ 53. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit, allelúia. ℣. Virgo gloriosíssima, Mater misericórdiæ, réspice in nos, et dírige nos in viam rectam, allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale. Cant. 1. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum. ℣. Pasce hædos tuos juxta tabernácula pastórum, allelúia, allelúia. ℣. Isaiæ 53. 6. Omnes nos quasi oves errávimus ; unusquísque in viam suam declinávit, allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 19.

IN illo témpore : Stabant juxta crucem Jesu, Mater ejus, et soror Matris ejus, María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem dili-

gébat, dicit matri suæ : Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Et dicitur Credo.

Offertorium. Prov. 9. Si quis est párvulus véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est : Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum, quod míscui vobis. Allelúia.

Secreta.

PRÆSTA quæsumus, omnípotens Deus; ut, précibus beátæ Maríæ semper Vírginis, fidéles tui hóstiam salutárem tibi fervéntius ófferant, et efféctum consequántur. Per Dóminum.

Secreta Dominicæ.

Præfatio, Et te in Festivitáte.

Communio. Ps. 137. Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me ; et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua. Allelúia.

Postcommunio.

GRATIAS tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti, tuam misericórdiam deprecántes ; ut ab illécebris carnis et mundánis oblectaméntis, sub custódia semper Vírginis Maríæ, segregáti, cœléstia gáudia indesinénter appetámus. Per Dñum.

Postcommunio Dominicæ et ejus Evangelium in fine.

DIE II.

S. ANTONINI ARCHIEP. FL. ET COMPAT. CIV. AC DIŒC. FLOR.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont. cum Credo.

Oratio.

SANCTI Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adjuvémur; ut, sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per Dóminum.

Secreta.

SACRIFICIUM nostrum, Dómine, beátus Antonínus Sacérdos majestátis tuæ óculis reddat accéptum; qui se tibi dum vixit sanctam ac placéntem hóstiam immolávit. Per Dóminum.

Postcommunio.

VITALI cibo recreáti grátias tibi, Dómine ágimus et rogámus ; ut quod ad glóriam súmpsimus sancti tui Præsulis Antoníni, ejus précibus sit nobis contra hostíles ímpetus auxílium. Per Dóminum.

DIE X.

B. NICOLAI ALBERGATI, EPISC. CARD. ET CONF.

Missa, Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. ij. loco.

DIE XI.

B. JOANNIS A VESPIGNANO, CONFESSORIS.

Introitus. *Jacob.* I.

RELIGIO munda, et immaculáta apud Deum, et Patrem hæc est, visitáre pupíllos, et víduas in tribulatióne eórum, et immaculátum se custodíre ab hoc sæculo. Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem, in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Joánnem Confessórem tuum singuláris misericórdiæ in páuperes, et exímiæ pœniténtiæ grátia decorásti : ejus méritis, et précibus concéde, ut peccáta nostra plángere, et eleemósynis redímere valeámus. Per Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccl. 2.

QUI timent Dóminum non erunt incredíbiles verbo illíus : et qui díligunt illum, conservábunt viam illíus. Qui timent Dóminum, inquírent quæ beneplácita sunt ei : et qui

díligunt eum replebúntur lege ipsíus. Qui timent Dóminum præparábunt corda sua, et in conspéctu illíus sanctificábunt ánimas suas. Qui timent Dóminum custódiunt mandáta illíus, et patiéntiam habébunt usque ad inspectiónem illíus, dicéntes: Si pœniténtiam non egérimus, incidémus in manus Dómini, et non in manus hóminum. Secúndum enim magnitúdinem ipsíus, sic et misericórdia illíus cum ipso est.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 31. Stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum. Allelúia. ℣. 2. Cor. 9. Qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale Eccli. 31. Beátus vir qui post aurum non ábiit : nec sperávit in pecúnia et thesáuris. ℣. Ps. 34. Anima ejus exultábit in Dómino, et delectábitur super salutári suo.

Allelúia, allelúia. ℣. 2. Cor. 9. Qui séminat in benedictiónibus de benedictiónibus et metet. Allel.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 11. 37.

In illo témpore : Rogávit Jesum quidam Pharisæus, ut pránderet apud se, et ingréssus recúbuit. Pharisæus autem cœpit intra se réputans dícere, quare non baptizátus esset ante prándium. Et ait Dóminus ad illum : Nunc vos, Pharisæi, quod déforis est cálicis, et catíni mundátis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapína et iniquitáte. Stulti, nonne qui fecit quod déforis est, étiam id, quod deíntus est, fecit? Verúmtamen quod súperest date eleemósynam, et ecce ómnia munda sunt vobis. Sed væ vobis Pharisæis, quia decimátis mentam et rutam et omne olus, et prætéritis judícium et caritátem Dei: hæc autem opórtuit fácere, et illa non omíttere.

Offertorium. Ps. 9. Desidérium páuperum exaudívit Dóminus : præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Secreta.

Levantes puras manus ad te, Dómine, hóstiam placatiónis offérimus, et beáto Joánne Confessóre tuo intercedénte, supplíciter pétimus; ut durítiam nostri cordis emóllias, et dulcédine tuæ caritátis benígne perfúndas. Per Dóminum.

Communio. Ps. 111. Jucúndus homo qui miserétur, et cómmodat; dispónet sermónes suos in judício, quia in ætérnum non commovébitur.

Postcommunio.

Angelicis ad altáre tuum pasti delíciis, perpétuo nos, Dómine, comitáre præsídio; ut beáti Joánnis Confessóris tui exémpla sectántes, in fide, spe et caritáte continuáto desidério semper vivámus. Per Dóminum.

DIE XIV.

B. GHERARDI A VILLAM. CONFESSORIS.

Missa, Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

Oratio.

Deus, qui per jugem Fílii tui Passiónis memóriam beátum Gherárdum Confessórem tuum altíssimæ contemplatiónis, et pœniténtiæ stúdio decorásti; da nobis fámulis tuis, ut ejus vestígiis inhæréntes, redemptiónis præmia cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Per hanc, quam tibi offérimus, hóstiam Unigéniti

Fílii tui Passiónis mystéria renovántes, te, Dómine, súpplices deprecámur; ut illum pectóribus nostris ínseras in Christum passum affèctum, quo beáti Gherárdi cor, ea recoléndo, æstuábat. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

CŒLESTI dape reféсti te, Dómine, supplíciter deprecámur, ut beáti Gherárdi méritis et exémplis tuo semper amóre fervéntes, gáudia cum ipso consequámur ætérna. Per Dóminum.

DIE XV. ASS. EX I. HUJUS.

S. PEREGRINI LATIOSI ORD. SERV. B. M. V. CONF.

Missa, Justus, ut in Communi.

Oratio.

DEUS qui beáto Peregríno Angelum cómitem, magístram Deíparam, Jesum tetri últeris médicum mire dedísti: da per mérita ipsíus, obsecrámus, ut sanctum Angelum, Vírginem, Salvatórem singuláriter et amémus in terris, et collaudémus in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

DIE XIX.

B. HUMILIANÆ DE CERCHIIS, VID. FLOR.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, dulcédo córdium, et præmium beatórum, qui beátam Humiliánam tuo amóre succénsam suavíssima contemplatiónis dulcédine replevísti: concéde propítius, ut ejus méritis et imitatióne tibi júgiter adhæréntes, tuæ celsitúdinis spéciem contemplári perpétuo mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera, quæ in beátæ Humiliánæ solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus Dómine, intercedénte beáta Humiliána; ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

DIE XX.

S. GUIDI DE GHERARDESCA, CONF.

Missa, Os justi, ut in Comm. Conf. non Pont. j. loco.

Oratio.

CŒLESTIUM donórum inspirátor et distribútor, miséricors Deus, da nobis fámulis tuis beáti Guidi Confessóris imitatióne et précibus cadúca mundi despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

DIE XXII.

S. HUMILITATIS ABBATISSÆ, VIDUÆ.

Missa, Cognóvi, de Commun.

Oratio.

DEUS, qui per beátam Humilitátem, sacris virgínibus vitæ normam et exémplum præbuísti: concéde nobis, ipsa interveniénte, ut ejus vestígia sequéndo, quæ verbo et ópere dócuit, compleámus. Per Dóminum.

DIE XXIV.

B. M. V. SUB TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XXV.

S. ZENOBII EPISC. FLOR. ET CONF. TOTIUS DIŒC. PATRONI.

Introitus *Ezech. c.* 34.

VISITABO oves meas, et suscitábo Pastórem, qui pascat eas; ego autem Dóminus ero eis in Deum, et servus meus

princeps in médio eárum. Ps. 131. Meménto Dómine David ; et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Zenóbium Confessórem tuum atque Pontíficem, prædicatiónis grátia, virtútum et miraculórum glória sublimásti : da fámulis tuis, quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne compléré. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Cap. 3.

FRATRES. Audístis dispensatiónem grátiæ Dei, quæ data est mihi in vobis : quóniam secúndum revelatiónem notum mihi factum est Sacraméntum, sicut supra scripsi in brevi : prout potéstis legéntes intellígere prudéntiam meam in ministério Christi : quod áliis generatiónibus non est ágnitum filiis hóminum, sícuti nunc revelátum est sanctis Apóstolis ejus, et Prophétis in spíritu, gentes esse cohærédes et concorporáles, et compartícipes promissiónis ejus in Christo Jesu per Evangélium, cujus factus sum miníster, secúndum donum grátiæ Dei, quæ data est mihi, secúndum operatiónem virtútis ejus. Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio Sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit : ut innotéscat principátibus, et potestátibus in cœléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei, secúndum præfinitiónem sæculórum, quam fecit in Christo Jesu dómino nostro.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Deut. 28. 12. Elégit eum Dóminus Sacerdótem magnum, et apéruit ei thesáurum, et abundáre fecit ómnibus bonis. Allelúia. ℣. Eccl. 6. 32. Indúit eum stolam glóriæ, et coronávit eum in vasis virtútis. Allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale. Dan. 12. 3. Qui ad justítiam erudívit multos, fulgébit quasi stella in perpétuas æternitátes. ℣. Et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem.

Allelúia, allelúia. ℣. O virum ineffábilem, per quem tanta nobis mirácula corúscant. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Cap. 10.

IN illo témpore : Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit, et lupus rapit et dispérgit oves : mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum Pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem, et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli : et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Et dicitur Credo, per totam Octavam.

Offertorium. Isaiæ 42. 1. Ecce servus meus, suscípiam eum, et eléctus meus : complácuit sibi in illo ánima mea, et dedi spíritum meum super eum.

Secreta.

SACRANDUM tibi, Dómine, munus offérimus, quo beáti Ze-

nóbii Confessóris atque Pontífi-cis solémnia recenséntes, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Communio. Num. 25. Ecce do ei pacem fœderis mei, et erit ipsi pactum Sacerdótii sempitérnum, quia zelátus est pro Deo suo.

Postcommunio.

MYSTICIS, Dómine, repléti Sacraméntis te supplíciter deprecámur: ut quæ pro beáti Zenóbii Confessóris tui atque Pontíficis celebráta sunt glória, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

DIE XXVII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRG. FLOR.

Introitus. *Osee* 2.

SPONSABO te mihi in sempitérnum; et sponsábo te mihi in justítia et judício, et in misericórdia, et in miseratiónibus. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem tuo amóre succénsam cœléstibus donis decorásti: da, ut quam festíva celebritáte venerámur, puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

In Missis privatis fit tantum com. S. Joannis Papæ Mart. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 8.

LÆVA ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, Fíliæ Jerúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua: ibi violáta est génitrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio; lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Ps. 72. Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas, et convérsus vivificásti me; et de abyssis terræ íterum reduxísti me. ℣. Ps. 93. Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Allelúia, allelúia. ℣. Gal. 2. Christo confíxa sum Cruci: vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. De ore prudéntis procédit mel; dulcédo mellis est sub lingua ejus, favus distíllans lábia ejus. Allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde ejus, et prudéntia in sermóne oris illíus. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 11.

IN illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi Pater, dómine cœli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo: et nemo novit Fílium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius

reveláre. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve. Credo, ratíone Octavæ.

Offertorium. Ps. 17. **Misit de summo, et accépit me, et assúmpsit me de aquis multis. Erípuit me de inimícis meis fortíssimis.**

Secreta.

DEUS, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem Spíritus Sancti donis mirabíliter inflammásti: da ut, ipsa intercedénte, Spíritus Sanctus igne sui amóris corda nostra benígne succéndat. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Communio. Ps. 17. **Retríbuet mihi Dóminus secúndum puritátem mánuum meárum, in conspéctu oculórum ejus.**

Postcommunio.

SUMPSIMUS, Dómine, sacri dona mystérii te humíliter deprecántes; ut sicut in beáta María Magdaléna Vírgine magnália tua prædicámus, sic tuæ misericórdiæ largitátem piis ejus précibus consequámur. Per Dóminum.

DIE XXVIII.

S. PODII, EPISC. CONF. FL.

Missa, **Státuit**, de Comm. j. loco, com. Oct. S. Zenobii cum **Credo.**

DIE XXXI.

S. ANGELÆ MERICIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Missali.

FESTA JUNII.

DOMINICA III. POST PENTEC.

PURIS. CORDIS B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE I.

IN OCTAVA S. ZENOBII, EPISC. CONF. FLOR.

Missa. **Visitábo**, ut in Festo.

DIE II. ASS. EX XXVIII. MAII.

B. MARIÆ BARTOLOMÆÆ DE BAGN. VIRG. FLOR.

Missa, **Dilexísti**, de Communi.

Oratio.

AMATOR animárum Deus, qui in beáta María Bartolomæa Vírgine tua miram ægritúdinum tolerántiam pari cum innocéntia sociásti; concéde, ut qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

PANEM Angelórum, et vinum gérminans vírgines offeréntes tibi, Dómine, beáta María Bartolomæa Vírgine intercedénte, a sórdibus líbera, ut inter puras Angelórum ácies perpétuo collocári mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

EFFUNDE super nos, Dómine Jesu, grátiam tuæ miseratiónis, et præsta; ut, intercedénte beáta María Bartolomæa Vírgine tua, ab ómnibus adversitátibus liberémur, et in tuo servítio perseverántes ad ætérnam perveníre lætítiam valeámus. Qui vivis.

DIE V.

S. BONIFACII, EPISC. ET MARTYRIS.

Missa ut in Missali, eadem die.

DIE VII.

TRANSLAT. S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS VIRG. FL.

ass. ex 31. Maji.

Missa, **Vultum tuum**, ut in Comm.

DIE XVII.

S. RAYNERII, CONF.

Introitus. *Jerem. Thr.* 2.

DEFECERUNT præ lácrymis óculi mei, effúdi sicut aquam cor meum ante conspéctum Dómini. Ps. 41. Fuérunt mihi lácrymæ meæ panes die ac nocte: dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus? ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos beáti Raynérii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius, ut ejus in cœlis mereámur habére consórtium, cujus in terris patrocínio adjuvámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 4.

FILI, eleemósynam páuperis ne defráudes, et óculos tuos ne transvértas a páupere. Animam esuriéntem ne despéxeris, et non exásperes páuperem in inópia sua. Cor ínopis ne afflíxeris, et non prótrahas datum angustiánti. Rogatiónem contribuláti ne abjícias, et non avértas fáciem tuam ab egéno. Ab ínope ne avértas óculos tuos propter iram, et non relínquas quæréntibus tibi retro maledícere. Maledicéntis enim tibi in amaritúdine ánimæ exaudiétur deprecátio illíus; exáudiet autem eum qui fecit illum. Congregatióni páuperum affábilem te fácito, et presbytero humília ánimam tuam, et magnáto humília caput tuum. Declína páuperi sine tristítia aurem tuam, et redde débitum tuum, et respónde illi pacífica in mansuetúdine. Líbera eum, qui injúriam pátitur de manu supérbi, et non ácide feras in ánima tua.

Graduale. Ps. 76. Rénuit consolári ánima mea et dixi: Nunc cœpi: hæc mutátio déxteræ Excélsi. ℣. Ps. 9. Qui exáltas me de portis mortis, ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Allelúia, allelúia. ℣. Isaiæ 12. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Allelúia.

Post Septuagesimam (in Missis Votívis) omissis Allelúia et versu sequénti, dicitur Tractus. Ps. 58. Opérui in jejúnio ánimam meam, et pósui vestiméntum meum cilícium. ℣. Jer. 12. Relíqui domum meam, dimísi hæreditátem meam. ℣. Ps. 15. Dóminus pars hæreditátis meæ.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Isaiæ 12. Fortitúdo mea et laus mea, Dóminus, et factus est mihi in salútem. Allelúia. ℣. Ibid. 49. Glorificátus sum in óculis Dómini. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 19.

IN illo témpore: Ecce unus accédens ait Jesu: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam ætérnam? Qui dixit ei: Quid me intérrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam íngredi, serva mandáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicídium fácies; non adulterábis; non fácies furtum; non falsum testimónium dices; honóra patrem tuum, et matrem tuam; et díliges próximum tuum sicut teípsum. Dicit illi adoléscens: Omnia hæc custodívi a juventúte mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cœlo: et veni, séquere me.

Offertorium. Ps. 93. Secún-

dum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Secreta.

ADESTO supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus, ut quos devótio sancta vivíficat, beáto Raynério intercedénte, ab omni adversitáte cœléstia múnera tueántur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 29. Convertísti planctum meum in gáudium mihi : conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. Allelúia.

Postcommunio.

SALUTARIBUS reføcti mystériis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, tuæ propitiatiónis augméntum ; ut beáti Raynérii præclára vestígia facílius imitántes, virtútem páriter assequámur et præmia. Per Dñum.

DIE XVIII.

B. PETRI DE PISIS CONF.

Missa, Os justi, ut in Comm.

Oratio.

DEUS, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum : da nobis beáti Petri Confessóris tui ita inhærére vestígiis, ut assequámur et præmia. Per Dóminum.

DIE XX.

B. BENINCASÆ CONF. FL.

Missa, Justus, ut in Comm. ij. loco.

Oratio.

DEUS, qui beáto Benincásæ Confessóri tuo mundi hujus oblectaménta superáre dedísti ; fac nos ita ejus inhærére vestígiis, ut assequámur et præmia. Per Dóminum.

Et fit com. S. Silverii Papæ Mart.

Secreta.

MUNERA nostra bénedic, miséricors Deus; et beáto Benincása Confessóre tuo interveniénte, fac nos ad divína peragénda mystéria indesinénter aptári. Per Dóminum.

Postcommunio.

CŒLESTI alimónia et spirituáli potu refécti, te, Deus, exorámus ; ut méritis et intercessióne beáti Benincásæ Confessóris tui, sancti Spíritus igne corda nostra veheménter inflámmes. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

FESTA JULII.

DIE III.

S. IRENÆI EPISC. MART.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE VII.

S. ROMULI EPISC. FESUL. ET MARTYRIS.

Missa, Státuit, de Comm. unius Mart.

Oratio.

DEUS mirábilis in sanctis tuis, qui beáto Rómulo Mártyri tuo atque Pontífici, ad propagándum Evangélium, virtútem sermónis et miraculórum ubérrime contulísti : concéde propítius; ut ejus labóris fructum percipiámus in cœlis, cujus solémnia celebrámus in terris. Per Dóminum.

DIE IX.

S. VERONICÆ DE JULIANIS VIRGINIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XI.

B. ANGELI AUGUSTINI MAZZINGHI CONF. FLOR.

Introitus. *Psalm.* 102.

MISERICORDIA Dómini ab ætérno, et usque in ætérnum super timéntes eum. Ps. Bénedic ánima mea Dómino, et ómnia quæ intra me sunt nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beáti Angeli Confessóris tui solemnitáte lætíficas; præsta, ut quem religiósæ vitæ assertórem habúimus in terris, patrónum habére mereámur gloriósum in cœlis. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Cap. 3.

FRATRES, indúite vos sicut elécti Dei, sancti, et diléçti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam. Supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet quærélam, sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore, et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter in omni sapiéntia, docéntes et commonéntes vosmetípsos, psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo, et Patri per ipsum.

Graduale. Ps. 104. Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus, annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Ps. 118. In lábiis meis pronuntiávi ómnia judícia oris tui: in via testimoniórum tuórum delectátus sum, sicut in ómnibus divítiis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 48. Os meum loquétur sapiéntiam, et meditátio cordis mei prudéntiam. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 12.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus expectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis, Ut cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, fílius hóminis véniet.

Offertorium. Eccli. 38. Cor suum dabit in consummatiónem óperum, et vigília sua ornábit in perfectiónem.

Secreta.

VOTA pópuli tui, Dómine, propitiátus inténde, et beáti Angeli Confessóris tui, cujus tríbuis solemnitáte gaudére, fac suffrágiis adjuvári. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Job 33. Símplici corde sermónes mei, et senténtiam puram lábia mea loquéntur.

Postcommunio.

MYSTICIS, Dómine, repléti sumus votis et gáudiis: præsta quæsumus, ut intercessióne beáti Angeli, quæ temporáliter gérimus, spirituáliter consequámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XXI. ASS. EX XX. JULII.

S. ELIÆ PROPHETÆ.

Introitus. 3. *Reg.* 19.

ZELO zelátus sum pro Dómino Deo exercítuum, dixit Elías ad Dóminum : quia derelíquérunt pactum tuum fílii Israel ; altária tua destruxérunt, Prophétas tuos occidérunt gládio : derelíctus sum ego solus, et, quærunt ánimam meam, ut áuferant eam. Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me : nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRÆSTA quæsumus omnípotens Deus; ut qui beátum Elíam Prophétam tuum ígneo curru mirabíliter elevátum esse crédimus, eódem interveniénte, ad cœléstia sublevémur, et sanctórum tuórum consórtio gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit com. S. Praxedis Virg. ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 48. 1.

SURREXIT Elías Prophéta quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in pópulos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt : non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cœlum, et dejécit de cœlo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis, et quis potest símíliter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei. Qui dejecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina judícium, et in Horeb judícia defensiónis. Qui ungis reges ad pœniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum : qui scriptus es in judíciis témporum lenire iracúndiam Dómini, conciliáre cor patris ad fílium, et restitúere tribus Jacob.

Graduale. 4. Reg. 2. Factum est, cum leváre vellet Dóminus Elíam per túrbinem in cœlum, ibant Elías et Eliséus de Gálgalis. ℣. Cumque incedéntes sermocinaréntur, ecce currus ígneus et equi ígnei divisérunt utrúmque, et ascéndit Elías per túrbinem in cœlum.

Allelúia, allelúia. ℣. Mach. 2. Elías, dum zelat zelum legis, recéptus est in cœlum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 17.

IN illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum : et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol : vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse : si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui : ipsum audíte. Et audiéntes discípuli cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis : Súrgite et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus,

dicens : Némini dixéritis visiónem , donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium. Jac. 5. 17. Elías homo erat símilis nobis passíbilis, et oratióne orávit, ut non plúeret super terram , et non pluit annos tres et menses sex : et rursum orávit, et cœlum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Secreta.

OFFERIMUS tibi, Dómine, hóstiam laudis in honórem sancti Elíæ Prophétæ tui , et sicut tu holocáusto suo adfuísti, ita sacrifícium nostrum suscípere dignéris, ut per illum ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per Dóminum.

Communio. Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Elíam Prophétam, ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis, et convértet cor patrum ad fílios, et cor filiórum ad patres eórum.

Postcommunio.

DEUS, qui per sanctum Angelum tuum beáto Elíæ Prophétæ tuo cibum et potum tribuísti; ipso interveniénte concéde, ut quæ de cœlésti mensa percépimus, sincéris méntibus illibáta servémus. Per Dóminum.

DIE XXIV.

S. CHRISTINÆ VIRG. ET MARTYRIS.

Introitus. *Psalm.* 118.

ME expectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi : omnis consummatiónis vidi finem : latum mandátum tuum nimis. Ps. id. Beáti immaculáti in via : qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas : concéde propítius ; ut qui beátæ Christínæ Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit com. Vigiliæ ut in Missali.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

CONFITEBOR tibi Dómine rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo : quóniam adjútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me : a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta : de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa. Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : ecce sponsus venit , exíte óbviam Christo Dómino. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 25.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus : quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes : sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum : prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt : Date nobis de óleo vestro : quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus : et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes : Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait : Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Ps. 44. Afferéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exultatióne, adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta.

Hostias Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe : et intercedénte beáta Christína Vírgine et Mártyre tua, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Communio. Matth. 25. Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus : média autem nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio.

Refecti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Evangelium Vigiliæ in fine.

FESTA AUGUSTI.

DIE IX.

B. JOANNIS A SALERNO CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** de Comm. j. loco.

Oratio.

Deus, qui in fídei increméntum beátum Joánnem Confessórem verbi tui præcónem exímium effecísti : ejus nobis intercessióne largíre ; ut quod corde crédimus ad justítiam, ore ad salútem confiteámur. Per Dóminum.

Fit com. Vigiliæ et S. Romani Mart. ut in Missali.

DIE XI.

S. PHILUMENÆ VIRG. MARTYRIS.

Missa, **Loquébar,** de Comm.

DIE XIII. ASS. EX II. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO EPISC. CONF. ET ECCL. DOCTORIS.

Missa ut in Missali, die ij. huj.

DIE XIV.

S. EMIDII EPISC. MART.

Introitus. ***Psalm.* 17.**

Commota est, et contrémuit terra, fundaménta móntium conturbáta sunt, quóniam irátus

est eis. Ps. 49. Invoca me in die tribulatiónis : éruam te, et honorificábis me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Emídium Mártyrem tuum atque Pontíficem idolórum victória et miraculórum glória decorásti : concéde propítius, ut eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Fit com. Vigiliæ Assumpt., Oct. S. Laurentii et S. Eusebii Conf. ut in Missali.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Cap. 11.

IN illa hora factus est terræmótus magnus, et décima pars civitátis cécidit et occísa sunt in terræmótu nómina hóminum septem míllia, et réliqui in timórem sunt missi, et dedérunt glóriam Deo cœli. Væ secúndum ábiit, et ecce væ tértium véniet cito. Et séptimus Angelus tuba cécinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicéntes : Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri, et Christi ejus, et regnábit in sæcula sæculórum : Amen. Et vigínti quátuor senióres, qui in conspéctu Dei sedent in sédibus suis, cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes : Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, et qui eras, et qui ventúrus es : quia accepísti virtútem tuam magnam, et regnásti.

Graduale. Ps. 59. Dedísti metuéntibus te significatiónem, ut fúgiant a fácie arcus. ℣. Ut liberéntur dilécti tui, salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Allelúia, allelúia. Ps. 88. Manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 21.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prælia, et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis : Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum, et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas, et custódias trahéntes ad reges, et præsides propter nomen meum. Contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis : et éritis ódio ómnibus propter nomen meum, et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 59. Commovísti terram, et conturbásti eam : sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Secreta.

MUNERA tibi, Dómine, obláta sanctífica, ut per ea, intercedénte beáto Emídio Mártyre tuo atque Pontífice, ab ómnibus ánimæ et córporis perículis liberémur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. Tímeat Dóminum omnis terra : ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Postcommunio.

SACRAMENTA, quæ súmpsimus, Dómine, per intercessiónem beáti Emídii Mártyris tui atque Pontíficis, sint nobis ad tutaméntum mentis et córporis, et ad misericórdiam tuam efficáciter consequéndam. Per Dóminum.

Evangelium Vigiliæ in fine.

DIE XVI.

S. ROCHI CONFESSORIS.

Missa ut in append. Missalis.

DOMINICA POST FESTUM S. AUGUSTINI, VEL PROXIMIORI CALENDIS SEPTEMBRIS.

B.M.V. DE CONSOLATIONE

Introitus. ***Psalm.* 44.**

ADSTITIT Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte Ps. id. E **ructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, concéde propítius : ut sicut lumbos præcíncti puríssimam genitrícem tuam Maríam, sub Consolatiónis título, gaudéntes venerámur in terris, ita perénni ejúsdem consórtio pérfrui mereámur in cœlis. Qui vivis.

Et fit com. Dominicæ.

L **éctio Isaíæ Prophétæ.** Cap. 11.

HÆC dicit Dóminus Deus : Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini, spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet ; sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ, et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus, et fides cinctórium renum ejus.

Graduale. Ps. 44. U **nxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.** ℣. **Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis.**

A **llelúia, allelúia.** ℣. Cant. 2. S **onet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Allelúia.**

✠ S **equéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.** Cap. 1.

IN illo témpore : Exúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda : et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exultávit infans in útero ejus, et repléta est Spíritu sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit : Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María : Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. C redo.

Offertorium. **Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.**

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, munus, quod tibi offérimus, memó-

riam recoléntes puríssimæ Vírginis Maríæ, quæ consolátur nos in omni tribulatióne nostra : et præsta, ut mens nostra, supérno lúmine sancti Spíritus irradiáta, terréna despíciat, et ad cœléstia semper aspíret. Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem Spíritus.

Præfatio. **Et te in Festivitáte.**

Communio. Jerem. 2. **Numquid obliviscétur virgo ornaménti sui, aut sponsa fásciæ pectorális suæ?**

Postcommunio.

FONS vitæ, Dómine Jesu, reple mentem nostram torrénte voluptátis tuæ; ut beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, Consolatiónis Matris, præsídio terréna calcántes, cœléstibus semper recreári valeámus. Qui vivis et regnas.

Evangelium Dominicæ in fine.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

B. JOANNÆ SODERINI VIRG. FLOR.

Missa, **Dilexísti,** ut in Comm.

Oratio.

DEUS, qui beátæ Joánnæ Vírgini tuæ assídua vitæ austeritáte innocéntiam custodíre tribuísti : da nobis ipsíus intercessióne cordis nostri máculas jugi pœniténtia detérgere, et purificátis tibi méntibus deservíre. Per Dóminum.

Fit com. S. Ægidii Abb. et SS. XII Fratrum Mart. ut in Missali.

Secreta.

HÆC, Dómine, obláta sanctífica, et, beáta Joánna vírgine tua intercedénte, nobis profutúra concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

ANGELORUM pane reflécti, quæsumus, omnípotens Deus, grátiæ tuæ dona confírma; ut beátæ Joánnæ vírginis tuæ vestígia sectándo, múnera capiámus ætérna. Per Dóminum.

DOMINICA III.

SEPTEM DOLORUM B.M.V.

Missa ut in Missali, eadem die, quæ dicitur et in die Octava.

DIE XXII.

B. MARIÆ DE CERVELLIONE VIRGINIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

FESTA OCTOBRIS.

DIE VIII.

S. REPARATÆ VIRG. ET MART. CONTIT. METROP.

Missa, **Loquébar,** ut in Com. In ipsa Metrop. tantum dicitur. C**redo** etiam per Octavam.

DIE XXV.

S. MINIATIS MART. FLOR.

Missa, **Lætábitur,** ut in Com. et fit com. SS. Chrysanti etc. Mart. ut in Missali.

DIE XXVI.

TRANSLAT. S. ANDREÆ CORSINI EPISC. FESUL. CONF. FL.

Missa, **Sacerdótes tui,** ut in Comm. 2 Oratio S. Evaristi Papæ Mart. ut in Missali. 3 **A cunctis.**

DIE XXVII.

SS. CRESCII ET SOC. MARTYRUM FLOR.

Missa, **Sapiéntiam,** de Comm. plur. Mart.

Oratio.

QUÆSUMUS, omnípotens Deus, ut beatórum Mártyrum tuórum Créscii, Omniónis et Emptii numquam nobis desit auxílium, quorum venerábilem tríbuis celebráre triúmphum. Per Dóminum.

Et fit com. Vigiliæ cum ejusdem Evang. in fine, ut in Missali.

DIE XXXI.

B. THOMÆ BELLACCI

CONF. FLOR.

Missa, **Os justi,** de Comm. j. loco.

Oratio.

Deus, qui admirábili cleméntia de peccatóribus justos, et de vasis iræ facis vasa misericórdiæ : concéde propítius, ut beáti Thomæ Confessóris tui précibus e vitiórum servitúte solúti, perpétua filiórum tuórum libertáte gaudére mereámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Fit com. Vigiliæ omnium SS. et dicitur ejusdem Evang. in fine, ut in Missali.

FESTA NOVEMBRIS.

DOMINICA III.

PATROCINII B. M. V.

Missa, ut in Appendice Missalis.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ

CONFESSORIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XIV.

B. JOANNÆ DE SIGNA

VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti,** ut in Communi.

Oratio.

Deus simplicitátis amátor et custos, qui nativitátem Fílii tui pastóribus prímitus revelásti, et in beáta Joánna pastorális innocéntiæ nova exémpla monstrásti : ejus précibus concéde fámulis tuis, simplicitátem et innocéntiam cordis ejus júgiter æmulári. Per eúmdem Dóminum.

DIE XVII.

S. EUGENII CONF. FLOR.

Missa, **Os justi,** ut in Communi. In Metrop. dicitur Credo.

DIE XXVI.

S. LEONARDI A PORTU

MAURITIO CONF.

Missa, **Os justi** de Comm. j. loco.

Oratio.

Deus, qui ad obstináta peccatórum corda per evangélicam prædicatiónem ad pœniténtiam flecténda, sanctum Leonárdum Confessórem tuum admirábili sanctitáte et invícto dicéndi róbore suscitásti : da, quæsumus, ut contritiónis lácrymas, ad quas ob durítiam cordis nostri permovéri non póssumus, per ejus preces ac mérita consequámur. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos ; et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis : et curáte in-

fírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Secreta.

Hæc múnera, Deus vere miséricors, fragilitáti nostræ auxiliéntur : et secúndum divítias grátiæ tuæ, fiant nobis pígnora glóriæ sempitérnæ. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quæsumus Dómine, méritis sancti Leonárdi Confessóris tui : et quos divínis aliméntis recreásti, fac, ipso intercedénte, usque in finem tua protectióne munítos. Per Dóminum.

ORATIONES
AD POSCENDA SUFFRAGIA SS. QUANDO IN MISSA OCCURRUNT.

Oratio.

A cunctis nos, quæsumus Dómine, mentis et córporis defénde perículis : et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, ac beátis Zenóbio, et Antoníno, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem : ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per eúmdem Dóminum.

In hac Oratione nomina SS. Angelorum et Joannis Baptistæ præponuntur sancto Joseph.

Secreta.

Exaudi nos, Deus salutáris noster : ut per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris, grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. Per Dóminum.

Postcommunio.

Mundet et múniat nos, quæsumus Dómine, divíni sacraménti munus oblátum : et intercedénte beáta Vírgine Dei genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, ac beátis Zenóbio et Antoníno, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. Per eúmdem Dóminum.

Concordat cum Originali.

Florentiæ, 24 Maii 1880.

Can. Caietanus Righi, V. G.

P. C. Giannini, Pro-Secret.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXX.

MISSÆ PROPRIÆ

PRO SANCTA GENUENSI ECCLESIA.

DIE I. DECEMBRIS.

S. ELIGII, CONFESSORIS.

Introitus. *Eccli.* 45.

STATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

TRIBUE nobis, quæsumus, Dómine, singulárem sancti Elígii, Confessóris tui atque Pontíficis, charitátem imitári; ut illíus mérita in spíritu et veritáte celebrémus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. I. c. 5.

SENIORES ergo, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum: qui et ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: Páscite, qui in vobis est, gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo: et cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter adolescéntes súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte, quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profícíscens vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus

ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Offertorium. Ps. 111. Jucúndus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício : quia in ætérnum non commovébitur.

Secreta.

Hæc oblátio, quæsumus Dómine, in córdibus nostris veræ charitátis efféctum confírmet, quo beátus Póntifex et Conféssor tuus Elígius terréna ómnia despéxit. Per Dóminum.

Communio. 1. Joan. 4. Hoc mandátum habémus a Deo : ut qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

Postcommunio.

Imploret nobis, Dómine, sancti Elígii, Confessóris tui atque Pontíficis, intercéssio, ita hæc divína frequentáre mystéria; ut ad ætérnum regni tui convívium perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IMMACULATÆ CONCEPT. B. M. V.

Missa, Gaudens gaudébo, a SS. D. Pio PP. IX. præscripta Decreto diei 25. Septemb. 1863.

DIE XVI. DECEMBRIS.

S. SEBASTIANI MAGGI, CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont. præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Sebastiánum Confessórem tuum reguláris disciplínæ et evangélicæ perfectiónis singulári stúdio mirábilem effecísti : concéde propítius; ut, ejus imitatióne, carne mortificáti, et vivificáti spíritu, ætérna præmia consequámur. Per Dóminum.

DIE XI. FEBRUARII.

SS. FRUCTUOSI, EPISC., AUGURII ET EULOGII DIAC. MART.

Missa, Sapiéntiam, de Comm. plur. Mart. præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Fructuósum, et ejus diáconos Augúrium et Eulógium, per ignem probátos, martyrio decorásti: concéde nobis fámulis tuis; ut, ipsórum intercessióne, flamma divíni amóris succénsi, cum illis páriter coronémur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XIII. FEBRUARII.

S. TITI, EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

Evang. Designávit Dóminus, ut infra, in Festo B. Pauli a Cruce.

Oratio.

Deus, qui beátum Titum, Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE XV. FEBRUARII.

B. PAULI A CRUCE, CONF.

Introitus. *Galat. c.* 2.

Christo confíxus sum cruci. Vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus. In fide vivo Filii Dei, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo : in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad recoléndа passiónis tuæ mystéria, ejúsque memóriam excitándam, beátum Paulum elegísti, et per eum novam in Ecclésia tua famíliam congregásti : concéde propítius; ut per ejus vestígia gradiéntes, ejúsdem

passiónis fructum percípere mereámur. Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. c. 1.

FRATRES : Nos autem prædicámus Christum crucifíxum : Judæis quidem scándalum, Géntibus autem stultítiam : ipsis autem vocátis Judæis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus : et quod infírmum est Dei fórtius est homínibus. Vidéte enim vocatiónem vestram, fratres, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes,non multi nóbiles : sed quæ stulta sunt mundi, elégit Deus, ut confúndat sapiéntes : et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia : et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrúeret:ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio : ut, quemádmodum scriptum est : Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Graduale. Galat. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi : per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Sap. 7. Optávi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus.

Allelúia, allelúia. ℣. Galat. 6. Quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Ps. 141. Effúndo in conspéctu Dómini oratiónem meam : et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio. ℣. Philip. 1. Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem. ℣. 2. Timoth. 4. Dóminus mihi ástitit, et confortávit me, ut per me prædicátio impleátur, et áudiant Gentes.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Colos. 3. Mórtui estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Allelúia. ℣. Quum Christus apparúerit, vita vestra; tunc et vos apparébitis cum ipso in glória. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

IN illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite, Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Job 29. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum : óculus fui cæco, et pes claudo : pater eram páuperum.

Secreta.

SACRA nos tibi offeréntes, Dómine, spíritus ille inflámmet, quo beátum Paulum Confessórem pro tuæ passiónis memória in fidélium córdi-

bus propagánda ad gloriósa certámina roborásti. Qui vivis et regnas.

Communio. 1. Petr. 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, cœléste sacraméntum, passiónis tuæ memoriále perpétuum, te súpplices exorántes; ut, méritis et exémplo beáti Pauli Confessóris, aquas hauriámus in gáudio de fóntibus tuis, et passiónis tuæ memória in córdibus nostris júgiter máneat. Qui vivis et regnas.

DIE XVII. FEBRUARII.

B. LUDOVICÆ DE SAB. VID.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui in beáta Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti: concéde; ut in via qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Beatæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus Dómine; ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelorum esca nutrítis concéde, quæsumus Dómine, ut amóris tui flamma, qua beáta Ludovíca æstuábat, vehementíor in córdibus nostris quotídie accendátur. Per Dóminum.

DIE XX. FEBRUARII.

B. SEBASTIANI VALFRÈ,

CONFESSORIS.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont. præter orationes sequentes.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére, sicut beátum Sebastiánum Confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi sacerdótem fidélem suscitásti. Per Dóminum.

Secreta.

Beati Sebastiáni Confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes, fac nos sacri altáris mystérium et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis afféctu. Per Dóminum.

Postcommunio.

Vitali, Dómine, sacraménto reféctos beáti Sebastiáni Confessóris tui méritis ita nos protegéndo confírma; ut quibus dedísti grátiam, largiáris et glóriam. Per Dóminum.

DIE XXIII. FEBRUARII.

S. PETRI DAMIANI, EP., CONF.

ET ECCL. DOCT.

Missa, In médio Ecclésiæ, de Comm. Doct. præter orationem seq.

Oratio.

Concede nos, quæsumus omnípotens Deus, beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis mónita et exémpla sectári: ut per terréstrium rerum contémptum ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Et dicitur Credo.

DIE I. MARTII.

S. ELISABETH,

GENITRICIS PRÆCURSORIS D. N. J. C.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart. præter orat. seq.

Evang. Fuit in diébus Heródis, ut in Vigília S. Joannis Bapt., die xxiij. Junii.

Oratio.

Vigeat, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, beátæ Elísabeth sanctíssimi Præcursóris tui genitrícis suffragántibus méritis; ut te super ómnia diligéntes, ad promis-

siónes tuas sine offensióne currámus. Qui vivis et regnas.

DIE IV. MARTII.

B. HUMBERTI DE SAB. CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont. præter orationes seq.

Evang. Homo quidam, ut in Festo S. Ludovici, die xxv. Augusti.

Oratio.

DEUS, qui beátum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et crucis mortificatiónem amplécti docuísti; da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

Secreta.

HOSTIA, quam tibi offérimus, Dómine, unigéniti Fílii tui passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beáti Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

COELESTI dape refécti, te, Dómine, deprecámur; ut beáti Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expedíti, gáudia cum ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

DIE XVIII. MARTII.

APPARITIONIS B. M. V. DE MISERICORDIA.

Introitus. *Hebr.* 4.

ADEAMUS cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Ps. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo; in generatiónem, et generatiónem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui nos mira unigéniti Fílii tui Matris intercessióne lætificáre dignátus es; concéde; ut illíus misericórdiam humíliter implorántes, tuæ circa nos pietátis semper víscera entiámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me et a generatiónibus meis impléminі: spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Tob. 13. Aspícite quæ fecit nobíscum: et cum timóre et tremóre confitémini illi. ℣. Osténdit majestátem suam. Convertímini, et fácite justítiam, credéntes quod fáciat vobíscum misericórdiam.

Tractus. Tob. 13. Luce spléndida fulgébis: et omnes fines terræ adorábunt te. ℣. Terram tuam in sanctificatiónem habébunt: nomen magnum invocábunt in te. ℣. Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum.

Temp. Pasch., omisso Graduali, dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. Isai. 66. Lætámini, et exultáte omnes, qui dilígitis eam. Allelúia. ℣. Gaudéte gáudio univérsi. Allelúia.

Infra annum post Epist. Grad., ut supr. Postea Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 50. Fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam: dedit nobis jucunditátem cordis. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem

desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María : invenísti enim grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, dum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, in mira Fílii tui Matris Apparitióne deférimus; ut sicut ipse nostrórum auctor est múnerum, ita sit ipse nobis miséricors et suscéptor Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Isaiæ 63. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis Dóminus, et super multitúdinem bonórum, quæ largítus est secúndum indulgéntiam suam, et secúndum multitúdinem misericordiárum suárum.

Postcommunio.

Deus, qui nos pretióso Córpore et Sánguine Unigéniti tui satiáre dignátus es : concéde propítius ; ut Matris ejus précibus et protectióne suffúlti, misericórdiæ sempitérnæ salutárem consequámur efféctum. Per eúmdem Dóminum.

DIE XXIV. MARTII.

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Missa, Humiliávit, ut in Appendice Missalis, sub Feria vj. post Dom. ij. Quadrag.

Per annum in Missis votivis, post Grad. dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ave Rex noster : tu solus nostros es miserátus erróres : Patri obédiens, ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúia.

Temp. Pasch., omissis Grad. et Tractu, dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ave Rex noster : tu solus nostros es miserátus erróres : Patri obédiens ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúia. ℣. Tibi glória, hosánna : tibi triúmphus, et victória : tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúia.

DIE XXX. MARTII.

B. AMEDEI DE SABAUD. CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pontif. præter orat. seq.

Evangelium. Homo quidam, ut in Festo S. Ludovici, die xxv. Aug.

Oratio.

Deus, qui beátum Amedéum Confessórem tuum de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti : da nobis, quæsumus ; ut ejus méritis et imitatióne sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

DIE XXXI. MARTII.

B. MARGARITÆ DE SAB. VID.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart., præter orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti : concéde ; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Munera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus ; ut tibi grata, et nobis salutária, beátæ Margarítæ pia supplicatióne reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut quos salutáribus dignátus es erudíre mystériis, beátæ Margarítæ intercessióne gloriósa, cœléstibus refícias aliméntis. Per Dóminum.

PRIMA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

SS. QUINQUE PLAGAR. D. N. J. C.

Missa, Humiliávit, ut in Appendice Missalis, sub Feria vj. post Dom. iij. Quadrag.

SECUNDA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Missa, Egredímini, ut in Appendice Missalis, sub Feria vj. post Cineres.

TERTIA EX SEXTIS FERIIS MENSIS MARTII.

COMMEMOR. PASSIONIS D. N. J. C.

Missa, Humiliávit semetípsum, ut in votiva de Passione, præter orationem sequentem.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concéde propítius; ut, sicut solémnem commemoratiónem Passiónis ejus celebrámus, ita et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Dicitur Credo, et Præfatio de Cruce.

DIE XXIII. APRILIS.

B. ALEXANDRI SAULI,

EPISCOPI CONFESSORIS.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont. præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Alexándrum Confessórem atque Pontíficem, reguláris disciplínæ, ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es: fac nos, quæsumus, ita ejus inhærére vestígiis; ut ad ánimæ salútem júgiter inténti, gáudia cum ipso assequámur ætérna. Per Dóminum.

DIE XXVII. APRILIS.

S. ZITÆ, VIRGINIS.

Introitus. *Psalm.* 44.

Dilexisti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. Allelúia, allelúia. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátam Zitam Vírginem ex húmili ancíllæ statu ad regnum ætérnum transtulísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut tibi fidéliter serviéntes in terris, sublimári cum ipsa mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. c. 6.

Servi, obedíte dóminis carnálibus cum timóre et tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sicut Christo: non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo, cum bona voluntáte serviéntes, sicut Dómino, et non homínibus: sciéntes quóniam unusquísque quodcúmque fécerit bonum, hoc recípiet a Dómino, sive servus, sive liber. Et vos, Dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas: sciéntes quia et illórum et vester Dóminus est in cœlis, et personárum accéptio non est apud eum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ad Coloss. 3. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini, sicut Dómino, et non homínibus: sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hæreditátis. Allelúia. ℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum

in domum suam, et huic erat soror, nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium : quæ stetit, et ait : Dómine, non est tibi curæ, quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens dixit illi Dóminus : Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima. Porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Offertorium. Prov. 31. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Allelúia.

Secreta.

Oblatum tibi, Dómine, sacrifícium, beáta Zita Vírgine intercedénte, vivíficet nos semper et múniat. Per Dóminum.

Communio. Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúia.

Postcommunio.

Corporis sacri et pretiósi Sánguinis repléti libámine, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut beátæ Zitæ Vírginis, cujus solémnia ágimus, virtútes imitémur. Per Dóminum.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. FIDELIS A SIGMARINGA, MARTYRIS.

Missa, Protexísti, ut in Missali, die xxiv. Aprilis.

FERIA VI. POST DOMINICAM IN ALBIS.

LANCEÆ ET CLAVORUM D. N. J. C.

Missa, Fodérunt manus, ut in Appendice Missalis, sub Feria vj. post Dom. j. Quadrag.

DOMINICA II. POST PASCHA.

B. M. V. GRATIARUM.

Introitus. *Ps.* 44.

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : adducéntur regi vírgines post eam : próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exultatióne. Allelúia, allel. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui humáno géneri beátæ Maríæ virginitáte fecúnda reparatiónis grátiam contulísti : concéde; ut quam Gratiárum Matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commem. Dom.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris : et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me: et a generatiónibus meis impleámini, spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur; et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúia, allelúia. ℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit : Virgo Deum et hóminem génuit : pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúia. ℣. Luc. 1. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

Post Tempus Paschale : Graduale. Benedícta, et venerábilis es, virgo María : quæ sine tactu pudóris, invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúia, allelúia. ℣. Post partum,

Virgo, inviolàta permansísti : Dei génitrix, intercéde pro nobis. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

In illo témpore ; Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María : invenísti enim grátiam apud Deum : ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur : et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus : et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua : et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis : quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María : Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. Allelúia.

Secreta.

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio Dominicæ.

Præfatio de B. M. V. Et te in Festivitáte.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. Allelúia.

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da, quæsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus Majestáti. Per Dóminum.

Deinde fit com. Dominicæ; et in fine legitur ejusdem Evangelium.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

S. CATHARINÆ VIDUÆ GENUENSIS.

Introitus. *Psalm.* 41.

Sitivit ánima mea ad Deum fortem, vivum : quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei ? Allelúia, allelúia. Ps. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus qui beátam Catharínam, in contemplánda Fílii tui passióne, divíni amóris igne flagráre fecísti : quæsumus ; ut, ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam charitátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Et fit commemor. Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 31.

Mulierem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et línum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedít-

que prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum : de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit, quia bona est negotiátio ejus : non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit inópi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis : omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi; byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo, et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias : tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo ; múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum ; et laudent eam in portis ópera ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo ? et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. ℣. Ps. 38. Concáluit cor meum intra me : et in meditatióne mea exardéscet ignis. Allelúia.

Extra Tempus Paschale dicitur Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo ? et a te quid vólui super terram ? Defécit caro mea, et cor meum : Deus cordis mei et pars mea Deus in ætérnum. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 13.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro : quem qui invénit homo, abscóndit, et, præ gáudio illíus, vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti : quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia ? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera. Credo.

Offertorium. Ps. 107. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : cantábo, et psallam in glória mea. Allelúia.

Secreta

His sacrificiis, quæsumus, omnípotens Deus, propitiátus inténde; et beáta Catharína intercedénte, spíritum in nobis tuæ dilectiónis accénde. Per Dóminum

Et fit. com. Dominicæ.

Communio. Ps. 83. **Cor meum, et caro mea exultavérunt in Deum vivum. Allelúia.**

Postcommunio.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus, ut quos tuis reficere dignátus es sacraméntis, intercedénte beáta Catharína, tríbuas pro tui amóre terréna despícere, et cœléstium semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit com. Dominicæ, et in fine legitur Evang. ejusdem.

DIE XVI. MAJI.

S. JOANNIS NEPOMUCENI,

MARTYRIS.

Missa, **D edit mihi Dóminus**, ut in Appendice Missalis.

DIE XVII. MAJI.

S. PASCHALIS BAYLON,

CONFESSORIS.

Missa, **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont., præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga Córporis et Sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius; ut, quam ille ex hoc divíno convívio spíritus percépit pinguédinem eámdem et nos percípere mereámur. Qui vivis.

DIE XX. MAJI.

S. FELICIS A CANTALICIO,

CONFESSORIS.

Missa, **Dóminus páuperem**, ut in Appendice Missalis, die xxj. Maji.

DIE XXIV. MAJI.

B.M.V. TIT. AUXILIUM CHRISTIAN.

Missa, **Salve, sancta Parens**, ut in Appendice Missalis.

DIE XXVIII. MAJI.

B. JOAN. BAPT. DE ROSSI,

CONFESSORIS.

Missa, **Os justi**, de Comm. Conf. non Pont., præter orationes seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Baptístam Confessórem tuum, in evangelizándis paupéribus charitáte et patiéntia decorásti: concéde, quæsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Secreta.

Oblatum tibi munus, quæsumus Dómine, in odórem suavitátis adscéndat: et, beáto Joánne Baptísta Confessóre tuo intercedénte, nos córpore et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Coelestis, Dómine, percéptio Sacraménti, beáti Joánnis Baptístæ Confessóris tui intercedéntibus méritis, fidéles tuos mundet et múniat, ac bonis opéribus præstet esse inténtos. Per Dóminum.

DIE XXXI. MAJI.

S. ANGELÆ MERICIÆ VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti**, ut in Appendice Missalis.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

TRANSL. SACR. CINERUM

S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Introitus. *Ps.* 28.

Vox Dómini super aquas: Deus majestátis intónuit: Dóminus super aquas multas. Allel., allel. Ps. **Vox Dómini in virtúte: vox Dómini in magnificéntia.** Glória Patri.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum Cinerum

beáti Joánnis Baptístæ adépta possessióne gloriámur; ejus méritis et précibus, a malis imminéntibus liberémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Léctio Isaíæ Prophétæ. c. 40.

Vox clamántis in desérto : Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in dirécta, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter, quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis : Clama. Et dixi : Quid clamábo ? Omnis caro fœnum, et omnis glória ejus quasi flos agri. Exsiccátum est fœnum, et cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. Vere fœnum est pópulus : exsiccátum est fœnum, et cécidit flos : verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum.

Allelúia, allelúia. ℣. Joan. 1. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine. Allelúia. ℣. Paráre Dómino plebem perféctam. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 11.

In illo témpore : Cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánne : Quid exístis in desértum vidére ? Arúndinem vento agitátam ? Sed quid exístis vidére ? Hóminem móllibus vestítum ? Ecce, qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére ? Prophétam ? Etiam, dico vobis, et plus quam Prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Amen dico vobis, non surréxit inter natos mulíerum major Joánne Baptísta. Credo.

Offertorium. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur. Allelúia.

Secreta.

Munera, Dómine, tuæ majestáti dicáta sanctífica, beáti Joánnis Baptístæ suffragántibus méritis ; quæ fidélibus tuis et prosint ad véniam, et profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Et fit commem. Dominicæ.

Communio. Ps. 28. Vox Dómini in virtúte : vox Dómini in magnificéntia : et in templo ejus omnes dicent glóriam. Allelúia.

Postcommunio.

Sanctissimi Præcursóris tui, Dómine, nos commemorátio festíva lætíficet : ut, dum ejus mérita recólimus et relíquias venerámur, ejúsdem étiam patrocínia sentiámus. Qui vivis et regnas.

Et fit commem. Dominicæ, et in fine legitur ejusdem Evang.

FERIA II. POST FEST. SS. TRINITATIS.

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa, Redemísti, ut in Missali, Dominica j. Julii.

DIE IV. JUNII.

S. FRANCISCI CARACCIOLO,

CONFESSORIS.

Missa, Factum est cor meum, ut in Missali.

DIE VI. JUNII.

INSIGNIS MIRACULI

SS. CORPORIS CHRISTI.

Introitus. *Isaiæ* 12.

Cantate Dómino, quóniam magnífice fecit ; allelúia : annuntiáte hoc in univérsa terra : allelúia. Exúlta, et lauda, habitátio Sion : quia magnus in médio tui Sanctus Israel. Allelúia, allelúia. Ps. 97. Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fídei mystérium

pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere disposuísti: concéde propítius; ut Unigénitum tuum, quem in hoc sacraménto pio afféctu venerámur, æternáliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. c. 62.

PROPTER Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur, ut splendor, justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum: et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius desoláta; sed vocáberis Volúntas mea in ea: et terra tua inhabitábitur.

Graduale. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me. ℣. Ps. 115. Tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Allelúia, allelúia. ℣. Eucharística Hóstia descéndit, et in cálice a sacri Antístitis mánibus porrécto plácide sistit. Allelúia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur Tractus. Ps. 99. Jubiláte Deo, omnis terra, servíte Dómino in lætítia. ℣. Intráte in conspéctu ejus in exultatióne: scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus. ℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Temp. Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur: Allelúia, allelúia. ℣. 1. Paralip. 16. Narráte in géntibus glóriam ejus; in cunctis pópulis mirabília ejus. Allelúia. ℣. Labénte ipsa hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in áere péndula, atque attónitis cívibus spectántibus soleclárior effúlget. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus: Confíteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ, quod abscondísti hæc a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Etiam, Pater: quóniam sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Fílius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Et convérsus ad discípulos suos, dixit: Beáti óculi, qui vident, quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére, quæ vos vidétis, et non vidérunt; et audíre, quæ audítis, et non audiérunt. Credo.

Offertorium. Isaiæ 25. Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília. Allelúia.

Secreta.

CLEMENTISSIME Deus, hæc múnera tibi obláta propítius réspice; ut, dum unigéniti Fílii tui sacra renovámus mystéria, eórum copiósum fructum cónsequi valeámus Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Ps. 117. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus: et factus est mihi in salútem. Allelúia.

Postcommunio.

DOMINE Deus, qui ab hæresi minitánte patrum nostrórum fidem singulári prodígio defendísti; rénova super nos consuétam misericórdiam tuam, et advérsus late grassántem incredulitátem, fidem nostram sub tégmine alárum tuárum propítius custódi. Per Dóminum.

DIE XX. JUNII.

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS, VIRGINIS.

Missa, Dilexísti, de Comm. Vírginum præter orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátam Juliánam Vírginem tuam, extrémo morbo laborántem, pretióso Fílii tui Córpore mirabíliter recreáre dignátus es: concéde, quæsumus; ut, ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne reféeti ac roboráti, ad cœléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

DIE XXII. JUNII.

SANCTORUM MARTYRUM

DECEM MIL. CRUCIFIX.

Introitus. *Psalm.* 36.

Salus autem justórum a Dómino; et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis. Ps. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri

Oratio.

Deus, qui ad imitándum passiónis tuæ exémplum, decem míllia Mártyrum crucis patíbulum subíre fecísti: concéde propítius; ut, qui passiónem eórum venerámur in terris, passiónis tuæ remédia cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Pro S. Paulino, Episc. et Confess.

Oratio.

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Paulíni, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. c. 11.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. ℣. Sancti et justi, in Dómino gaudéte: vos elégit Deus in hereditátem sibi. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 21.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis: ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis; et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite

vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis : Deus Israel ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ : benedíctus Deus. Allelúia.

Secreta.

Benedictio tua, Dómine, larga descéndat: quæ et múnera nostra, deprecántibus sanctis Martyribus tuis, tibi reddat accépta, et nobis sacraméntum redemptiónis efficiat. Per Dóminum.

Pro S. Paulino.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Ps. 78. Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cœli, carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ : secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio.

Coelestibus refécti sacraméntis et gáudiis, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut, quórum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Pro S. Paulino.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus, ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Paulíno, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE XXV. JUNII.

S. CATHARINÆ DE SVET. VIRG.

Missa, Dilexísti, de Comm. unius Virg. tantum.

Evang. Accessérunt, ut in Festo S. Agathæ, die v. Februarii.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beátæ Catharínæ Vírginis præclâris decóras méritis, et gloriósis lætíficas miráculis : concéde nobis fámulis tuis ; ut et exémplis ejus in mélius reformémur, et patrocínio ab ómnibus advérsis protegámur. Per Dóminum.

FERIA VI. POST OCT. SS. CORP. CHRISTI.

SANCTISS. CORDIS JESU.

Missa, Miserébitur, ut in Appendice Missalis.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

SACRAR. RELIQUIARUM

QUÆ ASSERVANTUR IN ECCL. METROPOLIT.

Missa, Sapiéntiam, de Comm. plur. Martyrum, extra Temp. Paschale, præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui templum hoc innúmeris voluísti Sanctórum decorári Relíquiis : concéde nobis fámulis tuis; ut, quorum memóriam venerámur in terris, eórum consórtio perfruámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

DOMINICA I. JULII.

PRETIOSISSIMI SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa, Redemísti, ut in Missali.

DIE XI. JULII.

S. VERONICÆ DE JULIANIS, VIRG.

Missa, Dilexísti, ut in Appendice Missalis, die ix. Julii.

DIE XIII. JULII.

B. JACOBI A VARAGINE,

EPISCOPI CONFESSORIS.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont., præter orationem sequentem.

Oratio.

Deus, qui beátum Jacóbum, Confessórem atque Pontíficem, exímium veritátis præcónem, et pacis conciliatórem effecísti : ejus nobis intercessióne concéde; ut pacem et veritátem diligámus, et ad te, in quo pax summa est pura véritas, perveniámus. Per Dóminum.

DIE XVIII. JULII.

S. CAMILLI DE LELLIS, CONF.

Missa, **Majórem hac dilectiónem**, ut in Missali.

In Missa votiva post Septuages. omissis **Allelúia** et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Ps. 111. **Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

Tempore Pasch. **Allelúia, allelúia. ℣.** Ibid. **Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. Allelúia. ℣.** Osee. 14. **Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.**

DIE XIX. JULII.

S. VINCENTII A PAULO, CONF.

Missa, **Justus ut palma**, ut in Missali.

DIE XX. JULII.

S. HIERONYMI ÆMILIANI, CONFESSORIS.

Missa, **Effúsum est in terra**, ut in Missali.

DIE XXI. JULII.

S. DANIELIS PROPHETÆ, CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 118.

Loquebar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar, et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. **Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui nos beáti Daniélis Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas : concéde propítius ; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ. c. 14.

In diébus illis : Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixérunt ei : Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit, et dracónem interfécit; alióquin interficiémus te, et domum tuam. Vidit ergo rex, quod irrúerent in eum veheménter : et necessitáte compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, et erat ibi diébus sex. Porro in lacu erant leónes septem, et dabántur eis duo córpora quotídie, et duæ oves; et tunc non data sunt eis ut devorárent Daniélem. Erat autem, Hábacuc Prophéta in Judæa, et ipse cóxerat pulméntum, et intríverat panes in alvéolo : et ibat in campum, ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc : Fer prándium, quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc : Dómine, Babylónem non vidi, et lacum néscio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice ejus, et portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylónem supra lacum in ímpetu spíritus sui. Et clamávit Hábacuc, dicens : Dániel serve Dei, tolle prándium, quod misit tibi Deus. Et ait Dániel : Recordátus es mei, Deus, et non dereliquísti diligéntes te. Surgénsque Dániel comédit. Porro Angelus Dómini restítuit Hábacuc conféstim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo, ut lugéret Daniélem : et venit ad lacum, et introspéxit, et ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit voce magna rex : dicens : Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum de lacu leónum. Porro illos, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum : et devoráti sunt in moménto coram eo. Tunc rex ait : Páveant omnes habitántes in univérsa terra Deum Daniélis : quia ipse est salvátor, fáciens signa et mirabília in terra; qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

Graduale. Ps. 91. **Justus ut palma florébit; sicut cedrus Líbani, multi-**

plicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 24

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto; qui legit, intélligat. Tunc, qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes; et qui in tecto, non descéndat tóllere áliquid de domo sua; et qui in agro, non revertátur tóllere túnicam suam. Væ autem prægnántibus, et nutriéntibus in illis diébus. Oráte autem, ut non fiat fuga vestra in híeme, vel sábbato. Erit enim tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviáti fuíssent dies illi, non fíeret salva omnis caro: sed propter eléctos breviabúntur dies illi. Tunc si quis vobis díxerit, Ecce, hic est Christus, aut illic; nolíte crédere. Surgent enim pseudochrísti, et pseudoprophétæ, et dabunt signa magna, et prodígia, ita ut in erróres inducántur (si fíeri potest) étiam elécti. Ecce, prædíxi vobis. Si ergo díxerint vobis, Ecce, in desérto est; nolíte exíre: Ecce, in penetrálibus; nolíte crédere. Sicut enim fulgur exit ab oriénte, et paret usque ad occidéntem, ita erit et advéntus Fílii hóminis. Ubicúmque fúerit corpus, illic congregabúntur et áquilæ. Statim autem post tribulatiónem diérum illórum sol obscurábitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtútes cœlórum commovebúntur: et tunc parébit signum Fílii hóminis in cœlo; et tunc plangent omnis tribus terræ, et vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa, et majestáte. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna; et congregábunt eléctos ejus a quátuor ventis, a summis cœlórum usque ad términos eórum. Ab árbore autem fici díscite parábolam: cum jam ramus ejus tener fúerit, et fólia nata, scitis, quia prope est æstas; ita et vos, cum vidéritis hæc ómnia, scitóte, quia prope est in jánuis. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cœlum, et terra transíbunt, verba autem mea non præteríbunt.

Offertorium. Dan. 9. Orávi Deum meum ego Dániel, dicens: Exáudi, Dómine, preces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum, et propítius inténde pópulum istum, super quem invocátum est nomen tuum, Deus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum, quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: Amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus; ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

SS. REDEMPTORIS.

Missa, Gaudens, ut in Appendice Missalis, Dom. iij. Julii.

DIE II. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO,

EPISCOPI CONFESSORIS.

Missa, Spíritus Dómini, ut in Missali.

DIE XI. AUGUSTI.

SANCTI DONATI,
EPISCOPI ET MARTYRIS.

Introitus. *Dan.* 3.

SACERDOTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Ibid. ℣. **Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio

DEUS, tuórum glória sacerdótum, præsta, quæsumus; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Et fit commem. Octav. B. M. V. in civ. et metrop. S. Laur. et SS. MM. Tiburtii et soc.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. c. 1.

CHARISSIMI: Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat; et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans; qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale. Ps. 36. **Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.** ℣. **Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.**

Allelúia, allelúia. ℣. **Justus non conturbábitur: quia Dóminus firmat manus ejus. Allelúia.**

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. c. 13.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane), ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Offertorium. Ps. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.**

Secreta.

PRÆSTA, quæsumus Dómine, ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Et fiunt commem. Oct. et SS. MM.

Communio. Luc. 12. **Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.**

Postcommunio.

OMNIPOTENS et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis et minístros: præsta, quæsumus; ut, intercedénte beáto Donáto, Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei, consórtio et digno servítio. Per Dóminum.

Et fiunt commem. Octav. et SS. MM.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. ROCHI CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont. præter orationem sequentem.

Oratio.

Populum tuum, quæsumus Dómine contínua pietáte custódi : et, beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DIE XXI. AUGUSTI.

S. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL.

Missa, **Cognóvi,** ut in Missali.

DOMINICA ULTIMA MENSIS AUGUSTI.

MATERNITATIS B. M. V.

Missa, **Salve, sancta Parens,** ut in Appendice Missalis, Dom.ª ij. Octobris.

DIE I. SEPTEMBRIS.

B. BONIFACII DE SAB., EPISCOPI CONFESS.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. præter orat. sequentes.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beátum Bonifácium Confessórem atque Pontíficem, mirábilis charitátis ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es : ejus méritis concéde; ut ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificiis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus; et vivo charitátis igne cor nostrum inflámma, quo beátus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelorum esca reffécti supplíciter te, Dómine, deprecámur, ut beáti Bonifácii Confessóris tui atque Pontíficis précibus et exémplo, puritátem mentis et córporis caute custodiéntes ad gáudia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum.

DIE III. SEPTEMBRIS.

SANCTÆ SABINÆ MARTYRIS.

Missa, **Me expectavérunt,** de Comm. unius Martyr. non Virg. Orationes vero ut in Festo Decollationis S. Joannis Bapt. die xxix. Augusti.

DIE XII. SEPTEMBRIS.

B. MARIÆ VICTORIÆ GENUENSIS, VIDUÆ.

Missa, **Cognóvi,** de Comm. nec Virg., nec Mart., præter orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui ad cœléstis Agni núptias virgínibus comparándas novam in Ecclésia tua per beátam Maríam Victóriam congregásti famíliam; ejus nobis méritis et précibus concéde, terréna cuncta despícere, et cœléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Secreta.

Da nobis, clementíssime Deus, ut, imménsæ tuæ charitátis pígnora offeréntes eo accendámur ardóre, quo beáta María Victória tuis mystériis réfici consuévit. Qui vivis et regnas.

Postcommunio.

Domine Jesu, qui beátam Maríam Victóriam divíni sacraménti Córporis et Sánguinis tui dilectióne admirábilem effecísti : quæsumus; ut eísdem nos quoque reffécti redemptiónis tuæ fructus consequámur. Qui vivis et regnas.

DIE XVIII. SEPTEMBRIS.

S. JOSEPHI A CUPERTINO, CONFESSORIS.

Missa **Diléctio Dei,** ut in Missali.

DOMINICA III. SEPTEMBRIS.

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Missa dicitur ut in Festo Septem Dolorum, Feria sexta post Dñicam Passionis, præter ea quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, in cujus passióne secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis et Matris Maríæ dolóris gládius pertransívit:

concéde propítius; ut, qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuæ efféctum felícem consequámur. Qui vivis et regnas.

Graduale. Dolorósa, et lacrymábilis es, Virgo María, stans juxta crucem Dómini Jesu Fílii tui, Redemptóris.

Allelúia, allelúia. ℣. Virgo Dei génitrix: quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplícium auctor vitæ, factus homo.

Deinde dicitur Sequéntia, et in fine additur Allelúia.

DIE V. OCTOBRIS.

S. AMPELII, CONF.

Introitus. *Isaiæ* 54.

Ecce ego creávi fabrum sufflántem in igne prunas, et proferéntem vas in opus suum. Hæc est hæréditas servórum Dómini: et justítia eórum apud me. Ps. 16. Ego autem in justítia apparébo conspéctui tuo: satiábor, cum apparúerit glória tua. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui in beáto Ampélio Confessóre tuo, invíctæ patiéntiæ et singuláris castitátis exémpla nobis proposuísti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut malignántium spirítuum certámina superántes, inter mundi hujus varietátes ad te puris méntibus únice téndere studeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. c. 2.

Fratres: Ego, cum veníssem ad vos, veni non in sublimitáte sermónis, aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim judicávi, me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte, et timóre, et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus, et prædicátio mea, non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Graduale. Ps. 54. Elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine. ℣. Scrutábor legem tuam, et custódiam illam in toto corde meo.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 118. Deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum, quia ipsam vólui: inclína cor meum in testimónia tua. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. c. 6.

In illo témpore: Egréssus inde Jesus, ábiit in pátriam suam: et sequebántur eum discípuli sui: et, facto sábbato, cœpit in synagóga docére: et multi audiéntes admirabántur in doctrína ejus, dicéntes: Unde huic hæc ómnia? et quæ est sapiéntia, quæ data est illi: et virtútes tales, quæ per manus ejus efficiúntur? Nonne hic est faber, fílius Maríæ, frater Jacóbi, et Joseph, et Judæ, et Simónis? Nonne et soróres ejus hic nobíscum sunt? Et scandalizabántur in illo. Et dicébat illis Jesus: Quia non est prophéta sine honóre, nisi in pátria sua, et in domo sua, et in cognatióne sua.

Offertorium. Eccli. 50. Quasi stella matutína in médio nébulæ; et quasi flos rosárum in diébus vernis; et quasi lília, quæ sunt in tránsitu aquæ; et quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne: sic ille effúlsit. Allelúia.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus; ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio. Eccli. 49. Memória ejus in compositiónem odóris facta opus pigmentárii, in omni ore indulcábitur, et ut música in convívio vini.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Ampélio Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XX. OCTOBRIS.

S. JOANNIS CANTII, CONF.

Missa, **Miserátio**, ut in Missali.

DIE XXVII. OCTOBRIS.

S. IVONIS, CONF.

Missa, **Justus,** de Comm. Conf. non Pont. ij. loco.

Evangelium. **Sint lumbi vestri,** ex eodem Comm. j. loco.

Oratio.

Deus, qui beátum Ivónem, Confessórem tuum, piis opéribus, signis et virtútibus in Ecclésia tua claráre fecísti: præsta, quæsumus; ut, ejus méritis et précibus, tua benefícia capiámus. Per Dóminum.

DOM. I. POST FESTUM ROSARII NON IMPEDITA.

PURITATIS B. M. V.

Missa, **Salve, sancta Parens,** ut in Appendice Missalis, Dom. iij. Octobris.

DIE V. NOVEMBRIS.

S. ZACHARIÆ PROPHETÆ, CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont.

Evangelium. **Fuit in diébus Heródis,** ut in Vig. S. Joan. Bapt. die xxiij. junii.

Oratio.

Vigeat, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, beáti Zacharíæ, sanctíssimi Præcursóris tui patris, suffragántibus méritis: ut te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Qui vivis et regnas.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

S. STANISLAI KOSTKÆ, CONF.

Missa, **Consummátus,** ut in Appendice Missalis.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

S. JOSEPHI CALASANCTII, A MATRE DEI, CONFESSORIS.

Missa, **Veníte filii,** ut in Missali, die xxvij. Augusti.

Post Septuages. omiss. **Allelúia,** et ℣. seq. dicitur.

Tractus. Ps. 111. **Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.**

Tempore Pasch. omitt. Graduale, et ejus loco dicitur.

Allelúia, allelúia. ℣. Jacob. 1. **Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.** ℣. Eccli. 45. **Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúia.**

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

B. LEONARDI A PORTU MAURITIO, CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** ut in Appendice Missalis.

MISSA

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Pro aliquibus locis.

Missa, **Omnis glória,** ut in Appendice Missalis, Dom. post Oct. Assumptionis, ij. loco.

INFRA ANNUM.

MISSA

DE IMMAC. CONCEPT. B. M. V.

Singulis anni Sabbatis, Festo ix. Lect. non impeditis, extra Advent. et Quadragesimam, exceptis etiam iv. Temp. Vigiliis, eaque die, in qua ex

Rubr. Officium Dom. reponendum est, fit ritu semiduplici.

Missa, ut viij. Dec. cum Tractu, si celebretur post Septuag. cum **Allelúia,** si temp. Pasch.

MISSA.

DE S. JOANNE BAPTISTA.

Singulis Feriis v. iisdem ut supra conditionibus, fit ritu pariter semiduplici.

Missa, xxiv. Junii. Si contigerit celebrari post Septuagesimam sumitur ex Vigilia Graduale, et legitur Graduale Festi pro Tractu, ut sequitur :

Graduale. Joan. 1. **Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes.** ℣. **Hic venit, ut testimónium perhibéret de lúmine, paráre Dómino plebem perféctam.**

Tractus. Jer. 1. **Priúsquam te formárem in útero, novi te : et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te.** ℣. **Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum et dixit mihi :** ℣. Luc. 1. **Tu, puer, Prophéta Altíssimi vocáberis : præíbis ante Dóminum paráre vias ejus.**

KALENDARIUM.

DECEMBER.

FEBRUARIUS.

MARTIUS.

APRILIS.

MAJUS.

JUNIUS.

JULIUS.

AUGUSTUS.

SEPTEMBER.

OCTOBER.

NOVEMBER.

VISTO PER LA STAMPA.

Genova, 26 gennaio 1864.

Melchior Can.co FANTINI, ***Rev. arciv.***

VISTO PER LA STAMPA.

Genova, dalla Curia Arciv. il 26 genn. 1864.

Prev. Gio SIRI, ***Provic. Gen.***

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXIV.

1/6 21

MISSÆ PROPRIÆ
ARCHIDIOECESIS QUITENSIS
ET ALIARUM DIOEÇESIUM PROVINCIÆ ECCLESIASTICÆ
ÆQUATORIANÆ.

DOM. III. POST EPIPH.

B. MARIÆ DE BETHLEHEM.

Dummodo non incidat in Septuagesimam, vel Sexagesimam.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus Maternitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mei Regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

DEUS, qui pro nobis ex intácto beátæ Maríæ Vírginis útero Béthlehem nasci voluísti : tríbue, quæsumus; ut ad percipiéndum reparatiónis nostræ fructum, Genitrícis tuæ méritis ac précibus adjuvémur. Qui vivis et regnas.

Com. Dominicæ iij. Epiph.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

EGO flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles; símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum : en ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit; vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni : colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis : vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale. **Benedícta, et venerábilis es, Virgo María : quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris.** ℣. **Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo.**

Allelúia, allelúia. ℣. **Post partum, Virgo, invioláta permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúia.**

Post Septuag., omissis **Allelúia,** et ℣. seq., dicitur Tractus **Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt**

ætérni Patris Fílium. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti : ℣. Dum Virgo Deum, et hóminem genuísti : et post partum, Virgo, inviolata permansísti : Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Temp. Pasch. Allelúia, allelúia. ℣. Felix es namque, sacra Virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúia.℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit : Virgo Deum et hóminem génuit : pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

In illo témpore : Pastóres loquebántur ad ínvicem : Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam, et Joseph, et infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt miráti sunt : et de his, quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes, et laudántes Deum in ómnibus quæ audíerant, et víderant, sicut dictum est ad illos. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et avértas indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Domine Jesu, qui Béthlehem, quæ domus panis interpretátur, ex beáta Vírgine nascens, te animárum panem futúrum præsignásti : da, ut hæc sacra mystéria digne nos celebrántes, ad cœléstia tandem récipi convívia mereámur. Qui vivis.

Præfatio. Et te in Maternitáte.

Communio. Regína mundi digníssima, María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum Salvatórem ómnium.

Postcommunio.

Tuis sacraméntis purificátos, et beatíssimæ Matris tuæ protectióne munítos, ad ætérnam renásci vitam concéde, Dómine Deus noster : qui mirábili charitátis dispensatióne nascens in terris, Béthlehem primum consecrásti. Qui vivis et regnas.

DIE V. FEBRUARII.

B. PHILIPPI A JESU, MART.

Introitus. *Philip.* 2.

In nómine Jesu omne genu flectátur, cœléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. Ps. 102. Bénedic, ánima mea, Dómino : et ómnia, quæ intra me sunt nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui inter primos Japóniæ Mártyres beátum Philíppum cruci alligátum, triplicíque láncea confóssum, primum ómnium martyrio coronásti : concéde propítius ; ut ejúsdem nos suffúlti patrocínio, cum illo páriter coronémur in cœlis. Per Dóminum.

Epistola, Mihi autem absit, ut in Missali, die xvij. Septembris.

Graduale. Ps. 102. Bénedic, ánima mea, Dómino : et noli oblivísci omnes retributiónes ejus. ℣. Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis, qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Allelúia, allelúia. ℣. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúia.

Post Septuag. omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur Tractus. Ps. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem : déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem. ℣. Non móriar, sed vivam : et narrábo ópera Dómini. ℣.

Castígans castigávit me Dóminus : et morti non trádidit me.

Evang. Si **quis vult post me veníre,** ut in Missali, die xvij. Septembris.

Offertorium. Ps. 88. **Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.**

Secreta.

Sanctifica, quæsumus, Dómine, múnera tibi dicáta : et intercessióne beáti Philíppi, Mártyris tui, ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. **Qui vult veníre post me ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.**

Postcommunio.

Sacro córpore, et pretióso sánguine Jesu Christi Fílii tui, Dómine, satiáti, te súpplices deprecámur : ut intercedénte beáto Philíppo, Mártyre tuo, ab omni adversitáte liberémur. Per eúmdem Dóminum.

DIE XXVIII. APRILIS.

S. PAULI A CRUCE, CONF.

Introitus. *Gal.* 2:

Christo confíxus sum cruci : vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus : in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me. Allelúia, allelúia. Ps. 40. **Beátus qui intélligit super egénum et páuperem : in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde; ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1.

Fratres, Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est : iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim : Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam : ipsis autem vocátis, Judæis atque Græcis, Christum, Dei virtútem et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus, et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúia, allelúia. ℣. 2. Cor. 5. **Pro ómnibus mórtuus est Christus; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Allelúia.** ℣. Rom. 8. **Si fílii, et hærédes : hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi, si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Allelúia.**

Graduale extra tempus Paschale. Gal. 6. **Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo.** ℣. 1. Cor. 1. **Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifíxum. Allelúia, allelúia.** ℣. 1. Petr. 2. **Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Allelúia.**

Post Septuag., Tractus. 1. Petr. 4. **Christo ígitur passo in carne, et vos**

eádem cogitatióne armámini : quia qui passus est in carne, désiit a peccátis. ℣. 2. Cor. 4. Semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. ℣. Hebr. 12. Adspiciéntes in Auctórem fidei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus, et álios septuaginta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui, et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 5. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. Allelúia.

Secreta.

Coeléstem nobis, Dómine, præbeant mystéria hæc Passiónis et Mortis tuæ fervórem, quo sanctus Paulus, ea offeréndo, corpus suum hóstiam vivéntem, sanctam, tibíque placéntem exhíbuit. Qui vivis.

Communio. 1. Petr. 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. Allelúia.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, divínum Sacraméntum imménsæ charitátis tuæ memoriále perpétuum : tríbue, quæsumus; ut sancti Pauli méritis et imitatióne, aquam de fóntibus tuis hauriámus in vitam ætérnam saliéntem et tuam sacratíssimam Passiónem córdibus nostris impréssam móribus et vita teneámus. Qui vivis et regnas.

DIE XXI. MAJI.

SS. TORQUATI ET SOC. EPISC. MART. DISCIPULORUM B. JACOBI APOST.

Introitus. *Dan.* 3.

Sacerdotes Dei, benedícite Dóminum : sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Cant. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : laudáte, et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum, per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Ctesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesychium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti : concéde propítius; ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes : Hi sunt,

quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super cápita eórum corónam de lápide pretióso. Allelúia. ℣. Beáti Pontífices nostri, qui nos docuérunt legem tuam, Dómine : hódie in cœlis coronáti regnant in ætérnum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 15.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Ego sum vitis vera : et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine, et veritátem tuam in ecclésia Sanctórum, allelúia, allelúia.

Secreta.

Grata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio, pro qua sancti antístites et Mártyres nostri Torquátus, Ctésiphon, Secúndus, Indalétius, Cæcílius, Hesychius et Euphrásius precatóres accédant. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 63. Lætabúntur justi in Dómino, et sperábunt in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Postcommunio.

Fideles tui, Dómine, quæ súmpsimus sacraménta custódiant, et qui beatórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum Torquáti, Ctesiphóntis, Secúndi, Indalétii, Cæcílii, Hesychii et Euphrásii prædicatióne ad fidem pervénimus, eórum quoque méritis discámus terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Extra tempus Paschale.

Introitus. *Dan.* 3.

Sacerdotes Dei, benedícite Dóminum : sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Cant. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino : laudáte et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Orationes ut supra.

Epistola. Justórum ánimæ, ex Missa, Intret, de Comm. plur. Mart.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte : déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. ℣. Beáti Pontífices nostri qui nos docuérunt legem tuam, Dómine : hódie in cœlis coronáti regnant in ætérnum. Allelúia.

Evangelium. Cum audiéritis, ex Missa, Intret, de Comm. plur. Mart.

Reliqua ut supra demptis Allelúia.

DIE XXII. MAJI.

B. RITÆ DE CASSIA.

Introitus. *Psalm.* 117.

Aperite mihi portas justítiæ, ingréssus in eas confitébor Dómino : lápidem, quem reprobavérunt, hic factus est in caput ánguli. Psalm. Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátæ Ritæ tantam grátiam confírre dignátus es, ut quæ te in dilectióne inimicórum suórum imitáta est, in corde et fronte charitátis et passiónis tuæ signa portáret : da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et méritis inimícos nostros dilígere, et tuæ passiónis dolóres spina compunctiónis júgiter contemplári. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 2.

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi : et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me charitátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis : quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox dilécti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles. Símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum : en ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi : Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit : imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra : tempus putatiónis advénit : vox túrturis audíta est in terra nostra : ficus prótulit grossos suos : víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni.

Graduale. Psalm. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Ps. 45. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 44. Veníte, et vidéte ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram. Allelúia. ℣. Psalm. 20. Dómine, prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

Evangelium. Símile est regnum cœlórum thesáuro, de Communi nec Virg. nec Mart.

Offertorium. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum

Secreta.

Corda nostra, quæsumus, Dómine, beátæ Ritæ méritis, supérni dolóris spina confíge, ut a peccátis ómnibus tua grátia liberáti, sacrificáre tibi hóstiam laudis pura mente valeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Psalm. 20. Prævenísti eam, Dómine, in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Coelestibus, Dómine, pasti delíciis, súpplices te rogámus, ut intercedénte beáta Rita, charitátis et passiónis tuæ in méntibus nostris signa ferámus, et perpétuæ pacis fructu júgiter perfruámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XXVI. MAJI.

B. MARIÆ ANNÆ DE PAREDES, VIRGINIS.

Missa ut in fine Missalis, die ij Junii.

DIE IX. JULII.

B. MARIÆ V. ROSARII

DE CHIQUINQUIRA

Nuncupatæ in Indiis occidentalibus.

Introitus. *Sedulius.*

SALVE, sancta Parens, eníxa puérpera Regem : qui cœlum terrámque regit in sæcula sæculórum. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

BONORUM ómnium largítor Deus, qui Genitrícis dilécti fílii tui speciósam imáginem mira apparitióne claréscere voluísti : concéde quæsumus ; ut ejúsdem beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, ad cœléstem pátriam felíciter perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 8.

DOMINUS possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram : necdum fontes aquárum erúperant : necdum montes gravi mole constíterant : ante colles ego parturiébar : adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos, áderam : quando certa lege, et gyro vallábat abyssos : quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum : quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos : quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens; et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore, ludens in orbe terrárum : et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me : Beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale. Benedícta et venerábilis es, virgo María : quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo.

Allelúia, allelúia. ℣. Felix es, sacra virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúia.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 1.

LIBER generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis : Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud. Abíud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan.

Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Offertorium. Beáta es, Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem : genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo.

Secreta.

Unigeniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas : ut, qui natus de Vírgine, Matris integritátem non mínuit, sed sacrávit; in ejus solemnitáte, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum vivit.

Communio. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva Sacraménta : præsta, quæsumus: ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

DIE XXIV. JULII.

S. FRANCISCI SOLANI, CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pontificis.

Oratio.

Deus, qui plúrimas Américæ gentes per beátum Franciscum ad sinum Ecclésiæ perduxísti : ejus méritis, et précibus indignatiónem tuam a peccátis nostris avérte; et in gentes, quæ te non cognovérunt, timórem nóminis tui benígnus immítte. Per Dóminum.

Epistola et Evang. ut in Festo S. Francisci Xaverii, die iij. Decembris.

Secreta.

Munus, quod tibi offérimus, det nobis, quæsumus, omnípotens Deus, fídei, spei et charitátis augméntum : et ut mereámur ássequi quod promíttis, interveniénte beáto Francisco Confessóre tuo, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Ut sumptis, Dómine, reddámur digni munéribus : intercedénte beáto Francisco Confessóre tuo, fac nos tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

DIE XI. AUGUSTI.

S. EMYGDII EPISC. ET MART.

Introitus. *Psalm.* 17.

Commota est, et contrémuit terra : fundaménta móntium conturbáta sunt, quóniam irátus est eis. Psalm. 19. Invoca me in die tribulatiónis, éruam te, et honorificábis me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Emygdium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, idolórum victória, et miraculórum glória decorásti : concéde propítius; ut, eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. c. 11.

In illa hora factus est terræmótus magnus, et décima pars civitátis cécidit, et occísa sunt in terræmótu nómina hóminum septem míllia, et réliqui in timórem sunt missi, et dedérunt glóriam Deo cœli. Væ secúndum ábiit : et ecce væ tértium véniet cito. Et séptimus Angelus tuba cécinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicéntes : Factum est regnum hujus mundi Dómini nostri, et Christi ejus, et regnábit in sæcula sæculórum, amen. Et viginti quátuor senióres, qui in conspéctu Dei sedent in sédibus suis, cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes : Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, et qui eras, et qui ventúrus es; quia accepísti virtútem tuam magnam, et regnásti.

Graduale. Psalm. 59. Dedísti metuéntibus te significatiónem, ut fúgiant a fácie arcus. ℣. Ut liberéntur

diléoti tui : salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. **Manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum, allelúia.**

Post Septuag., omissis **Allelúia,** et ℣. seq., dicitur Tractus. Jer. 3. **Non avértam fáciem meam a vobis, et non iráscar in perpétuum.** ℣. Isaiæ 42. **Dedi te in fœdus pópuli et in lucem géntium.** ℣. **Factus est fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua.**

Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.** ℣. Jer. 1. **Dedi te in civitátem munitam, et in colúmnam férream, et in murum æreum, allelúia.** ℣. Eccli. 39. **Date nómini ejus magnificéntiam, et confitémini illi, allelúia.**

Evang. **Cum audiéritis,** de Comm. plur. Mart. j. loco.

Offertorium. Ps. 59. **Commovísti terram, et conturbásti eam : sana contritiónes ejus, quia commóta est.**

Secreta.

Munera tibi, Dómine, obláta sanctífica ; ut per ea, intercedénte beáto Emygdio, Mártyre tuo atque Pontífice, ab ómnibus ánimæ et córporis perículis liberémur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. **Tímeat Dóminum omnis terra : ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.**

Postcommunio.

Sacramenta, quæ súmpsimus, Dómine, per intercessiónem beáti Emygdii, Mártyris tui atque Pontíficis, sint nobis ad tutaméntum mentis et córporis, et ad misericórdiam tuam efficáciter consequéndam. Per Dóminum nostrum.

DIE XXX. AUGUSTI.

S. ROSÆ DE S. MARIA,

VIRGINIS LIMANÆ.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Rosæ Vírginis : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Bonorum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam cœléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis, et patiéntiæ decóre, Indis floréscere voluísti : da nobis fámulis tuis ; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. c. 10. et 11.

Fratres, Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est : sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me. Æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale. Ps. 44. **Adjuvábit eam Deus vultu suo : Deus in médio ejus non commovébitur.** ℣. **Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei, sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.**

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 50. **Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ : et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúia.**

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** c. 13.

In illo témpore : Dixit Jesus turbis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo, quod mínimum quidem est ómnibus semínibus : cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus, et fit arbor, ita ut vólucres cœli véniant, et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis. Símile est regnum cœlórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus

in parábolis ad turbas : et sine parábolis non loquebátur eis : ut impleréture quod dictum erat per Prophétam dicéntem : Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi. Credo.

Offertorium. Eccli. 39. **Obaudíte me, divíni fructus, et quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte : quasi Líbanus odórem suavitátis habéte.**

Secreta.

Acceptæ sint tibi, Dómine, laudis hóstiæ, quas humíliter immolámus, beátæ Rosæ Vírginis fragrántia perfúsas : ut illi cónferant ad honórem : et nobis propitiatóriæ reddántur ad salútem. Per Dóminum.

Communio. Eccli. 39. **Floréte flores quasi lílium, et collaudáte cánticum : et benedícite Dóminum in opéribus suis.**

Postcommunio.

Ascendant ad te, Dómine, preces nostræ beátæ Rosæ Vírginis suavitátem redoléntes : ut cœléstibus dápibus temporáliter recreáti, ætérni convívii dulcédine perfruámur. Per Dóminum.

Quando celebratur de beata Rosa ex voto, vel devotione per annum, Officium tempore Paschali fit ut supra, addito Allelúia, post Introitum, Offertorium, et Communionem et loco Gradualis dicitur **Allelúia. ℣. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ : et quasi flos rosárum in diébus vernis. Allelúia. ℣.** Matth. 28. **Surréxit Christus, et occúrrens muliéribus, ait : Avéte. Tunc accessérunt, et tenuérunt pedes ejus. Allelúia.**

Tempore Ascensionis, post secundum **Allelúia. ℣.** Eph. 4. **Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem : dedit dona homínibus. Allelúia.**

Extra temp. Pasch. Introitus. Ps. 44. **Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem, proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.**

Cætera ut supra nisi quod infra Septuag. dicitur Graduale. **Adjuvábit,** etc. **℣. Flúminis,** Et omisso **Allelúia,** et ℣. seq., dicitur Tractus. **Audi filia, et vide, et inclína aurem tuam : quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis : fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Adducéntur Regi vírgines post eam : próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in lætítia et exultatióne, adducéntur in templum Regis.**

Cætera ut in die, excepto **Credo.**

DIE III. OCTOBRIS.

B. JOANNIS A MASSIAS, CONF.

Missa, **Os justi,** de Communi Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem grátiæ tuæ ubertáte præventum in húmili vitæ génere, morum candóre floréscere voluísti : da nobis, quæsumus; ita ejus vestígia pérsequi, ut ad te puris méntibus pervenire mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus in honórem beáti Joánnis Confessóris, qui pro salúte fidélium majestáti tuæ pœniténtiæ víctimam seípsum júgiter immolávit. Per Dñum.

Postcommunio.

Concede nos, omnípotens Deus cœlésti pane reféctos, beáto Joánne Confessóre intercedénte, júgiter in tuo amóre profícere, cui tribuísti morum candórem et perféctam charitátem. Per Dóminum.

DIE XXI. OCTOBRIS.

SS. URSULÆ ET SOC. VIRG. ET MART.

Missa, **Loquébar,** de Comm. cum Orationibus propriis ut in Missali.

DIE V. NOVEMBRIS.

B. MARTINI A PORRES, CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pontificis.

Oratio.

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Martínum Confessórem tuum ad cœléstia regna transíre fecísti : ejus méritis et intercessióne concéde, nos ejus humilitátem ita imitári in terris, ut cum ipso exaltári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Evangelium, **Confiteor tibi, Pater,** ut in Missali, die xv. Januarii.

Secreta.

Hanc hóstiam, Dómine, quam tibi in honórem beáti Martíni Confessóris sacrándam offérimus benígnus súscipe, et præsta; ut ejus pia intercessióne nobis efféctum tuæ salvatiónis impéndat. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlestibus aliméntis enutríti súpplices te rogámus, Dómine Deus noster, ut beáto Martíno Confessóre pro nobis intercedénte, tuis semper valeámus obedíre mandátis. Per Dóminum.

Quum hæ Missæ propriæ Archidiœcesis Quitensis et aliarum Diœcesium provinciæ ecclesiasticæ Æquatorianæ cum Originali omnino concordent, imprimi possunt.

Mechliniæ, 9 Septembris 1875.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMPS, **Arch. Mechlin.**

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXV.

MISSÆ SANCTORUM

EX SUMMORUM PONTIFICUM CONCESSIONE

IN DIŒCESI TAURINENSI CELEBRANDÆ

FESTA DECEMBRIS

DIE I.

S. ELIGII EPISCOPI ET CONFESS.

Missa. **Státuit,** de Comm. Conf. Pontif. **pag. xi.** sed 1. Orat. **Exáudi** ex seq. Missa **Sacerdótes, pag. xii.**

DIE IV.

S. BARBARÆ VIRG. ET MART.

Missa. **Loquébar,** de Comm. VV. et MM. **pag. xvii.**

DIE V.

S. DALMATII EPISCOPI ET MART.

Missa. **Sacerdótes Dei,** ut in Com. un. Mart. Pont. secundo loco, **pag. iii.** præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui per beatum Dalmátium mártyrem tuum mirabília operátus es: ejus nobis intercessióne concéde; ut quam ille prædicávit fidem, et sánguine adséruit, hanc firmiter ad mortem usque teneámus. Per Dóminum.

Secreta.

Suscipe, Dómine, múnera, quæ tibi in beati Dalmátii mártyris tui solemnitáte deférimus, et pax tua, quæ exúperat omnem sensum, custódiat corda nostra, et intelligéntias nostras in Christo Jesu Dómino nostro, qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus, ut múnera divína, quæ súmpsimus, intercedénte beato Dalmátio mártyre tuo, salutárem in nobis operéntur efféctum. Per Dóminum.

DIE IX.

SS. MARTINIANI ET SOCIOR. MART.

Missa. **Sapiéntiam,** de Com. plur. Mart. **pag. ix.**

DIE X.

IN FESTO TRANSLATIONIS ALMÆ DOMUS B. M. VIRGINIS.

Missa. **Terríbilis, fol. xxvi.**

DIE XII.

S. VALERICI ABB.

Compatr. Taurin.

Missa. **Os justi,** de Com. Abbatum, **fol. xvi.**

DIE XVII.

S. LAZARI EPISCOPI ET CONFESS.

Introitus. Psal. 136.

Sacerdotes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exúltent; propter David servum tuum non avértas fáciem Christi tui.

Psal. ibid. **Meménto Dómine David; et omnis mansuetúdinis ejus.**

℣. **Glória Patri.**

Oratio.

Exaudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beati Lázari confessóris tui, atque pontíficis solemnitáte deférimus:

et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 7.

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cœlis factus; qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale. Psal. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exultatióne exultábunt.

℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo. Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 11.

In illo témpore: Erat quidam lánguens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ sorōris ejus (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis: cujus frater Lázarus infirmabátur). Misérunt ergo soróres ejus ad eum dicéntes: Dómine, ecce quem amas infirmátur. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham, et sorórem ejus Maríam, et Lázarum. Ut ergo audívit quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duobus diébus. Deínde post hæc dixit discípulis suis: Eámus in Judæam íterum. Dicunt ei discípuli: Rabbi, nunc quærébant te Judæi lapidáre, et íterum vadis illuc? Respóndit Jesus: Nonne duódecim sunt horæ diei? Si quis ambuláverit in die, non offéndit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambuláverit in nocte, offéndit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis: Lázarus amícus noster dormit; sed vado ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus: Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putavérunt quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo Jesus dixit eis maniféste: Lázarus mórtuus est: et gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam non eram ibi. Sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiscípulos: Eámus et nos, ut moriámur cum eo. Venit ítaque Jesus: et invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. (Erat autem Bethánia juxta Jerosólymam quasi stádiis quíndecim.) Multi autem ex Judæis vénerant ad Martham et Maríam, ut consolaréntur eas de fratre suo. Martha ergo ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi: María autem domi sedébat. Dixit ergo Martha ad Jesum: Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuisset mórtuus; sed et nunc scio quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illis Jesus: Resúrget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio et vita; qui credit in me, étiamsi mórtuus fúerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. Et cum hæc dixísset, ábiit, et vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens: Magíster adest, et vocat te. Illa ut audívit, surgit cito, et venit ad eum: nondum enim vénerat Jesus in castéllum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabántur eam, cum vidíssent Maríam quia cito surréxit, et éxiit, secúti sunt eam, dicéntes: Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo, cum venísset ubi erat Jesus, videns eum cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judæos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit: Ubi posuístis eum? Dicunt ei: Dómine,

veni, et vide. Et lacrymátus est Jesus. Dixérunt ergo Judæi: Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt: Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca: et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus: Tóllite lápidem. Dicit ei Martha soror ejus qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi: quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem: Jesus autem elevátis sursum óculis, dixit: Pater, grátias ago tibi quóniam audísti me. Ego autem sciébam quia semper me audis, sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi: ut credant quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit: Lázare, veni foras. Et statim pródiit qui fúerat mórtuus, ligátus pedes, et manus ínstitis, et fácies illíus sudário erat ligáta. Dixit eis Jesus: Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judæis, qui vénerant ad Maríam et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum.

Offertorium. Psal. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Sancti Lázari confessóris tui atque pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Joan. 11. Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrymátus est coram Judæis, et exclamávit: Lázare, veni foras: et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta, ut beati Lázari confessóris tui atque pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE XVIII.

IN FESTO EXPECTAT. PARTUS B. M. VIRGINIS.

Missa. Roráte, fol. lxxvii.

DIE XIX.

(assign. ex 16.)

B. MARIÆ AB ANGELIS VIRGINIS.

Missa. Dilexísti, de Communi Virginis præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beatæ Maríæ vírgini tuæ angélicis dedísti móribus vívere: præsta nobis fámulis tuis, ut ejus imitatióne, carnis superátis illécebris, angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Munera, quæ tibi offérimus, Dómine, sanctus ángelus tuus in sublíme altáre tuum pérferat, cujus ministério férvidæ beatæ Maríæ preces in conspéctu divínæ majestátis tuæ quotídie offerebántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelorum pane reféct, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, intercedénte beata María vírgine tua, illi nos in terris custódiant, qui tibi in cœlo ministrántes semper assístunt. Per Dóminum.

DIE XXVI.

COMMEM. OMN. SS. MARTYRUM

IN FESTO S. STEPHANI PROTOM.

Orémus. Oratio.

Deus, qui nos concédis ómnium Sanctórum Mártyrum tuórum commemoratiónem cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eorum societáte gaudére.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro tuorum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus.

FESTA JANUARII

DIE XV.

TRANSLATIONIS S. MAURITII MART.

Patroni totius Ditionis Regis Sardiniæ.

Introitus. Psalm. 20.

IN virtúte tua, Dómine, lætábitur justus et super salutáre tuum exultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Psal. ibid. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Glória Patri.

Oratio.

ANNUE, quæsumus omnípotens Deus: ut sancti mártyris tui Mauritii nos lætíficet festíva solémnitas; ut cujus suffrágiis nítimur, ejus translatióne gloriémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 10

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fráude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant: et mendáces osténdit qui maculavérunt illum: et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale. Psal. 111. Beátus vir qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. Allelúja, all.

℣. Psal. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus commíttere bellum advérsus alium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad se? Alióquin adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Credo.

Offertorium. Psal. 8. Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

RESPICE, quæsumus Dómine, múnera, quæ in sancti mártyris tui Mauritii commemoratióne deférimus; et præsta, ut cujus honóre sunt grata, ejus nobis fiant, intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum: et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

CŒLESTIBUS refécti sacraméntis et gáudiis súpplices te rogámus, Dómine: ut cujus gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

DIE XX.

TRANSLATIONIS SS. SOLUTORIS, ADVENTORIS, ET OCTAVII MARTYRUM.

Introitus. Psal. 106.

CLAMAVERUNT ad Dóminum cum tribularéntur: et de necessitátibus eórum liberávit eos: et dedúxit eos in viam rectam: ut irent in civitátem habitatiónis.

Psal. 117. Confitémini Dómino quó-

niam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum mártyrum tuórum Solutóris, Adventóris, et Octávii córpora in terris venerári: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Léctio libri Apocalypsis beati Joánnis Apóstoli. Apoc. 7.

In diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi: tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum: et abstérget Deus omnem lácrymam ab óculis eórum.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos. Allelúja, allelúja.

℣. Eccl. 44. Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt: et nómina eórum vivent in generatióne et generatiónem. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur Tractus:

Psal. 125. Qui séminant in lácrymis: in gáudio metent.

℣. Eúntes ibant et flebant: mitténtes sémina sua.

℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne: portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista fúgite in áliam. Amen dico vobis: non consummábitis civitátes Israel, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus, et servo, sicut dóminus ejus.

Offertorium. Dan. 3. Hi tres quasi uno ore laudábant, et glorificábant Deum.

Secreta.

Sanctorum Mártyrum tuórum, Dómine, pia nos orátio comitétur, quorum donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Communio. Isai. 62. Et vocábunt eos, pópulus sanctus, redémpti a Dómino: tu autem vocáberis quæsíta cívitas, et non derelícta.

Postcommunio.

Salutaribus, Dómine, refécti sacraméntis, tuam cleméntiam implorámus: ut nos contínua sanctórum mártyrum tuórum Solutóris, Adventóris, et Octávii protectióne deféndas. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE XXIII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Missa. Salve, sancta parens, fol. lxxviii.

DIE XXX.

B. SEBASTIANI VALFRÈ CONFESS.

Missa. Os justi, de Com. Conf. non Pont. fol. xv. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Dómine, ita pro animárum subsídio in tua dilectióne manére; sicut beatum Sebastiánum confessórem tuum ad multórum salútem novum tibi sacerdótum fidélem suscitásti. Per Dóminum.

Secreta.

Beati Sebastiáni confessóris tui, Dómine, vestígiis inhæréntes, fac nos sacri altáris mystérium et pura tractáre manu, et digno prósequi piæ devotiónis afféctu. Per Dóminum.

Postcommunio.

Vitali, Dómine, sacraménto reféctos, beati Sebastiáni confessóris tui méritis ita protegéndo confirma, ut quibus dedísti grátiam, largiáris et glóriam. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

DIE I.

S. URSI EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. fol. xii.

DIE III.

S. BLASII EPISC. MART.

Missa. Sacerdótes Dei, ut in Comm. un. Mart. Pontif. fol. iii.

DIE VI.

SS. FABIANI ET SEBASTIANI MART.

(assign. ex 20. Jan.)

Missa propr. fol. 281.

DIE X.

INVENTIONIS SS. SOLUTORIS, ADVENTORIS, ET OCTAVII MARTYRUM.

Missa ut supra in festo Translationis, excepta Orationes quæ sequitur.

Oratio.

DEUS, qui nos gloriósa sanctórum mártyrum Solutóris, Adventóris, et Octávii inventióne lætíficas: concéde quæsumus, ut quorum gloriámur triúmphis, intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

DIE XIII.

S. JULIANÆ VIDUÆ EPOREDIENSIS.

Missa. Cognóvi, de Com. nec Virg. nec Mart. fol. xxiii. præter Orationem sequentem.

Oratio.

FORTITUDO nostra, omnípotens Deus, qui per beatam Juliánam mirabília operátus es; ejus nobis intercessióne concéde; ut tuæ virtúti confisi in viam mandatórum tuórum júgiter currámus. Per Dóminum.

DIE XV.

S. EPHYSII MARTYRIS.

Introitus. Psal. 16.

PROBASTI, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Psal. 33. Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui per crucem, et passiónem tuam mundum vicísti, eodémque signo mirábili beatum Ephysium mártyrem tuum fidei præcónem deléctum ad converténdas infidélium gentes cœlitus vocáre dignátus es; præsta quæsumus, ut quem fidei propagatórem habúimus in terris intercessórem gloriósum habére mereámur in cœlis. Qui vivis et regnas.

Et fit comm. Feriæ in Quadrages. et postea SS. Faustini et Jovitæ Martyr. ut in Missali hac die.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Sap. 10. 6.

JUSTUM dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fráude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in sanctis suis; mirábilis in majestáte, fáciens prodígia.

℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte; déxtera manus tua confrégit inimícos. Allelúja, allelúja.

Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis. Allel.

Post Septuagesimam omissis. Alleluja, et vers. seq. dicitur:

Tractus. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et filiam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis doméstici ejus. Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui ínvenit ánimam suam, perdet illam, et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam.

Offertorium. Psal. 112. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me; non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta.

Sancti Ephysii mártyris tui précibus hæc oblátio, Dómine, ad perpétuam ac præséntem proficiat prosperitátem, et pacem. Per Dóminum.

Comm. Psal. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beato Ephysio mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XVI.

(assign. ex 15. Jan.)

S. MAURI ABBATIS.

Missa. Os justi, de Comm. Abb. fol. xvi.

DIE XVIII.

B. BARTHOLOMÆI DE CERVERIIS MARTYRIS.

Introitus. Psal. 63.

Lætabitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Psal. ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatum Bartholomæum insígnem fidei propugnatórem effecísti, et martyrii coróna sublimásti: da nobis ejus méritis et intercessióne crucem júgiter ferre; et cum ipso glóriæ tuæ mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Et fit comm. S. Simeonis Ep. et Mart.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Timótheum. Timoth. 2.

Carissime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antióchiæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Psal. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit. Allelúja, allelúja.

℣. Joan. 8. Qui séquitur me, non ámbulant in ténebris, sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur Tractus.

Ps. 111. Beatus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso; vitam pétiit a te, tribuísti ei. Allelúja.

Secreta.

Oblationem nostram, clementíssime Jesu, beati Bartholomæi intercéssio sancta comméndet, qui fide, et caritáte suffúltus, ánimam suam propter te et Evangélium non tímuit pérdere; ut vitam ætérnam inveníret. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte.

Communio. Joan. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et minister meus erit.

Postcommunio.

Purificet nos, quæsumus Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beato Bartholomæo mártyre, in tuæ caritátis luce confírmet. Per Dóminum nostrum.

DIE XIX.

(assign. ex 6. Febr.)

S. TITI EPISC. CONFESS.

Omnia ut in fol. 294.

DIE XX.

B. STEPHANI BANDELLI CONFESS.

Missa. Os justi, de Comm. Conf. non Pont. fol. xv. cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui ad errántes fidéles in viam salútis revocándos beatum Stéphanum confessórem tuum evangélicæ prædicatiónis exímium minístrum effecísti: ejus méritis et intercessióne concéde: ut a peccátis ómnibus expedíti, sémitam mandatórum tuórum semper currámus. Per Dóminum.

Secreta.

Accipe, clementíssime Deus, múnera tibi reverénter obláta; et qui per beatum Stéphanum confessórem tuum multos errántes in viam justítiæ et sanctitátis redíre fecísti, nostras étiam rebélles ad te propítius convérte voluntátes. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Ineffabilibus recreáti sacraméntis, quæsumus cleméntiam tuam, omnípotens Deus, ut qui beati Stéphani confessóris tui præclára mérita celebrámus, ejus intercessióne ætérna gáudia his mystériis promíssa consequámur. Per Dóminum.

DIE XXI.

B. AIMONIS TAPARELLI CONFESS.

Missa. Os justi. de Comm. Conf. non Pontif. fol. xv. cum Orationibus sequent.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, cui servíre regnáre est: per mérita et intercessiónem beati Aimónis confessóris tui, quem exímium fidei propugnatórem effecísti, concéde: ut mandátis tuis fidéliter serviéntes in terris, ætérno regno pérfrui cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Oblatis, Dómine, placáre munéribus, et, intercedénte beato Aimóne confessóre tuo, omnipoténtem déxteram ad defensiónem Ecclésiæ tuæ cleménter exténde; ut destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, optáta fidei unitáte et pace lætétur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Domine Jesu, pastor bone, qui ad unitátem Ecclésiæ tuæ promovéndam omnes oves tuas unius cœléstis convívii partícipes esse voluísti: præsta quæsumus, ut beati Aimónis confessóris tui interveniéntibus méritis, una sit semper in grege tuo fides méntium et píetas actiónum. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte.

DIE XXV.

(anno bissextili 26.)

S. MARGARITÆ CORTON. PŒNIT. Vid. fol. lxxxiii.

DIE XXVII.

(anno bissext. 28.)

S. TIGRINI MARTYRIS.

Missa. In virtúte, Evang. Si quis venit, ex Missa Státuit, de Com. un. Mart. Pont.

In Quadrag. Comm. Fer. et ejus Evang. in fine.

DIE XXVIII.

(anno bissext. 29.)

S. GOZZELINI ABBATIS.

Missa. Os justi, de Communi Abbatum. In Quadrages. Comm. Fer. etc.

FESTA MARTII

DIE I.

S. ELISABETH MATRIS S. JOAN. BAPT.

Introitus. Psal. 118.

COGNOVI, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confige timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui.

Psal. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

℣. Glória Patri.

Oratio.

VIGEAT, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, beatæ Elísabeth sanctíssimi præcursóris tui genitrícis suffragántibus méritis, ut te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Qui vivis.

In Quadragesima fit commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 31.

MULIEREM fortem quis invéniet? procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum., et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum, et de nocte surréxit, deditque prædam doméstícis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non extinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit: et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo; múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et láudent eam in portis ópera ejus.

Graduale. Psal. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Tractus. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

℣. Ibid. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

Fuit in diébus Heródis, regis Judææ, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía; et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et justificatiónibus Dómini sine queréla, et non erat illis filius, eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem, cum sacerdótio fungerétur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdótii, sorte éxiit ut incénsum póneret, ingréssus in templum Dómini: et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans, a déxtris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elísabeth páriet tibi filium, et vocábis nomen ejus Joánnem: et erit gáudium tibi, et exultátio, et multi in nativitáte ejus gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino: et vinum et síceram non bibet, et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum: et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ: ut convértat corda patrum in filios, et incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam.

Offertorium. Psal. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Accepta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Communio. Ibid. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

DIE II.

SS. VIGINTI SEX MARTYRUM JAPONENSIUM.

Assign. ex 5. Februarii vid. fol. lxxix.

DIE III.

B. CHERUBINI TESTA CONFESSORIS.

Missa. Os justi. de Communi Confess. non Pontif. præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus castitátis amátor, qui beatum Cherubínum confessórem tuum singulári virginitátis prærogatíva decorásti, præsta nobis, quæsumus: ut ejus méritis et exémplis puritátem mentis et córporis fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Oblata múnera, clementíssime Deus, propítius réspice, et beati Cherubíni confessóris tui interveniénte suffrágio in salútem nobis proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Tua, Dómine, sacramentáli operatióne nos rénova: atque intercedénte beato Cherubíno confessóre tuo, ab omni prava córporis mundíque affectióne tuére. Qui vivis.

DIE IV.

B. HUMBERTI DUCIS SABAUDIÆ CONFESSORIS.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psal. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatum Humbértum cœlésti regno terrénum postpónere, et crucis mortificatiónem amplécti docuísti: da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

In Quadragesima fit commemor. Feriæ, postea S. Lucii Papæ et Mart.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post áurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Psal. 91. Justus, ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beatus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis, Allelúja, et ℣. sequenti, dicit. Tractus.

Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beatus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

℣. Eccl. 45. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 19.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi; et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis quia omni habénti dábitur, et abundábit; ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Offertorium. Psal. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Hostia, quam tibi offérimus, Dómine, Unigéniti Fílii tui passiónis mystéria renovántes, amórem tuum nostris pectóribus ínserat, quo beati Humbérti cor æstuábat. Per eúmdem Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem; amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Cœlesti dape reféсti, te, Dómine, deprecámur, ut beati Humbérti méritis et exémplo, mundánis cupiditátibus expedíti, gáudia cum ipso cónsequi mereámur ætérna. Per Dóminum.

DIE VI.

S. BONIFACII EPISC. ET MART.

(assign. ex 5. Junii)

Missa. Exultábo. fol. cxxxviii.

DIE XVIII.

In festo

APPARITIONIS B. MARIÆ VIRGINIS DE MISERICORDIA.

Introitus. Hebr. 4.

Adeamus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Psal. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo, in generatiónem, et generatiónem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos mira Unigéniti Fílii tui Matris apparitióne lætificáre dignátus es, concéde, ut ipsíus misericórdiam humíliter implorántes, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per eúmdem.

Léctio Libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris; et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego Mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini; spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum: memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient; et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur; et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Tob. 13. Aspícite quæ fecit nobíscum, et cum timóre et tremóre confitémini illi.

℣. Osténdit majestátem suam: convertímini, et fácite justítiam, credéntes, quod fáciat vobíscum misericórdiam.

Tractus. Luce spléndida fulgébis, et omnes fines terræ adorábunt te.

℣. Terram tuam in sanctificatiónem habébunt, nomen magnum invocábunt in te.

℣. Tu autem lætáberis in fíliis tuis, quóniam benedicéntur, et congregabúntur ad Dóminum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 66. Lætámini, et exultáte omnes, qui diligitis eam. Allelúja.

℣. Gaudéte gáudio univérsi. Allelúja.

Infra annum post Graduale dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Eccli. 50. Fecit nobíscum secúndum suam misericórdiam: dedit nobis jucunditátem cordis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio: et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries filium, et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Offertorium. Recordáre, Virgo mater, dum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, in mira Fílii tui Matris apparitióne deférimus, ut, sicut ipse nostrórum Auctor est múnerum, ita sit ipse nobis mísericors, et suscéptor Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum vivit et regnat.

Præfatio. Et te in Apparitióne.

Communio. Isai. 63. Miseratiónem Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus, et super multitúdinem bonórum, quæ largítus est secúndum indulgéntiam suam, et secúndum multitúdinem misericordiárum suárum.

Postcommunio.

Deus, qui nos pretióso Córpore, et Sánguine Unigéniti tui satiáre dignátus es: concéde propítius, ut Matris ejus précibus et protectióne suffúlti, misericórdiæ sempitérnæ salutárem consequámur efféctum. Per eúmdem Dóminum.

DIE XX.

S. JOSEPH AB ARIMATHÆA CONF.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et língua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psal. ibid. Noli æmulári in malignántibus; neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beati Joséphi confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post áurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Psal. 91. Justus, ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Tractus. Psal. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glóriæ et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

℣. Eccl. 15. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 27.

In illo témpore: Cum sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa nómine Joseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Tunc Pilátus jussit reddi corpus. Et accépto córpore, Joseph invólvit illud in síndone munda, et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra. Et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit.

Offertorium. Psal. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso; et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus, ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

DIE XXII.

S. CATHARINÆ FLISCÆ VID.

Missa Cognóvi de Comm. nec V. nec M. præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui passióne divíni amóris igne flagráre fecísti: quæsumus; ut ipsa intercedénte, tuæ in nobis flammam caritátis accéndas, et ejúsdem passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum nostrum.

DIE XXIII.

(assign. ex 18.)

S. GABRIELIS ARCHANGELI

Ut in addit. Missalis, fol. lxxxix.

DIE XXVII.

S. NICODEMI DISCIPULI DOMINI ET MARTYRIS.

Introitus. Psal. 63.

Lætabitur justus in Dómino, et sperábit in eo; et laudabúntur omnes recti corde.

Psal. ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut intercedénte beato Nicodémo mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beati Páuli Apóstoli ad Timótheum. II. Timoth. 2. et 3.

Carissime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cœlésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale. Psal. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur; quia Dóminus suppónit manum suam.

℣. Tota die miserétur et cómmodat; et semen ejus in benedictióne erit.

Tractus. Psal. 111. Beatus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 3.

In illo témpore: Erat homo ex Pharisæis, Nicodémus nómine, prínceps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster: nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cum sit senex? númquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre, et renásci? Respóndit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixit tibi: Opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spíritu. Respóndit Nicodémus, et dixit ei: Quómodo possunt hæc fieri? Respóndit Jesus, et dixit ei: Tu es magíster in Israel, et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, et quod vídimus testámur, et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, et non créditis: quómodo, si díxero vobis cœléstia, credétis? Et nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis, qui credit in ípsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Offertorium. Psal. 20. Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso; vitam pétiit a te, et tribuísti ei.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Joan. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster: ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beato Nicodémo mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Si hoc festum transferendum sit post Pascha, Missa erit: Protexísti, cum Orationibus et Evang. ut in Missa præcedente.

DIE XXX.

B. AMEDEI IX DUCIS SABAUDIÆ CONFESSORIS.

Missa. Os justi. ut supra in Festo B. Humberti, pag. 10, exceptis Orationibus, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beatum Amedéum confessórem tuum de terréno principátu ad cœléstem glóriam transtulísti : da nobis, quæsumus; ut ejus méritis et imitatióne sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dóminum.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hostias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA APRILIS

DIE IX.

B. ANTONII PAVONII MARTYRIS.

Missa. Lætábitur. ut supra in festo B. Bartholomæi de Cerveriis, exceptis Orationibus, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui ad unitátem fidei promovéndam beato António mártyri tuo invíctam ánimi fortitúdinem contulísti: da nobis, quæsumus, ita ejus vestígia sectári, ut finem fidei nostræ salútem animárum reportémus. Per Dóminum.

Deinde fit commemoratio Feriæ.

Secreta.

Sacrificium, Dómine, quod tibi in honórem beati Antónii mártyris offérimus, benígnus admítte: ut Ecclésiam tuam ab omni éruas hæreticórum nequítia, et in tuæ protectiónis securitáte constítuas. Per Dóminum.

Postcommunio.

Domine Jesu, qui beatum Antónium cœlésti hac mensa ad Martyrii certámen roborásti : ejus intercessióne da nobis in ejúsdem cibi fortitúdine omnes salútis hostes superáre, et ad ætérna gáudia felíciter perveníre. Qui vivis.

Tempore Paschali Missa. Protexísti, cum præcedentibus Orationibus propriis.

DIE X.

B. ANTONII NEYROT MARTYRIS.

Missa. Lætábitur. ut supra in festo B. Bartholomæi de Cerveriis, pag. 7, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beatum Antónium ad lucem veritátis tuæ misericórditer revocátum, exímium Mártyrem effecísti : præsta, ut ejus intercessióne simus semper in fide stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Joan. 12. **Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.**

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster : ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beato António mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Tempore Paschali Missa. Protexísti. cum præcedentibus Orationibus propriis.

DIE XVI.

S. TURIBII EPISCOPI ET CONF.

Missa. Státuit, de Communi Confessoris Pontif. 1. Orat. Exáudi, ex Missa Sacerdótes tui.

DIE XXVIII.

S. PAULI A CRUCE CONFESS.

Ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. cxiv.

DOMINICA II. POST PASCHA.

In solemnitate

B. MARIÆ VIRGINIS DE OROPA.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beatæ Maríæ Vírginis, de cujus solemnitáte gáudent ángeli, et colláudant Fílium Dei. Allelúja, allelúja.

Psal. 47. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per gloriosíssimam, sempérque vírginem Maríam divítias misericórdiæ tuæ in omnes, qui te deprecántur, effúndere deposuísti: concéde, ut quam pie in hac salutífera Imágine venerámur in terris, ejus quoque aspéctu pérfrui mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Et fit commèmoratio Dominicæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 24.

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit et dixit mihi Creátor ómnium: et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. Allelúja, allelúja.

℣. Isai. 51. Ponet desértum ejus quasi delícias, et solitúdinem ejus quasi hortum Dómini. Allelúja.

℣. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio, et vox láudis. Allelúja.

Extra tempus Paschale dicitur Graduale:

Cantic. 4. Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: coronáberis de cápite Amána, de vertice Sánir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum.

℣. Cantic. 4. Tota pulchra es, amíca mea, et mácula non est in te. Allel., allel.

℣. I. Machab. 7. Lætátus est pópulus valde, et egérunt diem illam in lætítia magna, et constítuit agi ómnibus annis diem istam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 1.

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis, María. Et ingréssus Angelus ad eam dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum, ecce concípies in útero, et páries filium: et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Offertorium. Prov. 9. Si quis est párvulus véniat ad me. Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis. Allelúja.

Secreta.

Conscii, Dómine, indignitátis nostræ, audémus ad treméndam Agni tui mensam accédere, beatíssimæ ejus Matris gratíssima meritórum recordatióne suffúlti: ne repéllas, quæsumus, suspirántium desidéria animárum: sed præsénti oblatióne, ac solemnitáte placátus, tam mirándæ fac nos partícipes sanctitátis. Per eúmdem.

Secreta Dominicæ.

Præfatio B. M. V. Et te in solemnitáte.

Communio. Prov. 8. Beátus homo qui áudit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postas óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Allelúja.

Postcommunio.

Sacramentis, Dómine, et gáudiis optátæ celebritátis explétis, tuam misericórdiam súpplices deprecámur: ut, erróribus sæculi, et carnis illécebris exémpti, protegénte beata María semper vírgine Unigéniti tui Matre, et in fide inveniámur stábiles, et in ópere efficáces. Per eúmdem Dóminum.

Postcomm. Dom., et ejus Evang. in fine.

DOMINICA III. POST PASCHA

PATROCINII S. JOSEPH SPONSI B. M. VIRG.

Missa. Adjútor ut in Missali, fol. 314.

FESTA MAJI

DIE IV.

SACRATISSIMÆ SINDONIS D. N. J. C.

Introitus. Ad Philip. 2.

Humiliavit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen. Allelúja, allelúja.

Extra temp. Pasch. omitt. Allelúja.

Psal. 88. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem, et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nobis in sancta Síndone, qua Corpus tuum sacratíssimum e cruce depósitum a Joseph involútum fuit, passiónis tuæ vestígia reliquísti: concéde propítius; ut per mortem et sepultúram tuam ad resurrectiónis glóriam perducámur. Qui vivis.

Léctio Isaíæ Prophétæ. C. 62. et 63.

Hæc dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Qui est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, láudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Temp. Pasch. Allelúja, allelúja.

℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres. Allelúja.

℣. Tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ láudis et honóris coróna. Allelúja.

Extra tempus Paschale.

Graduale. Psal. 68. Impropérium expectávit cor meum et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni.

℣. Dedérunt in escam meam fel et in siti mea potavérunt me acéto. Allelúja, allel.

℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens ductus es ad crucifigéndum, ut agnus mansuétus ad occisiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 15.

In illo témpore: Cum jam sero esset factum, quia erat Parascéve, quod est ante sábbatum, venit Joseph ab Arimathæa nóbilis decúrio, qui et ipse erat expéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur si jam obiísset. Et accersíto centurióne, interrogávit eum si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto, quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti. Credo.

Offertorium. Exod. 28. Ingréssus Aaron tabernáculum, ut holocáustum offérret super altáre pro peccátis filiórum Israel, túnica línea indútus est. Allelúja.

Secreta.

Accepta tibi, Dómine, sint hæc múnera, cui pro mundi salúte grata éxtitit Fílii tui pássio gloriósa. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio. Marc. 15. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum, invólvit síndone. Allelúja.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: quæsumus; ut per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria venerânda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus: Per eúmdem Dóminum.

In Missis votivis legitur eadem Missa: a Septuagesima vero ad Dominicam Passionis legitur Missa posita in fine Missalis pro aliquibus locis.

DIE XIII.

(assign. ex 3.)

S. JUVENALIS EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont. fol. xii.

DIE XVI.

S. HONORATI EPISCOPI ET CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Confess. Pont. fol. xii. sed 1. Orat. Da quæsumus, ex Missa Státuit, fol. xi.

DIE XX.

EX DECRETO SS. D. N. PII PP. VII.

In omnibus Missis lectis, quæ in cunctis serenissimi Sardiniæ Regis dominiis celebrabuntur, post Orationem de Missa occurrente addantur sequentes.

Pro gratiarum actione.

Oratio.

Deus, cujus misericórdiæ non est número rus, et bonitátis infinítus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad præmia futúra dispónas.

Ad poscenda suffragia Sanctorum.

Oratio.

Concede, quæsumus omnípotens Deus: ut intercéssio sanctæ Dei genitrícis Maríæ, sancti Joánnis Baptístæ, et ómnium sanctórum tuórum nos ubíque lætíficet; ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Pro gratiarum actione. Secreta.

Odorem, Dómine, sacrifícii hujus cum gratiárum actiónibus súscipe, et præsta: ut quos exaudíre, et incólumes serváre dignátus es, ab omni impósterum adversitáte custódias, et in tuo servítio et amóre concréscant.

Ad poscenda suffragia Sanctorum.

Secreta.

Oblatis, Dómine, placáre munéribus: et, intercedénte beata María semper vírgine, beato Joánne Baptísta, cum ómnibus sanctis tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Pro gratiarum actione.

Postcommunio.

Deus, qui néminem in te sperántem nímium afflígi permíttis, sed pium précibus præstas audítum: pro postulatiónibus nostris votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes; ut per hæc quæ súmpsimus, a cunctis éripi mereámur advérsis.

Ad petenda suffragia Sanctorum.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, beatæ Maríæ semper vírginis, beati Joánnis Baptístæ, et ómnium sanctórum tuórum memóriam recoléntes, sacraménta cœléstia: præsta, quæsumus; ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóm.

DIE XXI.

S. FELICIS A CANTALICIO CONFESS.

Ut in addit. pro Aliq. Locis. fol. xcix.

DIE XXII.

S. JULLÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beatæ Júliæ vírginis et mártyris, de cujus glorióso certámine gáudent ángeli, et colláudant Fílium Dei

Psal. 44. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui beatam Júliam vírginem et mártyrem, gloriósam tuæ passiónis et crucis imitatrícem effecísti: tua nobis miseratióne, atque ejus intercessióne concéde; ut carnem cum vítiis et concupiscéntiis crucifigéntes in terris, coronári cum ipsa mereámur in cœlis. Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 51.

DOMINE Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne: et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et láudem dicam tibi Dómine Deus noster.

Graduale. Psal. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem.

℣. Proptérea unxit te Deus Deus tuus óleo lætítiæ. Allelúja, allelúja.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Allelúja.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 25.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cœlórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso, et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus, et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et cláusa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium. Galat. 2. Christo confixa sum cruci: vivo autem ego, jam non ego: vivit vero in me Christus.

Secreta.

MENSÆ cœlésti fac illa nos, Dómine, caritáte inflammátos accúmbere, quæ beatæ Júliæ vírginis et mártyris, ad profiténdam líbere fidem tuam, et spernénda supplícia cor veheménter accéndit. Qui vivis.

Communio. Galat. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Postcommunio.

PRETIOSI Córporis et Sánguinis tui, Dómine, múnere vegetáti, supérnam illam virtútem infúnde, qua beata Júlia virgo et martyr tua roboráta, diáboli insídias et tyránni minas, mortem pro te fórtiter tólerans superávit. Qui vivis.

DIE XXIV.

IN FESTO B. MARIÆ VIRGINIS TIT. AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. ci.

DIE XXVIII.

(assign. ex 16.)

S. JOANNIS NEPOMUCENI MART.

Ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. xcviii.

FERIA VI. POST OCT. CORP. CHRISTI.

FESTUM SS. CORDIS JESU.

Missa. Egredímini, ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. 103.

FESTA JUNII

DIE I.

B. MARIÆ VIRGINIS DE GRATIA

Introitus. Psal. 44.

VULTUM tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exultatióne.

Psal. ibíd. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ópera mea regi.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui humáno géneri beatæ Maríæ virginitáte fœcúnda reparatiónis grátiam contulísti: concéde; ut quam grátiæ matrem appellámus in terris, ejus felíci consórtio perénniter perfruámur in cœlis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 24.

EGO quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater púlchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminι: spíritus enim meus super mel dulcis, et hæréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui áudit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale. Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se cláusit víscera factus homo. Allelúja, allelúja.

℣. Post partum, Virgo, inviolátapermansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúja.

Temp. Pasch. omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Num. 17. Virga Jesse flóruit: virgo Deum, et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

℣. Luc. 1. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis, María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur: et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit filium in senectúte sua, et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. Luc. 1. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta.

TUA, Dómine, propitiatióne, et beatæ Maríæ semper vírginis intercessióne ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. Per Dóminum.

Præfatio B. M. V. Et te in festivitáte.
Communio. Beata víscera Maríæ vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da quæsumus, beatæ Maríæ semper vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

DIE II.

S. THEOBALDI CONFESSORIS.

Missa. Justus. de Com. Conf. non Pont. præter Orationes sequentes:

Oratio.

DEUS, qui in húmili vita, et mirábili beati Theobáldi caritáte evangélicæ perfectiónis exémplum ostendísti: concéde quæsumus; ut illíus imitémur virtútes, cujus patrocínio gloriámur. Per Dóminum.

Secreta.

VOTA, quæ tibi offérimus, Dómine, beati Theobáldi intercessióne cleménter exáudi: ut mundánis expedíti cupiditátibus, te solum pura mente quærámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, sacris mystériis, concéde; ut sancti Theobáldi consórtio pérfrui mereámur in cœlis, cujus patrocínio gloriámur in terris. Per Dóminum.

DIE VI.

INSIGNIS MIRACULI SS. CORPORIS D. N. JESU CHRISTI.

Introitus. Isai. 12.

CANTATE Dómino, quóniam magnífice fecit, allelúja: annuntiáte hoc in univérsa terra: allelúja. Exúlta et láuda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel. Allelúja, allelúja.

Psal. 97. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit.

℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui, ad augéndam inter nos fámulos tuos erga fidei mystérium pietátem, dilectiónis tuæ mirábile signum relínquere dispósuisti: concéde propítius; ut Unigénitum tuum, quem in hoc Sacraménto pio afféctu venerámur, æternáliter in cœlis possidére mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 62.

PROPTER Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor justus ejus, et Salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt gentes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum: et vocábitur tibi nomen novum quod os Dómini nominábit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius desoláta; sed vocáberis volúntas mea in ea, et terra tua inhabitáta, quia compláeuit Dómino in te: et terra inhabitábitur.

Graduale. Psal. 117. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me.

Psal. 115. ℣. Tibi sacrificábo hóstiam láudis, et nomen Dómini invocábo. Allelúja, allelúja.

℣. Eucharística Hóstia descéndit, et in cálice a sacri Antístitis mánibus porrécto plácide sistit. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et ℣. sequenti, dicitur Tractus:

Psal. 99. Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia.

℣. Intráte in conspéctu ejus in exultatióne: scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus.

℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

Tempore Paschali, omissis Graduale, et Tractu, dicitur: Allelúja, allelúja.

1. Paralip. 16. ℣. Narráte in géntibus glóriam ejus; in cunctis pópulis mirabília ejus. Allelúja.

℣. Labénte ipsa hierothéca, stat sola orbiculáris panis spécies in aere péndula, atque attónitis cívibus spectántibus sole clárior effúlget. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus: Confiteor tibi, Pater, Dómine cœli et terræ quod abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus

et revelästi ea párvulis. Etiam Pater: quóniam sic plácuit ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Fílius, nisi Pater; et quis sit Pater, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Et convérsus ad discípulos suos, dixit: Beati óculi qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt; et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Credo.

Offertorium. Isai. 25. Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te, et confitébor nómini tuo, quóniam fecísti mirabília. Allelúja.

Secreta.

Clementissime Deus, hæc múnera tibi obláta propítius réspice: ut dum Unigéniti Fílii tui sacra renovámus mystéria, eórum copiósum fructum cónsequi valeámus. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Psal. 117. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Allelúja.

Postcommunio.

Domine Deus, qui ab hæresi minitánte patrum nostrórum fidem singulári prodígio defendísti: rénova super nos consuétam misericórdiam tuam; et advérsus late grassántem incredulitátem fidem nostram sub tégmine alárum tuárum propítius custódi. Per Dóminum.

DIE XX.

INVENTIO S. IMAGINIS B. M. V. DE CONSOLATIONE.

Missa. Salve, Sancta Parens, ut in votivis de S. Maria a Pentec. ad Adv. fol. xxxvii.

DIE XXV.

S. MAXIMI EPISCOPI TAURINENSIS CONFESSORIS.

Missa. Statuit. de Communi Confess. Pontif. præter Orationem sequent.

Oratio.

Deus, qui ad erudiéndos pópulos, et in viam salútis promovéndos, beatum Máximum confessórem tuum atque pontíficem singulári sapiéntia et admirábili caritáte decorásti; concéde propítius; ut ejus mónita et exémpla secúti, ad ætérnæ vitæ præmia, ipsíus suffragántibus méritis, perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

DIE XXIX.

COMMEMORATIO (Quæ aliam quamcumque præcedit) OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Orémus. Oratio.

Deus, qui nos per beatos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti, da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Gloriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuorum perpétuam venerántes, quæsumus, ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Perceptis, Dómine, Sacraméntis, supplíciter exorámus, ut, intercedéntibus beatis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

FERIA VI. POST DOMINICA I. JULII.

FESTUM PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C.

Ut in Missali fol. 348.

FESTA JULII

DIE V.

S. MICHAELIS DE SANCTIS CONFESSORIS.

Missa. Consummátus in brevi. fol. cxi. excepta prima Oratione ut sequitur:

Oratio.

Misericors Deus, qui sanctum Michaélem confessórem tuum morum innocén-

tia, et mirábili caritáte præstáre voluísti: concéde quæsumus, ut igne tui amóris succénsi ad te perveníre mereámur. Per Dóm.

DOMINICA II.

IN COMMEMORATIONE OMNIUM SS. SUMMOR. PONTIF.

Missa. Congregáte, ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. cviii.

DIE XX.

S. MARGARITÆ VIRG. ET MART.

Missa. Me expectavérunt, de Comm. Virg. Mart. fol. xix.

DIE XXIV.

S. CHRISTINÆ VIRG. ET MART.

Missa. Me expectavérunt. ut in festo B. Agnetis XXI. Januar. mutato tantum nomine.

DIE XXVII.

B. BERNARDI BADENSIS CONFESS.

Missa. Os justi. de Comm. Confess. non Pontif. cum sequent. Orationibus.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beatum Bernárdum confessórem tuum, æternitátis láurea decorásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóm.

Secreta.

Hæc hostia, Dómine, placatiónis et láudis, intercedénte beato Bernárdo confessóre tuo emúndet nostra delícta, et vitam nobis cónferat sempitérnam. Per Dóminum.

Postcommunio.

Repleti cibo spirituális alimóniæ súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, précibus beati Bernárdi confessóris tui dóceas nos terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

DIE XXX.

B. ODDINI BAROTTI CONFESSORIS.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psalm. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beatum Oddínum confessórem sacratíssimæ passiónis Unigéniti Fílii tui amatórem exímium effecísti: concéde nobis; ut, ipso intercedénte, ejúsdem partícipes éffici mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post áurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Qui est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Psal. 91. Justus, ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja, allelúja.

Jac. 1. ℣. Beatus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joan. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus Pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum óvile, et unus pastor.

Offertorium. Psal. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem; amen dico vobis, super ómnia bona constítuet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo, potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

DIE II.

B. MARIÆ VIRGINIS DE SUCCURSU.

Missa. Salve sancta parens, ut in Missis votivis B. Mariæ Virg. a Pentecoste usque ad Adventum.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui ad succurréndum humáno géneri beatam Vírginem Maríam Unigéniti Fílii tui matrem esse voluísti: da nobis, quæsumus; ut, ea intercedénte, diabólica vitáre contágia, et sincéra tibi mente servíre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit comm. S. Stephani Papæ et Mart.

Præfatio de B. M. V. Et te in festivitáte.

DIE IX.

B. BONIFACII EPISCOPI ET CONF.

Missa. Státuit. de Comm. Conf. Pontif. cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua per beatum Bonifácium confessórem, atque pontíficem mirábilis caritátis ac pastorális sollicitúdinis exémpla instauráre dignátus es: ejus méritis concéde; ut ad animárum salútem júgiter inténti, veram felicitátem cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificiis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus; et vivo caritátis igne cor nostrum inflámma, quo beatus Bonifácius exársit. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelorum esca refécti supplíciter te, Dómine, deprecámur; ut, beati Bonifácii confessóris tui atque pontíficis précibus et exémplo puritátem mentis et córporis custódientes, ad gáudia cum ipso perveniámus ætérna. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit.

DIE XI.

B. LUDOVICÆ A SABAUDIA VIDUÆ.

Missa. Cognóvi. de Communi nec Virg. nec Mart. fol. xxiii. exceptis Orat. sequentibus.

Oratio.

Deus, qui in beata Ludovíca per omnes vitæ sémitas tradúcta singuláre virtútis exémplum proposuísti: concéde; ut in via, qua nos vocásti, ejúsdem vestígia sequámur, et cum ipsa ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Beatæ Ludovícæ solemnitáte hæc tibi múnera deferéntes, quæsumus Dómine: ut ipsíus précibus et exémplo terréna despiciámus, et inquirámus ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio.

Angelorum esca nutríti concéde, quæsumus Dómine, ut amóris tui flamma, qua beata Ludovíca æstuábat, veheméntior in córdibus nostris quotídie augeátur. Per Dóminum.

DIE XIII.

SS. HIPPOLYTI ET CASSIANI MM.

Missa. Sapiéntiam, de Comm. plur. M[illegible] cum Orat. prop. ut in Missali hac [illegible]

DIE XIV.

(assign. ex 2.)

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Missa. Spíritus, ut in Missali, fol. 371.

DIE XVI.

S. ROCHI CONFESSORIS.

Introitus. Psalm. 91.

JUSTUS ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur; plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri.

Psalm. ibid. Bonum est confitéri Dómino; et psállere nómini tuo, Altíssime.

℣. Glória Patri, etc. — Justus.

Orémus. Oratio.

POPULUM tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: et beati Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Et fit comm. Oct. Assumptionis, ac S. Laurentii.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. Cor. 4.

FRATRES: Spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem, pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo; sed ut filios meos charíssimos móneo in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Psalm. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus, Allelúja, allelúja.

℣. Psalm. 111. Beatus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis, All.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum, et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno; et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuisti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário; tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi; et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis, quia omni habénti dábitur et abundábit: ab eo autem qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Offertorium. Psalm. 20. In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exultábit vehementer; desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta.

PRÆSTA nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuorum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquísti ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beato Rocho confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XVIII.

S. HELENÆ IMPERATRICIS VIDUÆ.

Missa. Mihi autem, ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. cxix.

DOMIN. POST OCT. ASSUMPT.

PURISSIMI CORDIS B. M. VIRGINIS.

Missa. Omnis glória, ut in addit. pro Aliq. Locis fol. civ.

DIE XXVI.

S. SECUNDI MARTYRIS.

Missa. In virtúte. ut in Communi unius Martyris non Pontif. fol. iii. cum Evangel. Si quis venit ad me. ex Missa Státuit. de Comm. unius Martyris Pontificis.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE IV.

B. CATHARINÆ A RACONIXIO VIRGINIS.

Missa. Dilexísti. ut in Communi Virginum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

Spes nostra, Dómine, qui beatæ Catharínæ cor te ipso plenum cœléstium donórum abundántia decorásti: tantæ vírginis intercessióne concéde; ut totus nobis figátur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce Dóminus noster Jesus Christus Fílius tuus. Qui tecum vivit.

Secreta.

Non ignári, Dómine, vitiórum nostrórum, audémus ad treméndam Agni tui mensam accédere, Catharínæ sponsæ ejus meritórum recordatióne suffúlti: ne repéllas, quæsumus, suspirántium desidéria animárum, sed præsénti oblatióne ac solemnitáte placátus, tam mirándæ fac nos partícipes sanctitátis. Per eumdem Dóminum.

Postcommunio.

Domine Jesu, panis vitæ, qui Catharínæ vírgini tuæ indeficiéntis dulcédinis épulas in hac mensa ministrásti: indúlge nobis míseris; ut de micis a tanta ubertáte cadéntibus saturémur. Qui vivis.

DIE VII.

PATROCINII B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa. Salve sancta parens. ut in Missis votivis B. M. V. a Pentecoste ad Adventum, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Concede, quæsumus omnípotens Deus: ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ protectióne lætántur; ejus pia intercessióne a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cœlis. Per Dóminum.

Præfatio de B. M. V. Et te in festivitáte.

DIE IX.
(assign. ex 7.)

S. GRATI EPISC. CONF.

Missa. Sacerdótes tui, de Com. Conf. Pont.

Et fit Comm. Oct. Nativ. B. M. V. ut heri, et S. Gorgonii Mart.

DIE XVIII.

SS. CONSTANTII ET SOCIORUM MARTYRUM.

Missa. Sapiéntiam, de Com. plur. Mart.

DIE XXII.

SS. MAURITII ET SOCIORUM MART.

Missa propr. ut in Proprio Sanctor. Missalis sub hac die.

FESTA OCTOBRIS

DIE I.

S. REMIGII EPISC. CONF.

Missa. **Státuit,** de Com. Conf. Pont. Et dic. **Credo** per tot. Oct.

DOMINICA II. A KALEND. OCTOBRIS.

FESTUM MATERNITATIS B. M. V.

Ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. cxxiii.

DIE XVI.

S. GALLI ABBATIS.

Missa. Os justi, de Com. Abbatum.

DOMINICA III. A KAL. OCTOB.

FESTUM PURITATIS B. M. VIRG.

Ut in addit. pro Aliq. Locis, fol. cxxiv.

DIE XXI.

SS. URSULÆ ET SOCIARUM Virginum et Martyrum.

Missa. **Loquébar,** de Com. Virg. et Mart., exceptis Orat. seq. et Epist.

Orémus. Oratio.

DA nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuarum Ursulæ et Sociárum ejus palmas incessábili devotióne venerári, ut quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Pro Comm. S. Hilarionis Abbat.

Oratio.

INTERCESSIO nos, quæsumus, Dómine, Sancti Hilariónis Abbátis comméndet, ut quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur . Per Dóminum.

Epistola **De Virgínibus** etc. ex Missa **Vultum tuum,** de Com. pro Virgine tantum.

Secreta.

INTENDE, quæsumus, Dómine, múnera, altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuarum Ursulæ et Sociárum ejus festivitáte propósita; ut sicut per hæc beata mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione.

Secreta.

SACRIS altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA nobis, quæsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis Ursula et Sóciis ejus, ut quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Hilarione.

Postcommunio.

PROTEGAT nos, Dómine, cum tui perceptióne Sacraménti beatus Hilárion Abbas pro nobis intercedéndo, ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

DIE XXII.

(assign. ex 18.)

S. JUSTI MARTYRIS.

Missa. **Lætábitur,** de Com. un. Mart. non Pont.

DIE XXIV.

S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Missa. **Benedícite, Dóminum,** ut in Appendice Missalis pro Aliq. Locis.

DIE XXV.

SS. CRISPINI ET CRISPINIANI MARTYRUM.

Missa. **Sapiéntiam,** de Com. plur. Martyrum.

Comm. SS. MM. Chrysanthi et Dariæ, ut in Propr. Missalis sub hac die.

FESTA NOVEMBRIS

DIE V.

S. ZACHARIÆ CONFESS.

PATRIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Introitus. Psal. 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Psal. ibid. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Vigeat, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, beati Zacharíæ sanctíssimi Præcursóris tui patris suffragántibus méritis: ut te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Qui vivis.

Fit Comm. Octavæ omnium Sanctorum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post áurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia, et thesáuris. Qui est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus; fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Psal. 91. Justus, ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. Allelúja, allelúja

℣. Jac. 1. Beatus vir qui suffert tentatiónem; quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1.

Fuit in diébus Heródis, regis Judææ, sacérdos quidam nómine Zacharías de vice Abía, et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et justificatiónibus Dómini sine queréla, et non erat illis filius eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem, cum sacerdótio fungerétur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdótii, sorte éxiit ut incénsum pónerent, ingréssus in templum Dómini; et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elísabeth páriet tibi filium, et vocábis nomen ejus Joánnem: et erit gáudium tibi, et exultátio, et multi in nativitáte ejus gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino; et vinum et síceram non bibet, et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum; et ipse præcédet ante illum in spíritu, et virtúte Elíæ: ut convértat corda patrum in filios, et incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam.

Offertorium. Psal. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Ante óculos tuos, Dómine, hóstiam salutárem offérimus, humíliter deprecántes, ut per beati Zacharíæ sanctíssimi Præcursóris tui patris mérita, fiat nobis tuæ dilectiónis pignus ætérnum. Qui vivis.

Secreta Octavæ omnium Sanctorum.

Communio. Matth. 24. Beatus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Perfice, quæsumus Dómine, in honórem beati Zacharíæ sanctíssimi Præcursóris tui patris munus oblátum; et quod nostra peccáta præpédiunt, ipso pro nobis intercedénte, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret. Qui vivis.

Postcommunio Oct. omnium Sanctorum.

DIE VI.

S. LEONARDI CONFESSORIS.

Missa. **Justus**, de Com. Conf. non Pontif. **fol. xvi.**

DIE VII.

B. PETRI DE RUFFIA MARTYRIS.

Missa. **Lætábitur,** ut supra in Festo B. Bartholomæi de Cerveriis, cum Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui beato Petro fámulo tuo misericórditer tribuísti pro veræ fidei defensióne martyrio coronári; ejus méritis et intercessióne concéde; ut fide, quæ per caritátem operátur, tibi júgiter placére valeámus. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificium tibi, Dómine, láudis et gratiárum actiónis offeréntes pro victória beati Petri mártyris tui, supplíciter deprecámur imménsam bonitátem tuam: ut fidélem pópulum in sancta religióne consérves, et hærética fraude dispérsos ad veritátis tuæ révoces unitátem. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui ea ipsa die, qua Unigénitus tuus cum nostræ carnis substántia ab immaculáta Vírgine Matre in templo est præsentátus, ánimam beati Petri mártyris in cælum suscepísti : ejus nobis intercessióne concéde ; ut in vitæ éxitu divínis mystériis expiáti in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per eúmdem.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ CONFESS.

Missa. **Consummatus in brevi,** ut in addit. pro Aliq. Locis. fol. cxxxii.

DIE XX.

NATALIS SS. SOLUTORIS, ADVENTORIS ET OCTAVII MARTYRUM.

Missa. **Clamavérunt,** ut supra in festo Translationis, xx Januarii, exceptis Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui hanc civitátem sanctórum mártyrum tuorum Solutóris, Adventóris, et Octávii sánguine consecrásti; concéde propítius; ut eorum muníti præsídio, fidei constántiam imitémur, et temporálibus nunquam destituámur auxíliis. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, offérimus pro tuorum commemoratióne mártyrum Solutóris, Adventóris, et Octávii : præsta ; ut quorum venerámur solemnitátem, eorum patrocínio indesinénter protegámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Deus, qui beatos mártyres tuos Solutórem, Adventórem, et Octávium virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex eorum nobis imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

DIE XXVI.

(assign. ex 20.)

S. FELICIS DE VALOIS CONFESS.

Missa. **Justus,** de Com. Conf. non Pont. cum seqq. Orat.

Orémus. Oratio.

Deus, qui beatum Felícem confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos cœlitus vocáre dignátus es, præsta quæsumus, ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitáte ejus intercessióne liberáti ad cœléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Commem. S. Petri Episc. Mart.

Oratio.

Infirmitatem nostram réspice, omnípotens Deus, et quia pondus própriæ actiónis gravat, beati Petri Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beati Petri Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis benígnus assúme, et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster, ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beato Petro Mártyre tuo atque Pontífice sentiámus efféctum. Per Dóminum.

DIE XXVII.

B. MARGARITÆ A SABAUDIA VIDUÆ.

Missa. **Cognóvi.** ut in Comm. nec Virg. nec Mart. exceptis Orationibus sequentibus.

Oratio.

Deus, qui beatam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Munera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: ut tibi grata, et nobis salutária, beatæ Margarítæ pia supplicatióne, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus: ut quos salutáribns dignátus es erudíre mystériis, beatæ Margarítæ intercessióne gloriósa cœléstibus refícias aliméntis. Per Dóminum.

V. quum concordent cum approbatis, ideo eas typis mandari permittimus.

Taurini 28 Julii 1880.

JOSEPH ZAPPATA Vic. Gen.

TAURINI 1880. — Typ. ~~Pontif. et Archiep. Eq.~~ PETRI MARIETTI.

PROPRIUM
MISSARUM
INSULÆ SARDINIÆ

DIE XV. JANUARII.

IN FESTO S. EPHYSII MART.

Duplex.

Missa. **Probásti Dómine,** ut in Appendice pro Diœcesi Taurinen. die xv. Februarii, pag. 5. cum commem. S. Mauri Abbat. ut in Missali hac die, **pag. 276.**

DIE VI. FEBRUARII.

IN FESTO S. POTITI MARTYRIS.

Duplex.

Missa. **In virtúte tua,** de comm. un. Mart.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Mártyris tui Potíti ánnua celebritáte lætíficas, concéde propítius, ut de cujus triumpháli agóne lætámur in terris, ad ejus glóriæ consórtium ervenire felíciter mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XVIII. MARTII.

IN FESTO INVENTIONIS SANCTI ANTIOCHI MARTYRIS.

Duplex.

Introitus. Oseæ cap. 12. 4.

Et inváluit pópulus ad Angelum, et confortátus est; flevit, et rogávit eum, in Bethel invénit eum, et ibi locútus est.

℣. Psal. 96. Dóminus regnávit, exúltet terra, lætántur ínsulæ multæ.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Vota pópuli supplicántis, quæsumus Dómine Deus, sancti Antíochi Mártyris tui intercessióne impleántur, pro cujus inventiónis festivitáte lætámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Ecclesiástici. Eccl. 6. 14.

Amicus fidélis protéctor fortis: qui autem ínvenit illum, ínvenit thesáurum. Amíco fidéli nulla est comparátio, et non est digna ponderátio auri et argénti contra bonitátem fidei illíus. Amícus fidélis medicaméntum vitæ, et immortalitátis; et qui métuunt Dóminum, invénient illum. Qui timet Deum, æque habébit amicítiam bonam: quóniam secúndum illum erit amícus illíus.

Graduale. Psal. 27. **Dóminus adjútor meus, et protéctor meus, in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.**

℣. Et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor ei. Allelúja, allelúja.

℣. Antíoche benéfice, Patróne noster ínclyte, invícte Christi Pálmifer, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.

Post Septuagesim. omiss. **Allelúja,** et vers. seq. dicitur Tractus.

Psal. 195. **In converténdo Dóminus captivitátem Sion: facti sumus sicut consoláti.**

℣. Tunc replétum est gáudio os nostrum, et língua nostra exultatióne.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum, facti sumus lætántes.

Tempore Pasch. omittuntur Graduale, et Tractus, et dicitur : Allelúja, allelúja.

Psal. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. Allelúja.

℣. Psal. 144. Exaltábo te, Deus meus Rex : et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

℣. Antíoche benéfice, Patróne noster ínclyte, invícte Christi Pálmifer, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 11. 1.

In illo témpore: cum esset Jesus in quodam loco orans, ut cessávit, dixit unus ex Discípulis ejus ad eum: Dómine, doce nos oráre, sicut dócuit et Joánnes Discípulos suos. Et ait illis : Cum orátis, dícite : Pater, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis peccáta nostra, síquidem et ipsi dimíttimus omni debénti. Et ne nos indúcas in tentatiónem. Et ait ad illos: Quis vestrum habébit amícum, et ibit ad illum média nocte, et dicet illi : Amíce, cómmoda mihi tres panes, quóniam amícus meus venit de via ad me, et non hábeo quod ponam ante illum; et ille de intus respóndens dicat : Noli mihi moléstus esse, jam óstium cláusum est, et púeri mei mecum sunt in cubíli ; non possum súrgere, et dare tibi. Et si ille perseveráverit pulsans : dico vobis, et si non dabit illi surgens, eo quod amícus ejus sit, propter improbitátem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessários. Et ego dico vobis : Pétite, et dábitur vobis ; quærite, et inveniétis; pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. Credo.

Offertorium. Oseæ 12. 4. Et tu, ad Deum tuum convertéris. Misericórdiam, et judícium custódi, et spera in Deo tuo semper.

Secreta.

Supplicationem populórum, quorum filius tuus Dóminus noster Jesus Christus, Advocátus, Magíster, et propitiatiónis est Hóstia, Omnípotens Deus, benígnus assúme; ut per hæc pia vota, et Hóstiam salutárem, quæ in memóriam sancti Antíochi Mártyris tui in altári sancto deférimus, bonórum ómnium grátiam consequámur. Per eúndem Dóminum.

Communio. Oseæ 12. 9. Ego Dóminus Deus tuus, adhuc sedére te fáciam in tabernáculis, sicut in diébus festivitátis.

Postcommunio.

Sumpta Sacraménta, quæsumus Dómine, júgiter operéntur, sancto Antíocho Mártyre tuo intercedénte; ut temporálibus subsídiis conveniénter adjúti, tabernáculis recipiámur ætérnis. Per Dóminum nostrum.

DIE XXX. MARTII.

IN FESTO B. AMEDEI CONFSS.

Duplex.

Omnia ut in Append. pro Diœcesi Taurinen. pag. 12.

Pro Diœcesi Calaritana et alibi.

DIE VII. APRILIS

IN FESTO B. JULIANÆ CORNELIONENSIS SANCTÆ NUNCUPATÆ

Duplex.

(Decret. S. R. C. 8 Julii 1869).

Missa. Dilexísti, de Communi Virginum.

Oratio.

Deus humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti ; tríbue quæsumus, ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XXIV. APRILIS

IN FESTO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS TITULO DE BONARIA.

Duplex 1 classis cum Octava.

Decret. S. R. C. diei 22 Aprilis 1871. pro

totius Insulæ Sardiniæ Clero Sæculari et Regulari.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis, de cujus solemnitáte gáudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Allelúja, allelúja.

Psalm. 47, 10. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS et misericors Deus, qui Genitrícis Fílii tui Imáginem per maris undas mirabíliter traduxísti, præsta, quæsumus, ut ipsíus beátæ Maríæ Vírginis patrocínio e præséntis vitæ flúctibus edúcti ad portum vitæ ætérnæ perveníre felíciter mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ.

Eccl. 24, 8 et seqq.

EGO in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cœli circuívi sola, et profúndum abyssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti. Et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi; et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hæreditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium, et qui creávit me requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: in Jacob inhábita, et in Israel hæreditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi. Et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei hæréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi, quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale. Allelúja, allelúja.

℣. Cant. 4, 8, 1. Veni de Líbano, Sponsa mea, veni: coronáberis de cápite Amana, de vértice Sanir, et Hermon, de cubílibus leónum, de móntibus pardórum. Allelúja.

℣. Luc. 1. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum: Benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 1.

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave grátia plena: Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum.

Credo.

Offertorium. Hebr. 4, 16. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Allelúja.

Secreta.

SUSCIPE, Dómine, múnera quæ in Genitrícis Fílii tui solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio ab ómnium erróorum collúvie liberári. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio. Et te in solemnitáte.

Communio. Prov. 8, 34. Beátus homo qui áudit me, et vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino. Allelúja.

Postcommunio.

FIDELES tuos, Dómine, custódiant mystéria quæ súmpsimus, et Unigéniti tui Matre intercedénte, ab omni hujus sæculi corruptióne eréptos ad cœléstem pátriam felíciter perdúcant. Per eúmdem Dóminum.

FERIA II. POST DOM. II. PASCHÆ.

SOLEMNIS COMMEMORATIO TRANSLATIONIS S. ANTIOCHI M.

Duplex 2. class.

Introitus. Psal. 56.

MISIT de cœlo, et liberávit me, dedit in oppróbrium conculcántes me: Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: Dormívi conturbátus.

Psal. 94. Dóminus regnávit, exúltet terra, lætántur ínsulæ multæ. Glória Patri etc.

Oratio.

QUÆSUMUS cleméntiam tuam, omnípotens Deus, nos fámulos tuos propítius réspice: ut sancti Antíochi Mártyris tui deprecatióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Ecclesiástici. Cap. 51.

CONFITEBOR tibi, Dómine Rex, et collaudábo te Deum Salvatórem meum. Confitébor nómini tuo; quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu adstántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me; a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus; de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum; et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adjuváret. Respíciens eram ad adjutórium hóminum, et non erat. Memorátus sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecátus sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

Tempore Pasch. omitt. Gradual., et Tractus, ut in Festo Inv. et dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Psal. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me: Allelúja.

℣. Psal. 144. Exaltábo te, Deus meus Rex: et benedícam nómini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

℣. Antíoche benéfice, Patróne noster ínclyte, invícte Christi Pálmifer, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 14.

IN illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Credo.

Offertorium Psal. 96. Confundántur, qui adórant sculptília, et gloriántur in simulácris suis. Allelúja, allelúja.

Secreta.

SUSCIPIAT, Dómine, cleméntia tua de mánibus nostris munus oblátum; et per sancti Antíochi Mártyris tui oratiónem ab ómnibus nos emúnda peccátis. Per Dóminum nostrum.

Communio. Psal. 95. Quam magnus Dóminus, et laudábilis nimis, terríbilis est super omnes Deos. Quóniam omnes Dii Géntium Dæmónia: Dóminus autem Cœlos fecit. Allelúja, allelúja.

Postcommunio.

DEUS ætérnæ consolatiónis Pater, per sancti Mártyris tui Antíochi preces da

pópulo tuo salútem, et pacem: ut tota dilectióne inhæreant præcéptis tuis; et quæ tibi plácita sunt, tota perfíciant voluntáte. Per Dóminum.

DIE IV. MAJI.

IN FESTO SS. SINDONIS D. N. J. C.

Duplex.

Omnia ut in Append. pro Diœcesi Taurinen. pag. 14.

DIE XIX. JULII.

IN FESTO S. SYMMACHI PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Missa .Státuit; de Comm. Conf. Pontif.

DIE XX. JULII.

IN FESTO S. ELIÆ PROPHETÆ.

Omnia ut in Appendice pro aliq. locis, pag. CXIV.

DIE X. SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. HILARII PAPÆ ET CONFESSORIS.

Duplex.

Missa. Sacerdótes tui, de Comm. Conf. Pont.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. MAURITII MART.

Duplex 1. classis.

Introitus. Michææ. c. 7. v. 8.

Ne lætéris, inimíca mea, super me, quia cécidi: Consúrgam, cum sédero in ténebris, Dóminus lux mea est.

℣. Psal. 117. Dóminus mihi adjútor, non timébo quid fáciat mihi homo.

℣. Glória Patri.

Oratio.

Sancti Maurítii Mártyris tui Dómine, patrocíniis adjuvémur: qui sancti tui nóminis confessióne victor occúmbens, Fídei Sacraménta munívit exémplo. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Ephésios. Cap. 3.

Fratres: mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensatio Sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Ut innotéscat Principátibus, et Potestátibus multifórmis sapiéntia Dei secúndum præfinitiónem sæculórum quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro. In quo habémus fidúciam, et accéssum in confidéntia per fidem ejus. Propter quod peto, ne deficiátis in tribulatiónibus.

Graduale. Psal. 19. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis, prótegat te nomen Dei Jacob.

℣. Ibid. Memor sit Dóminus Sacrificii tui, et holocáustum tuum pingue fiat. Allelúja, allelúja.

℣. Jerem. 4. 15. Vox annunciántis a Dan, et notum faciéntis idólum de monte Ephraim. Allelúja.

Post Septuagesimam omiss. Allelúja et versu seq. dicitur Tractus.

Psal. 117. Circumdedérunt me sicut apes et exarsérunt sicut ignis in spinis.

℣. Ibid. Impúlsus evérsus sum, ut cáderem, et Dóminus suscépit me.

℣. Ibid. Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem.

Tempore Pasch. Allelúja, allelúja.

℣. Psal. 19. Lætábimur in salutári tuo, et in nómine Dei nostri magnificábimur.

℣. Psal. Vox exultatiónis, et salútis in tabernáculis justórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 13.

In illo témpore: Aderant quidam nunciántes Jesu de Galilæis, quorum sánguinem Pilátus míscuit cum Sacrificiis eórum. Et respóndens, dixit illis: Putátis quod hi Galilæi peccatóres fúerint; quia tália passi

sunt? Non dico vobis: sed nisi pœniténtiam habuéritis, omnes simíliter períbitis. Sicut illi decem et octo, super quos cécidit turris in Síloe, et occídit eos: putátis, quia et ipsi debitóres fúerint præter omnes hómines habitántes in Jerúsalem? Non, dico vobis: sed si pœniténtiam non egéritis, omnes simíliter períbitis. Credo.

Offertorium. Amos cap. 9, v. 6. Qui ædíficat in cœlo Ascensiónem suam, et fascículum suum super terram fundávit: Qui vocat aquas maris, et effúndit eas super fáciem terræ, Dóminus nomen ejus.

Secreta.

Offerentes tibi, Dómine, sacrosáncti Fílii tui incruénta Mystéria, sancti Maurítii Mártyris tui jugis protéctio tueátur: cujus verbis, et exémplo sæculári famulántes milítiæ, dato cruóre pro tui nóminis confessióne ætérnæ glóriæ palmam adipísci concessísti. Per eúndem Dóminum.

Communio. Psal. 21, et 117. Narrábo nomen tuum frátribus meis, in médio Ecclésiæ laudábo te: Non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Postcommunio.

Familia tua, quæsumus Dómine, donis cœléstibus nutriátur; et sancti Maurítii Mártyris tui commendáta suffrágio, robústum Sacraménti fructum percepísse lætétur. Per Dóminum nostrum.

DIE XI. OCTOBRIS.

TRANSL. PRIMA S. AUGUSTINI.

Duplex minor.

Missa. In médio Ecclésiæ, de comm. Doctoris.

Oratio.

Deus ómnium largítor donórum, qui hunc diem beáti Augustíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda Translatióne jucúndas; quæsumus, ut ejus précibus nos de terrénis tránsferas ad consórtia beatórum. Per Dóminum.

DIE XXX. OCTOBRIS..

IN FESTO S. SATURNINI MART.

Duplex.

Missa. In virtúte tua, de com. un. Mart.

Oratio.

Omnipotens, et miséricors Deus, qui in confessióne veræ fidei B. Saturnínum Mártyrem tuum mirábili constántia roborásti, concéde nobis fámulis tuis, ejus intercedéntibus méritis tibi soli in ómnibus fírmiter adhærére. Per Dóminum nostrum.

DIE XIII. NOVEMBRIS.

IN NATALI S. ANTIOCHI M.

Duplex 1. class.

Introitus. Ps. 56.

Misit de cœlo, et liberávit me, dedit in oppróbrium conculcántes me: Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: Dormívi conturbátus.

Psal. 94. Dóminus regnávit, exúltet terra, læténtur ínsulæ multæ. Glória Patri.

Oratio.

Quæsumus cleméntiam tuam, omnípotens Deus, nos fámulos tuos propítius réspice: ut sancti Antíochi Mártyris tui deprecatióne ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos Cap. 11. 33.

Fratres: Qui per fidem vicérunt regna operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum; accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos; álii autem distént[i]

sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem. Alii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt, circumiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus; in solitudínibus errántes, in móntibus, in spelúncis, et cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fidei probáti non accepérunt repromissiónem, Deo pro nobis mélius áliquid providénte, ut non sine nobis consumaréntur.

Graduale. Psalm. 27. Dóminus adjútor meus, et protéctor meus, in ipso sperávit cor meum, et adjútus sum.

℣. Et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor ei. Allelúja, allelúja.

℣. Antíoche benéfice, Patróne noster ínclyte, invícte Christi Pálmifer, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.

Post Septuagesimam omiss. Allelúja et versu seq. dicitur Tractus.

Psal. 195. In converténdo Dóminus captivitátem Sion, facti sumus sicut consoláti.

℣. Tunc replétum est gáudio os nostrum, et lingua nostra exultatióne.

℣. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum, et facti sumus lætántes.

Tempore Pasch. omittuntur Graduale, et Tractus, et dicitur: Allelúja, allelúja.

℣. Psal. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. Allelúja.

℣. Psal. 144. Exáltabo te, Deus meus Rex: et benedícam nómini tuo in sæculum et in sæculum sæculi.

℣. Antíoche benéfice, Patróne noster ínclyte, invícte Christi Pálmifer, ora pro nobis Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 14.

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Credo.

Offertorium. Psal. 96. Confundántur, qui adórant sculptília, et gloriántur in simulácris suis.

Secreta.

Suscipiat, Dómine, cleméntia tua de mánibus nostris munus oblátum; et per sancti Antíochi Mártyris tui oratiónem ab ómnibus nos emúnda peccátis. Per Dóminum nostrum.

Communio. Psal. 95. Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis, terríbilis est super omnes Deos. Quóniam omnes Dii géntium Dæmónia: Dóminus autem Cœlos fecit.

Postcommunio.

Deus ætérnæ consolatiónis Pater, per sancti Mártyris tui Antíochi preces, da pópulo tuo salútem, et pacem: ut tota dilectióne inhæreant præcéptis tuis; et quæ tibi plácita sunt, tota perficiant voluntáte. Per Dóminum.

DIE XX. NOVEMBRIS.

IN OCTAVA S. ANTIOCHI M.

Duplex.

Missa ut in die XIII. Novembris.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

TRANSLATIO SS. MM. CALARITANORUM

Duplex majus.

Missa, IntretOratio SS. Quatuor Coronatorum. 8. Novemb.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

IN FESTO B. AGNETIS VIRG.

Pro Cathedrali Sulcitana tantum.

Duplex.

Missa. Dilexísti, de comm. Virg.

Oratio.

Deus, qui beátam Agnétem multis virgínibus Evangélicæ perfectiónis exémplum, et ducem proposuísti: da quæsumus, ut Spíritus ille Seráphicus, quem sapiénter dócuit, et ópere confirmávit, purus in nobis júgiter persevéret. Per Dóminum nostrum Jesum Christum filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

IN FESTO BEATÆ MARGARITÆ DE SABAUD. VIDUÆ

Duplex.

Missa. Cognóvi, de com. nec Virg. nec Martyris.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti, concéde, ut ejus méritis, et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

INDEX

Imprimatur, concordat enim cum probatis editionibus.
Dat. Calari die 18 Decemb. 1880.
✠ JOANNES Archiepiscopus.

TAURINI 1881. — Typ. Pontif. et Archiep. Eq. PETRI MARIETTI.

MISSÆ PROPRIÆ

SANCTORUM

PRO CIVITATE ET DIŒCESI VENETIARUM.

FESTA DECEMBRIS.

DIE II.

S. ANIANI EPISC. ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Communi Confessoris Pontificis, præter Orat. seq.

Oratio.

Majestatem tuam, Dómine, supplíciter exorámus : ut, sicut hodiérna beáti Aniáni Confessóris tui atque Pontíficis festivitáte gaudémus; ita júgiter illíus apud te précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Et fit commem. Feriæ, si venerit in Adventu.

DIE IV.

S. BARBARÆ, VIRG. ET MART.

Missa, **Loquébar,** ut in Appendice Missalis.

Et fit commemoratio Feriæ.

DIE V.

S. BASSI, EPISC. ET MART.

Pro Ecclesia Cathedrali.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. j. loco.

Et fit commemoratio Feriæ.

EADEM DIE V.

S. PETRI CHRYSOLOGI,

EPISC., CONF. ET DOCT.

Extra Ecclesiam Cathedralem.

Missa propria ut in Missali.

Et fit com. Feriæ ac S. Bassi, Episcopi Martyris. Oratio. **Infirmitátem,** et S. Sabbæ, Abbatis, ut in Missali.

DIE VIII.

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

Missa Nova, præscripta a SS. D. Pio PP. IX. ex Decreto 25 Sept. 1863.

DIE IX.

S. BIBIANÆ, VIRG. MART.

Missa ut in Missali, sub die 2 hujus.

Fit com. Oct. et Feriæ ac S. Proculi, Episc. Conf. Oratio. **Exáudi.** Dicitur **Credo,** ratione Octavæ Concept.

DIE X.

IN FESTO TRANSLATIONIS

ALMÆ DOMUS LAURETANÆ B. M. V.

Missa, **Terríbilis,** ut in Appendice Missalis.

DIE XII.

S. PETRI CHRYSOLOGI,

EPISC., CONF. ET DOCT.

Pro Ecclesia Cathedrali.

Missa propria ut in Missali.

Et fit com. Octavæ et Feriæ.

EADEM DIE XII.

DE OCT. IMMAC. CONCEPT.

B. M. V.

Extra Ecclesiam Cathedralem.

Missa ut in Festo.

Et fit com. Feriæ. iij. Oratio de Spiritu Sancto.

DIE XIV.

S. SPIRIDIONIS, EPISC. ET CONF.

Missa, **Státuit**, de Comm. Conf. Pont. j. loco.

Et fit com. Octavæ et Feriæ.

In Q. T. Evang. Feriæ in fine.

DIE XV.

OCTAVA IMMAC. CONCEPT.

B. M. V.

Missa ut in ejus Festo.

Et fit commemoratio Feriæ.

In Q. T. Evang. Fer. in fine.

DIE XVII.

S. LAZARI RESUSCITATI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

Et fit com. Feriæ. iij. Oratio. **Deus, qui de beátæ Maríæ.**

In Q. T. Evang. Feriæ in fine.

DIE XVIII.

EXPECTATIONIS PARTUS

B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis.

In Q. T. Evang. Feriæ in fine.

DIE XIX.

S. SABBÆ, ABBATIS.

Pro Ecclesia Cathedrali.

Missa ut in Missali, sub die 5. hujus.

Et fit com. Feriæ. Dicitur Credo.

DIE XX.

B. JOANNIS MARINONII,

CONFESSORIS.

Missa, **Os justi**, de Communi Conf. non Pontificis, præter Orationem sequentem.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Confessórem tuum per assíduam passiónis tuæ contemplatiónem imitatórem tui exímium effecísti: ipsíus, quæsumus, intercessióne concéde; ut, ejúsdem vestígiis inhæréntes, passiónis tuæ fructum percípere valeámus. Qui vivis et regnas.

Et fit com. Feriæ et Vig. S. Thomæ. Apost.

Evang. Vigiliæ in fine. In Q. T. Evang. Feriæ in fine.

DIE XXVI.

S. STEPHANI, PROTOMARTYRIS

AC COMMEM. OMNIUM SS. MM.

Oratio.

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum commemoratiónem cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére.

Postea fit commem. Octavæ Nativitatis.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus, quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus.

FESTA JANUARII.

DOM. II. POST EPIPH.

FESTUM SS. NOMINIS JESU.

Missa ut in Missali.

De eo fit quamvis occurrat Dom. ij classis.

DIE VIII.

S. LAURENTII JUSTINIANI,

EPISC. ET CONF.

Introitus. *Psalm.* 131.

SACERDOTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exúltent; propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. Ps. Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus : ut beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis atque doctrínis. Per Dóminum.

Deinde fit commemor. Octavæ Epiphaniæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 8.

SAPIENTIAM amávi, et exquisívi eam a juventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus. Generositátem illíus gloríficat, contubérnium habens Dei, sed et ómnium Dóminus diléxit illam. Doctrix enim est disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus. Et si divítiæ appetúntur in vita, quid sapiéntia locuplétius, quæ operátur omnia? Si autem sensus operátur, quis horum, quæ sunt, magis quam illa est ártifex? Et si justítiam quis díligit, labóres hujus magnas habent virtútes : sobrietátem enim et prudéntiam docet, et justítiam et virtútem, quibus utílius nihil est in vita homínibus.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Osee 14. Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 11.

IN illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit : si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Dicitur Credo, per totam Octavam.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SANCTI Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Epiphania.

Communio. Lucæ 12. Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

QUOS cœlésti alimónia satiásti, quæsumus omnípotens Deus : ut ad imitatiónem beáti Lauréntii Confessóris tui atque Pontíficis, eos fácias próspera mundi despícere, et veram sapiéntiam, quam amávit, quærere et invenire. Per Dóminum.

In die Octava dicitur eadem Missa, excepta Præfatione, quæ dicitur de Communi, et dicitur Credo.

DIE XIV.

S. PETRI URSEOLI, CONF.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont.

Oratio.

DEUS, qui beátum Petrum ducem cœlésti regno terrénum postpó-

nere docuísti : da nobis, quæsumus, ejus intercessióne et exémplo, terréna despícere, atque ætérna sectári. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. S. Laurentii.

Evangelium, Ecce nos relíquimus, de Communi Abbatum.

DIE XV.

IN OCTAVA

S. LAURENTII JUSTINIANI.

Missa ut in ejus Festo. Et fit com. S. Mauri Abbatis.

DIE XIX.

S. TITI, EP. CRETENSIS ET CONF.

Introitus. *Psalm.* 131.

SACERDOTES tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exúltent : propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. Ps. Meménto, Dómine, David : et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Titum Confessórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti, ejus méritis et intercessióne concéde ; ut, juste et pie vivéntes in hoc sæculo, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Marii et Soc. Mart., ut in Missali, sub hac die ij. loco.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2. Cor. 8.

FRATRES : Grátias ago Deo, qui dedit eámdem solicitúdinem pro vobis in corde Titi, quóniam exhortatiónem quidem suscépit, sed cum sollicítior esset, sua voluntáte proféctus est ad vos. Mísimus étiam cum illo fratrem, cujus laus est in Evangélio per omnes Ecclésias : non solum autem, sed et ordinátus est ab Ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ in hanc grátiam, quæ ministrátur a nobis ad Dómini glóriam, et destinátam voluntátem nostram, devitántes hoc, ne quis nos vitúperet in hac plenitúdine, quæ ministrátur a nobis. Providémus enim bona non solum coram Deo, sed étiam coram homínibus. Mísimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probávimus in multis sæpe sollícitum esse : nunc autem multo sollicitiórem, confidéntia multa in vos, sive pro Tito, qui est sócius meus, et in vobis adjútor, sive fratres nostri, Apóstoli Ecclesiárum, glória Christi. Ostensiónem ergo, quæ est caritátis vestræ, et nostræ glóriæ pro vobis, in illos osténdite in fáciem Ecclesiárum.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári : et sancti ejus exultatióne exultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech, allelúia.

¶ Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur Tractus. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus : generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus : et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Evangelium, Designávit Dóminus, ut in Festo translat. S. Marci, Evang., infra.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SANCTI Titi Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Et fit commem. SS. Martyrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus,

invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta; ut, beáti Titi Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit commem. SS. Martyrum.

DIE XXIII.

DESPONSATIONIS B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis.

Et fit com. S. Joseph ac S. Emerentianæ, Virg. Mart.

DIE XXVIII.

S. CANUTI, REGIS.

Missa ut in Missali, sub die 19 hujus.

Et fit com. S. Agnetis secundo, ut in Missali, sub die 28 hujus. iij. Oratio, **Deus, qui salútis.**

Secreta. **Tua, Dómine,** ex alia Missa votiva a Purificatione usque ad Pascha.

DIE XXX.

S. GEMINIANI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Pro Ecclesia Cathedrali.

Missa, **Státuit,** de Communi Conf. Pont. præter Evang. seq.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 9.

In illo témpore : Videns Jesus turbas, misértus est eis, quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dixit discípulis suis ; Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Et convocátis duódecim discípulis suis, dedit illis potestátem spirítuum immundórum, ut ejícerent eos, et curárent omnem languórem et omnem infirmitátem.

EADEM DIE XXX.

S. MARTINÆ, VIRG. MART.

Extra Ecclesiam Cathedralem.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Et fit com. S. Geminiani, Episc., Conf. Oratio, **Da, quæsumus.** iij. Oratio, **Deus, qui salútis.**

DIE XXXI.

TRANSLAT. S. MARCI, EVANG.

Introitus. ***Psalm.* 138.**

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus : nimis confortátus est principátus eórum. Ps. **Dómine, probásti me, et cognovísti me : tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.** ℣. **Glória Patri.**

Oratio

Deus, qui gloriósa beáti Marci Evangelístæ membra nobis fámulis tuis reveláre dignátus es : concéde propítius ; ut qui, ejus córporis Translatiónem hódie venerándo recólimus, ipsíus beatitúdini, te concedénte, adjúngi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ. c. 1.

Similitudo vultus quátuor animálium : fácies hóminis et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor : fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum et pennæ eórum exténtæ désuper : duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum : et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat : ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur, cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat vísio discúrrens in médio animálium, splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur, in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Graduale. Ps. 44. Constítues eos príncipes super omnem terram : mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii : proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 130. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus : nimis confortátus est principátus eórum, allelúia.

¶ Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. seq., dicitur Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne portántes manípulos suos.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus et álios septuagínta duos : et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite : Pax huic dómui : et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra, sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis, et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei. Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

Beati Marci Evangelístæ tui solemnitáte, tibi múnera deferéntes, quæsumus Dómine : ut, sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum, ita nos ejus intercéssio, et verbo, et ópere tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Matth. 19. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israel.

Postcommunio.

Tribuant nobis, quæsumus Dómine, contínuum tua sancta præsídium, quo, beáti Marci Evangelístæ tui précibus, nos ab ómnibus semper tueámur advérsis. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII.

DIE I.

S. IGNATII, EPISC. MART.

Missa ut in Missali.

Et fit com. S. Severi, Episc. Ravennatis, Conf. Oratio. Da, quæsumus.

DIE III.

S. BLASII, EPISC. ET MART.

Missa ut in Appendice Missalis, sub hac die j. loco.

DIE VI.

S. JULIANI, MARTYRIS.

Missa, In virtúte, de Comm. unius Martyris non Pontificis, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Juliánum Mártyrem tuum, virtúte constántiæ in passióne roborásti : ex ejus nobis imitatióne tribue, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Evangelium. Nihil est opértum, ex Missa Lætábitur, de Comm. unius Mart. ij. loco.

Et fit com. S. Dorotheæ, Virg. Mart.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, in cujus nómine gloriósa Virgo et Martyr Doróthea multórum génera tormentórum superávit: te supplíciter exorámus; ut, ejus intervéntu, cuncta perícula vincámus, ipsámque in nostris necessitátibus célerem adjutrícem sentiámus. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ex Missa, Loquébar, de Comm. Virg. In Quadr. fit com. Fer. ante com. S. Dorotheæ.

DIE VII.

S. THEODORI DUCIS MIL. MART.

HERACLIENSIS IN PONTO, PATR. MIN. PRINCIP.

Missa, In virtúte, de Comm. Mart. non Pont.

In Quadr. fit com. Feriæ.

DIE IX.

S. PAULI I. EREMITÆ, CONF.

Missa propria ut in Missali, sub die 15. Januarii.

Et fit com. S. Apolloniæ, Virg. Mart. Orationes omnes ex Missa, Loquébar. In Quadr. fit com. Feriæ ante com. S. Apolloniæ.

DIE XI.

BB. SEPTEM FUNDATORUM

ORDINIS SERVORUM B. M. V.

Missa ut in Appendice Missalis.

Oratio de ij. loco.

In Quadragesima fit commem. Feriæ.

DIE XII.

S. JOANNIS ELEEMOSYNARII,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 111.

Dispersit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória. Ps. 40. Beátus, qui intélligit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum atque Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quæsumus; ut in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

In Quadr. fit com. Feriæ.

Léctio libri Tobíæ. c. 4.

Ex substántia tua fac eleemósynam, et noli avértere fáciem tuam ab ullo páupere: ita enim fiet, ut nec a te avertátur fácies Dómini. Quómodo potúeris, ita esto miséricors. Si multum tibi fúerit, abundánter tríbue: si exíguum tibi fúerit étiam exíguum libénter impertíri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurízas in die necessitátis. Quóniam eleemósyna ab omni peccáto, et a morte líberat, et non patiétur ánimam ire in ténebras. Fidúcia magna erit coram summo Deo eleemósyna ómnibus faciéntibus eam.

Graduale. Eccl. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæcula, allelúia.

Post septuag. omissis Allelúia. et ℣. seq. dicitur Tractus. Ps. 3. Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 6.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Estóte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est. Nolíte judicáre, et non judicabímini: nolíte condemnáre, et non condemnabímini. Dimíttite, et dimittémini. Date, et dábitur vobis: mensúram bonam et confértam et coagitátam et superef-

fluéntem dabunt in sinum vestrum. Eádem quippe mensúra, qua mensi fuéritis, remetiétur vobis.

Offertorium. Ps. 88. **Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.**

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent : ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 12. **Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.**

Postcommunio.

Præsta, quæsumus omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE XIII.

B. EUSTOCHII, VIRGINIS.

Missa, **Dilexísti**, de Communi Vírginum, præter Orationem seq.

Oratio.

Omnipotens ætérne Deus, qui beátam Eustóchium Vírginem tuam advérsus potestátes tenebrárum admirábili virtúte, et invícta patiéntia roborásti : ejus méritis et précibus concéde ; ut, ab omni diabólica nequítia liberáti, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit com. Feriæ.

Secreta.

Hujus, quæsumus Dómine, virtúte mystérii, per quam antíqui hostis vires contrivísti : intercedénte beáta Eustóchio Vírgine tua, cui de illo victóriam contulísti, cunctos a fámulis tuis diabólicos incúrsus repélle. Per Dóminum.

Postcommunio.

Confirmet nos, Dómine, qua pasti sumus, mensa cœléstis : ut, beátæ Eustóchii exémplis instrúcti, et præsídiis adjúti, cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum nostrum.

DIE XIV.

S. PETRI NOLASCO, CONF.

Missa ut in Missali, sub die 31 Jan.

Et fit com. S. Valentini, Presb. Mart., ut in Missali.

In Quadr. fit com. Fer. ante com. S. Valentini.

DIE XV.

S. ROMUALDI, ABBATIS.

Missa ut in Missali, sub die 7 hujus.

Et fit com. SS. Faustini et Jovitæ Mart. Oratio. **Deus, qui nos ánnua.** In Quadr. fit com. Feriæ ante com. SS. Martyrum.

DIE XVI.

S. FUSÆ, VIRG. MART.

Missa, **Me expectavérunt,** de Comm. Virg. Mart.

In Quadr. fit com. Feriæ.

DIE XVII.

SS. DONATI, SECUNDIANI, ROMULI

ET SOCIORUM MARTYRUM.

Missa, **Intret**, de Communi plurimorum Martyrum.

Oratio.

Deus, qui mirábilis es in Sanctis tuis : concéde propítius ; ut sanctórum Mártyrum tuórum Donáti, Secundiáni, Rómuli et Sociórum, quorum præsídio munímur, virtútem imitémur. Per Dóminum nostrum.

In Quadragesima fit com. Feriæ.

Epistola, **Respóndit unus de senióribus,** ut in Missali, die 22. Sept., in Festo SS. Mauritii et Soc. ij. loco.

Secreta.

Divino illo igne, quæsumus Dómine, cor nostrum árdeat, quo Spíritus Sanctus sanctórum Mártyrum Donáti, Secundiáni, Rómuli et Sociórum corda divínitus inflammávit. Per Dóminum... In unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Ad cœléstem mensam cleménter admíssi, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut, sanctis Martyribus tuis Donáto, Secundiáno, Rómulo et Sóciis intercedéntibus, ad vitæ ætérnæ gáudia perveníre mereámur. Per Dñum.

DIE XVIII.

S. FELICIS NOLANI, MARTYRIS.

Missa, **In virtúte**, de Communi unius Martyris, præter Orat. seq.

Oratio.

Concede, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus, quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. S. Simeonis, Mart. Oratio. **Infirmitátem.** Secreta et Postcommunio ex Missa **Sacerdótes Dei.** iij. Oratio. **A cunctis.** In Quadr. fit com. Fer. ante com. S. Simeonis.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beáti Felícis Mártyris tui dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut beáti Felícis Mártyris tui, cujus solémnia celebrámus, oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

DIE XIX.

INVENTIONIS S. EUTYCHII, PATR. CONST. C.

Missa, **Sacerdótes tui**, de Comm. Conf. Pont. ij. Oratio. **A cunctis.** iij. ad libitum. In Quadr. ij. Oratio Feriæ, iij. **A cunctis.**

DIE XX.

S. HILARII, EPISC., CONF. ET DOCT.

Missa, **In médio**, de Comm. Doct. In Quadr. fit com. Fer. Dicitur **Credo.**

DIE XXI.

S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali, sub die 23. Jan. ij. Oratio. **A cunctis.** iij. ad libitum. In Quadr. ij. Oratio Feriæ, iij. **A cunctis.**

DIE XXV. VEL XXVI.

S. MARGARITÆ DE CORTONA.

Extra Ecclesiam Cathedralem.

Introitus. ***Psalm.* 118.**

Cognovi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui. Ps. 118. **Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti: eádem nobis miseratióne concéde; ut, quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum nostrum.

In Quadragesima fit commem. Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cant. 3. et 8.

Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea; quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem: Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus lámpades ignis, atque flammá-

rum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Tractus. Veni, sponsa Christi : áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 13.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro, quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri, quæréntí bonas margarítas : invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti : quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi : exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis : ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia ? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis : proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta.

Placationis Hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem elargiátur. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio.

Uberes, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítiem nostri cordis emólliant ; ut per hujus virtútem sacraménti, débitas reátibus flammas incessánti fletu extinguámus. Per Dóminum.

DIE XXVI. VEL XXVII.

S. MARTINÆ, VIRG. MART.

Pro Ecclesia Cathedrali.

Missa ut in Missali, sub die 30. Januarii.

Secunda Oratio. A cunctis, iij. ad libitum. In Quadr. ij. Oratio Feriæ, iij. A cunctis.

FESTA MARTII.

PRIMA EX VI. FERIIS MARTII.

SS. QUINQUE VULNERUM D. N. J. C

Missa ut in Appendice Missalis. Hoc Festum transferri potest intra Quadrag. tantum.

SECUNDA EX VI. FERIIS MARTII.

SS. SPINEÆ CORONÆ D. N. J. C.

Missa ut in Appendice Missalis. Hoc Festum transferri potest intra Quadrag. tantum.

TERTIA EX VI. FERIIS MARTII.

PRET. SANGUINIS D. N. J. C.

Missa ut in Appendice Missalis. Hoc Festum transferri potest intra Quadrag. tantum.

DIE XVII.

S. PATRITII, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, sub hac die. Et fit com. S. Pauli Constantinop., Mart. Oratio. Præsta... ut qui. In Quadragesima fit com. Feriæ ante com. S. Pauli.

DIE XVIII.

S. GABRIELIS, ARCHANG.

Introitus. *Psalm.* 67.

PRÆVENERUNT príncipes conjúncti psalléntibus, in médio juvenculárum tympanistriárum. Psalm. Exúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus : et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui inter céteros Angelos, ad annuntiándum Incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti : concéde propítius; ut, qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cœlis. Qui vivis.

Postea fit commemoratio Feriæ occurrentis.

Léctio Daniélis Prophétæ. Dan. 9.

IN diébus illis : Factum est cum orárem, et confitérer peccáta mea, et peccáta pópuli mei Israel, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei pro monte sancto Dei mei : Adhuc me loquénte in oratióne, ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque : Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum, egréssus est sermo : Ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es : Tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consumméturprævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur sanctus sanctórum. Scito ergo, et animadvérte : Ab éxitu sermónis ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt, et rursum ædificábitur platéa et muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus : Et non erit ejus pópulus qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro : Et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio. Confirmábit autem pactum multis hebdómada una : Et in dimídio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium : Et erit in templo abominátio desolatiónis : et usque ad consummatiónem et finem perseverábit desolátio.

Graduale. Lucæ 1. Ingréssus Angelus Gábriel ad beátam Vírginem, salutávit eam : Ave, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus. ℣. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus : Ne tímeas, María : invenísti grátiam apud Dóminum.

Tractus. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum virgo invioláta permansísti.

Post Pascha, omissis Graduali et Tractu, dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu Sancto, allelúia. ℣. Ne tímeas, María : invenísti grátiam apud Dóminum, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

IN illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vír-

ginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei : Ne tímeas, María : invenísti enim grátiam apud Deum : Ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur : Et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum : Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei : Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua : Et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis : quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María : Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium. **Gábriel Angelus stans a dextris altáris incénsi, ipse pro nobis offerat oratiónem ad Dóminum : ut acceptábile sibi sit sacrifícium nostrum.**

Secreta.

Annue nobis, miséricors Deus; ut, intercedénte beáto Gabriéle Archángelo tuo, hóstias placatiónis et laudis sincéro tibi deferámus obséquio. Per Dóminum nostrum.

Communio. Lucæ 1. **Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens : Ave, grátia plena, Dóminus tecum : benedícta tu in muliéribus.**

Postcommunio.

Da nobis, quæsumus Dómine Deus noster; ut, intercedénte beáto Gabriéle Archángelo tuo, quæ tua sunt júgiter exequéntes, donis mereámur cœléstibus propinquáre. Per Dóminum.

DIE XIX.

S. JOSEPH, CONF. SPONSI B. M.V.

PATRON. PRINCIP.

Missa ut in Missali, sub hac die. In Quadrag. fit com. Feriæ.

DIE XXV.

ANNUNTIATIONIS B. M. V.

SUB HOC MYSTERIO PATR. PRINC. VENET.

Missa ut in Missali, sub hac die. In Quadragesima fit com. Feriæ. Occurrente hoc Festo in die impedita transfertur cum integr. Oct. in Fer. ij. post Dom. in Albis.

DIE XXVI.

SECUNDA DIE INFRA OCTAVAM

ANNUNTIATIONIS.

Infra Octavam Annuntiationis Missa discordat ab Officio quia principalis est Missa de Feria in qua ij. Oratio Oct.; iij. de Spiritu Sancto, sine **Glória** et sine **Credo.** Præf. Oct., **Benedicámus Dómino,** ac Evang. S. Joannis in fine. Non prohib. Missæ vot. et defunct. Si dic. Missa de B. M.V., legitur Missa de Festo sub die 25 hujus ritu vot. sine **Glória** et sine **Credo** cum ij. Orat. Feriæ; iij. de Spiritu Sancto. Præf. Octavæ **Benedicámus Dómino,** ac Evang. S. Joannis in fine. Sabbato dic. **Glória**, et **Ite missa est.**

DIE XXVII.

TERTIA DIE INFRA OCT. ANNUNT.

Missa ut in ejus Festo.

DIE XXVIII.

QUARTA DIE INFRA OCT. ANNUNT.

Missa ut in ejus Festo.

DIE XXIX.

QUINTA DIE INFRA OCT. ANNUNT.

Missa ut in ejus Festo.

Et fit com. S. Secundi Astensis. Mart., Oratio. **Præsta... ut qui.** In

Quadr. fit com. Feriæ ante com. S. Secundi.

DIE XXXI.

SEXTA DIE INFRA OCT. ANNUNT.

Missa ut in ejus Festo.

DIE XXXI.

SEPTIMA DIE INFRA OCTAVAM ANNUNTIATIONIS.

Missa ut in ejus Festo.

FESTA APRILIS.

DOMINICA II. POST PASCHA.

S. RAPHAELIS, ARCHANGELI.

Missa ut in Appendice Missalis, ritu Paschali.

DIE I.

OCTAVA ANNUNTIATIONIS B.M.V.

Missa ut in Missali, sub die 25 Martii.

In Quadragesima fit com. Feriæ.

DIE XVI.

TRANSLAT. S. ISIDORI, MART.

Missa extra temp. Paschale, **In virtúte,** de Comm. unius Mart. non Pont.

Oratio. **Præsta... ut qui,** sed mutatur **natalítia** in **translatiónem.**

In Quadragesima fit com. Feriæ.

Tempore Paschali, Missa, **Protexísti,** de Comm. unius Mart. non Pont.

DIE XIX.

S. LEONIS IX. PAPÆ ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Communi Conf. Pontificis, præter Orationes seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Leónem Pontíficem, Sanctórum tuórum méritis coæquásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus Dómine: ut, intercessióne beáti Leónis, hæc nobis prosit oblátio, quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Deus, qui ánimæ fámuli tui Leónis ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti: concéde propítius; ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum nostrum.

DIE XX.

TRANSLAT. S. COSMÆ EREMITÆ, CONFESSORIS.

Missa, **Justus,** de Comm. Conf. non Pont.

Dicitur Oratio pro gratiarum actione, ut in Missali, post Missam votivam SS. Trinitatis.

DIE XXIII.

S. GEORGII, MART.

Missa ut in Missali, sub hac die.

DIE XXV.

S. MARCI, EVANGELISTÆ, PATRON. PRINC. VENET.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Occurrente hoc Festo in die impedita transfertur cum integr. Oct. in Feriam ij. post Dom. in Albis.

DIE XXVII.

S. PEREGRINI LATIOSI, CONFESSORIS.

Missa, **Justus,** de Communi Confessoris non Pontificis, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui beáto Peregríno Angelum cómitem, magístram Deíparam, Jesum tetri úlceris médicum mire dedísti: da per mérita ipsíus, obsecrámus; ut sanctum Angelum, Vírginem, Salvatórem singuláriter et amémus in terris, et collaudémus in cœlis. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com. Oct. S. Marci, Evangelistæ, ut in Missali.

DIE XXVIII.

S. VITALIS, MARTYRIS.

Missa ut in Missali.

Et fit com. Oct. S. Marci, Ev., ut in Missali. Quando transfertur extra T. P. Missa, In virtúte, de Comm. unius Mart. non Pont.

FESTA MAJI.

FER. V. POST DOM. I. POST PENT.

SS. CORP. CHRISTI CUM OCT. PRIV.

Missa ut in Missali.

Infra hanc Oct. de duplicibus occurr. non fit offic. (ex speciali privilegio), nisi sint j. vel ij. classis; in die vero Oct. non fit nisi de dupl. j. classis.

DIE II.

OCTAVA S. MARCI, EVANGELISTÆ.

Missa ut in Missali, sub die 25 Apr.

DIE X.

S. ANTONINI, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Et fit com. SS. Gordiani et Epimachi, Martyrum, ut in Missali, sub hac die, nec non S. Cataldi, Episc. Conf. Oratio. Exáudi.

DIE XI.

S. ATHANASII, EP., CONF. ET DOCT.

Missa propria ut in Missali, sub die 2 hujus.

DIE XIII.

S. JEREMIÆ PROPHETÆ MART.

Introitus. *Psalm.* 118.

LOQUEBAR de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis, allelúia, allelúia. Ps. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus; ut, intercedénte beáto Jeremía Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum nostrum.

Secunda Oratio. Concéde; iij. Oratio, Ecclésiæ, vel pro Papa.

Léctio Jeremiæ Prophétæ. Jer. 1

IN diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et Prophétam in géntibus dedi te. Et dixit: A, a, a, Dómine Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer sum: quia ad ómnia quæ mittam te, ibis: et univérsa quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te hódie super gentes et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes: Dixit Dóminus omnípotens.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum, allelúia. ℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso, allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale. Jer. 1. Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te. ℣. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 23.

IN illo témpore: Dicébat Jesus Scribis et Pharisæis: Ecce ego mitto ad vos Prophétas, et Sapiéntes, et Scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitá-

te in civitátem, ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ filii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Jerúsalem, Jerúsalem, quæ occídis Prophétas, et lápidas eos, qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre fílios tuos,quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas,et noluísti! Ecce relinquétur vobis domus vestra desérta. Dico enim vobis non me vidébitis ámodo, donec dicátis: Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Offertorium. Ps. 20. Posuísti, Dómine,super caput ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúia.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Joan. 12. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit, allelúia.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Jeremía Mártyre tuo, sentiámus effféctum. Per Dóminum.

DIE XIV.

S. JOB PROPHETÆ, CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus, allelúia, allelúia. Ps. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Job Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio S. Bonifacii Mart.

Oratio.

Da quæsumus omnípotens Deus: ut, qui beáti Bonifácii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur.

Tertia Oratio de S. Maria, Concéde.

Léctio Epístolæ B. Jacóbi Apóstoli. Jac. 1.

Carissimi: Omne gáudium existimáte cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Tempore Paschali. Allelúia, allelúia. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, allelúia.

℣. Eccli. 45. Amávit eum Dóminus et ornávit eum : stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Extra tempus Paschale, Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem, allelúia, allelúia. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 19.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum : et misérunt legatiónem post illum, dicéntes : Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est ut redíret, accépto regno : et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens : Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi : Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário : tímui enim te, quia homo austérus es : tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei : De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi : et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam ? Et astántibus dixit : Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei : Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis ; quia omni habénti dábitur, et abundábit : ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Offertorium. Job 1. Vir erat in terra Hus, nómine Job, simplex, rectus, ac timens Deum : quem Satan pétiit, ut tentáret : et data est ei potéstas a Dómino in facultátes et in carnem ejus : perdidítque omnem substántiam ipsíus et fílios : carnem quoque ejus gravi úlcere vulnerávit, allelúia.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum : quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Pro S. Bonifacio Mart. Secreta.

Munéribus nostris, quæsumus Dómine, precibúsque suscéptis, et cœléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi.

Tertia Secreta. Tua, Dómine.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum, allelúia.

Postcommunio.

Refecti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus ; ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Pro S. Bonifacio Mart. Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus Dómine Deus noster ; ut, cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Bonifácio Mártyre tuo, sentiámus efféctum.

Tertia Postcommunio. Sumptis, Dómine.

DIE XVI.

S.JOAN.NEPOMUC.,PRESB.,MART.,

PATR. MIN. PRINCIP. CIVIT. ET TOTIUS CLERI VENET.

Missa ut in Append.Missalis,ij.loco.

DIE XIX.

S. PETRI COELESTINI, EPISC., CONFESSORIS.

Missa ut in Missali.

Et fit com. Octavæ S. Joannis Nepomuceni ante com. S. Pudentianæ, Virg., pro qua Oratio, **Exáudi**, ut in Missali, sub hac die; deinde fit com. S. Joannis, Ducis Alex., Mart. Oratio. **Præsta... ut qui.**

DIE XX.

S. BERNARDINI SENENS., CONF., PATRON. MIN. PRINCIP.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Et fit com. Octavæ S. Joannis Nepomuceni.

DIE XXI.

S. FELICIS A CANTALICIO, CONF.

Missa ut in Appendice Missalis.

Et fit com. Oct. S. Joannis Nepomuceni.

DIE XXII.

S. UBALDI, EPISC. ET CONF.

Missa ut in Missali,sub die 16 hujus.

Secunda Oratio com. Oct. S. Joannis Nepomuceni, iij. Oratio. **Concéde.**

DIE XXIII.

OCT. S. JOANNIS NEPOMUCENI.

Missa ut in ejus Festo, in Appendice Missalis, ij. loco.

DIE XXIV.

B. M. V. TIT. AUXILIUM CHRIST.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XXVI.

S. PHILIPPI NERII, CONF., PATRON. MIN. PRINCIP.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Et fit com. S. Eleutherii Papæ Mart. ut in Missali.

DIE XXVII.

S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRG.

Missa ut in Missali, et fit com. S. Joannis Papæ Mart.

DIE XXVIII.

S. SERVULI, MARTYRIS.

Missa extra temp. Pasch. **In virtúte**, de Comm. unius Mart. non Pont.

Secunda Oratio. A **cunctis**, tertia ad libitum.

Temp. Pasch. **Protexísti**, de Comm. unius Mart. non Pont. Oratio. **Præsta... ut qui.** Secunda Oratio. **Concéde**, tertia **Ecclésiæ**, vel pro Papa.

DIE XXXI.

SS. CANTIANI, CANTII, CANTIANILLÆ ET PROTI, MART.

Missa, **Salus autem**, de Communi, vel **Sancti tui**, pro diversitate temp., præter Orat seq.

Oratio.

PRÆSTA, quæsumus omnípotens Deus, ut pópulus tuus ad plenæ devotiónis affectum, beatórum Mártyrum Cantiáni et Sociórum ejus natalítiis præparétur; et, eórum patrocínio promerénte, beátæ cápiat securitátis augméntum. Per Dóminum.

Et fit com. S. Petronillæ, Virg. Oratio. **Exáudi**, ut in Missali.

FERIA VI. POST OCT. CORP. CHRISTI.

SS. CORDIS JESU.

Missa, **Egredímini**, ut in Appendice Missalis, ij. loco.

Ex priv. hoc Offic. transferri potest.

FESTA JUNII.

DOM. III. POST PENTECOSTEN.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Missa, **Omnis glória**, ut in Appendice Missalis, ij. loco.

Ex priv. hoc Offic. transferri potest.

DIE I.

B. JACOBI SALOMONII, CONF.

Missa, **Os justi**, de Comm. C. non P.

DIE II.

S. ANGELÆ MERICIÆ, VIRG.

Missa ut in Missali, die xxxj. Maji. Et fit com. SS. Marcellini, Petri atque Erasmi Mart. ut in Missali.

DIE VII.

SS. PAULI, EPISC., BARBARI, MILITIS ET CANDIDÆ, VIRG., MART.

Missa, **Salus autem,** de Comm. plur. Mart. iij. loco; vel **Sancti tui,** de eodem Comm. pro divers. temp., præt. Or. seq.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Pauli, Bárbari atque Cándidæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dñum.

Oratio ij. **A cunctis,** iij. ad libitum. vel pro temp. divers. Oratio ij. **Concéde,** iij. **Ecclésiæ** vel pro Papa.

Secreta.

Oblatis, quæsumus Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Paulo, Bárbaro, atque Cándida, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Paulo, Bárbaro atque Cándida, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dñum.

DIE XIII.

S. ANTONII PATAV., CONF.,

PATRON. MIN. PRINCIP.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XV.

SS. VITI ET SOC., MART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XVII.

B. PETRI DE PISIS, CONFESSORIS.

Missa, **Os justi,** de Communi Conf. non Pont, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da nobis beáti Petri, Confessóris tui, ita inhærére vestígiis, ut assequámur et præmia. Per Dóminum.

DIE XVIII.

B. GREGORII BARBADICI,

EPISCOPI ET CONFESSORIS.

Missa, **Státuit,** de Communi Conf. Pont., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui beátum Gregórium, Confessórem tuum, atque Pontíficem, pastorâli sollicitúdine, et páuperum miseratióne claréscere voluísti: concéde propítius; ut, cujus mérita celebrámus, caritátis imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Marci et Marcelliani, ut in Missali.

Secreta.

Oblata tibi, Dómine, sacri dona mystérii, beáti Gregórii méritis ac suffrágiis, accépta reddántur, et plenum operéntur in nobis divínæ virtútis effèctum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, sicut beáto Gregório, Confessóri tuo atque Pontífici, divíni Pastóris formam imitári tribuísti; ita nos, ejus imitatióne, dignos effícias, qui inter oves páscuæ tuæ perpétuo collocémur. Per Dóminum.

DIE XIX.

SS. GERVASII ET PROTASII

FRATRUM, MART.

Missa ut in Missali, hac die ij. loco.

DIE XX.

S. JULIANÆ DE FALCONERIIS,

VIRGINIS.

Missa ut in Missali, eadem die j. loco. Et fit com. S. Silverii Papæ Mart. Orat. **Infirmitátem,** ut in Missali.

DIE XXV.

APPARIT. S. MARCI, EVANG.

Missa ut in Translatione, die xxxj. Januarii, excepta Oratione sequenti.

Oratio.

Deus, qui nobis per ministérium beáti Marci, Evangelístæ tui, veritátem Evangélii patefíeri voluísti: concéde propítius; ut, quod ab illíus ore didícimus, grátia tua adjúti, operári valeámus. Per Dóminum.

Et fit commem. Octavæ S. Joannis Bapt. ut in Missali, die xxiv. hujus.

DIE XXVII.

S. GULIELMI, ABBATIS.

Missa ut in Missali, xxv. hujus. Et fit com. Oct. S. Joannis Baptistæ ut in Missali, die xxiv. hujus.

Si hoc Festum venerit in Sabbato tunc fiet com. Vig. SS. Apost. Petri et Pauli iij. loco ut in Missali sub die xxviij. hujus ij. loco; et in fine legitur Evang. Vig.

DIE XXIX.

SS. APOST. PETRI ET PAULI,

AC COMMEM. OMNIUM SS. APOSTOLORUM.

Missa dicitur sicut in Missali, cum commemoratione seq.

Oratio.

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Gloriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes, quæsumus: ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Perceptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus commemoratióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Si hoc Festum occurrerit in die Oct. Corp. Christi, tunc com. Oct. præcedere debet com. Omnium SS. Apost. S.R.C. mandavit 26 Maji 1846.

FESTA JULII.

DOMINICA I.

FESTUM PRETIOS. SANGUINIS

D. N. J. C.

Missa ut in Missali sub hoc mense.

DOMINICA III.

SOLEMNITATIS SS.

REDEMPTORIS.

Missa, **Gaudens gaudébo,** ut in Appendice Missalis.

Dicitur Oratio pro gratiarum actione ut in Missali, post Missam votivam SS. Trinitatis.

DOMINICA IV.

OCTAVA SS. REDEMPTORIS.

Missa ut in festo.

DIE III.

S. HELIODORI, EPISC. ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Communi Conf. Pontificis, præter Orationem seq.

Oratio.

Adesto, Dómine, précibus pópuli tui cum sancti Heliodóri, Confessóris atque Pontíficis, patrocínio supplicántis: ut, quod própria fidúcia non præsúmit, ejus suffragántibus méritis, consequátur. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. Oct. SS. Apost. ut in Missali, die xxix. Junii.

DIE IV.

S. MARTIALIS, EPISC. ET CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm. Conf. Pont., præter Orat. sequentem.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Martiálem Confessórem tuum atque Pontíficem, plebi tuæ sanctæ præésse voluísti: quæsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, pietátis tuæ grátiam largiáris. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. SS. Apost. ut in Missali, die xxix. Junii, iij. Oratio. **Concéde.**

DIE VII.

B. BENEDICTI XI, PAPÆ ET CONF.

Missa, **Státuit**, de Communi Conf. Pontificis, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Benedíctum, Pontíficem tuum, benedictiónis tuæ grátia sublevásti ad cœlum :pópulum tuum, quæsumus, nova benedictióne grátiæ tuæsanctífica, et a cunctis malis imminéntibus, ejus méritis et précibus, tua nos virtúte defénde. Per Dóminum.

Et fit com. Oct. SS. Apost. ut in Missali, xxix. Junii.

DIE X.

SS. SEPTEM FRATRUM ET SS. RUFINÆ AC SECUNDÆ, VIRG., MART.

Missa ut in Missali, hac die. Et fit com. S. Paterniani Episc. Conf. Oratio. **Da, quæsumus,** de Comm., tertia **A cunctis.**

DIE XII.

SS. HERMAGORÆ EPISC. ET FORTUNATI, DIACON., MART. (PROV. AQUILEI. SEU VENET. ANTIQ. PATRON.), PATRON. MIN. PRINCIP.

Missa, **Intret,** de Comm. plur. Mart., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Deus, qui nos hodiérna die beatórum Mártyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti multíplici facis celebritáte gaudére : tríbue, quæsumus, eórum nos semper piis defensiónibus muníri, et oratiónibus adjuvári. Per Dóminum.

Et fit com. SS. Naboris et Soc. Mart. ut in Missali, hac die.

Secreta.

Munera humilitátis nostræ, quæ pro sanctórum Mártyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti gloriósa passióne et solemnitáte offérimus, quæsumus Dómine, cleméntiam tuam, respícere dignáre : et ipsórum intercessióne, tam ad proféctum vitæ, quam ánimæ, salutária nobis consuéta miseratióne proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sumentes, Dómine, cœléstis dona mystérii, quæsumus : ut sanctórum tuórum Hermágoræ et Fortunáti adjuvémur méritis, quorum solemnitátem celebrámus. Per Dóminum.

DIE XVI.

IN FESTO B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE XVII.

TRANSLAT. S. MARINÆ, VIRG., PATR. MIN. PRINCIP.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg., præter Orationes sequentes.

Oratio.

Concede, quæsumus Dómine, ut, suffragántibus précibus beátæ Marínæ Vírginis, cujus Translatiónis memóriam cólimus, ab ómnibus liberémur angústiis. Per Dóminum.

Secreta.

Sacri nos, Dómine, múneris operátio mundet ac rénovet : et, interveniénte beáta Marína Vírgine tua,donis sóciet sempitérnis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacris cœléstibus, Dómine, vítia nostra purgéntur: ut, contra spirituáles nequítias pugnatúri, précibus beátæ Marínæ Vírginis tuæ, continéntiæ muniámur auxíliis. Per Dóminum.

DIE XX.

S. HIERONYMI ÆMILIANI, CONF.

Missa ut in Missali sub hac die. com. S. Margaritæ Virg. et Mart.

Oratio.

Deus, qui beátam Margarítam Vírginem, per martyrii palmam, tui regni fecísti consórtem : concéde nobis, quæsumus ; ut per ejus exémpla ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Oblationibus nostris, quæsumus Dómine, placáre suscéptis; et, intercedénte beáta Margaríta Vírgine et Mártyre tua, ad te nostras rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Postcommunio.

Tua nos, quæsumus Dómine, sancta puríficent: et, intercedénte beáta Margaríta Vírgine et Mártyre tua, operatióne sua tibi plácitos esse perficiant. Per Dóminum.

DIE XXI.

S. JOANNIS GUALBERTI, ABB.

Missa ut in Missali, sub die xij. hujus. Et fit com. S. Praxedis Virg. ut in Missali hac die.

Ultimo loco com. S. Danielis Prophetæ Conf. Oratio. **Deus qui nos,** de Comm.

DIE XXIV.

S. ALEXII, CONF.

Missa ut in Missali, die xvij. hujus. Et fit com. Vig. S. Jacobi Apost. et S. Christinæ Virg. Mart. ut in Missali. In fine legitur Evang. Vigiliæ.

DIE XXV.

S. JACOBI, APOSTOLI.

Missa ut in Missali, hac die.

Nihil hodie de S. Christophoro Mart.

DIE XXVII.

S. PANTALEONIS, MARTYRIS.

Missa, **Lætábitur,** de Communi unius Martyris, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem Mártyrem tuum vária torménta superáre fecísti, et pro persecutóribus exoráre: concéde propítius; ut, qui ejus implorámus auxílium, misericórdiæ tuæ sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Et fit com. S. Hermolai Presb. Mart. Oratio. **Præsta.... ut qui.**

DIE XXIX.

S. MARTHÆ, VIRGINIS.

Missa ut in Missali, hac die.

Et fit com. SS. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis Mart.

DIE XXX.

S. CHRISTOPHORI, MART.

Missa. **In virtúte,** de Comm. unius Mart. non Pont. Et fit com. SS. Abdon et Sennen Mart. ut in Missali, hac die, tertia Oratio. **A cunctis.**

FESTA AUGUSTI.

DIE III.

IN INVENTIONE S. STEPHANI, PROTOMART.

Missa ut in Missali, hac die.

DIE IX.

S. OSWALDI, REGIS, CONFESS.

Missa dicitur ut in festo B. Petri Acotanto, die xxvj. Augusti, **23.** præter Orationem sequentem.

Oratio.

Omnipotens, sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætitiam in beáti Oswáldi Confessóris tui solemnitáte consecrásti: da córdibus nostris tui amóris augméntum, ut, cujus pia mérita venerámur in terris, illíus in cœlo patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit com. Vig. S. Laurentii Mart. ac S. Romani Mart. ut in Missali.

In fine Evang. Vigiliæ.

DIE XI.

S. FAUSTINI SYRACUSANI, CONF.

Missa, **Justus,** de Comm. Conf. non Pont.

Et fit com. Oct. S. Laurentii et SS. Tiburtii et Susannæ Mart. ut in Missali.

DIE XIII.

S. CASSIANI, EPISC. ET MART.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sancti Cassiáni Mártyris, de cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 32. Exultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Cassiánum Pontíficem tuum martyrii coróna decorásti: concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, ejus patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit com. S. Laurentii ut in Missali.

Pro S. Hyppolyto Martyre.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus, ut beáti Hippólyti Mártyris tui veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum. cap. 17.

IN diébus illis: Cum cognovíssent in Thessalónica Judæi, quia et BerϾ prædicátum est a Paulo verbum Dei, venérunt et illuc, commovéntes et turbántes multitúdinem. Statímque tunc Paulum dimisérunt fratres, ut iret usque ad mare: Silas autem et Timótheus remansérunt ibi. Qui autem deducébant Paulum, perduxérunt eum usque ad Athénas, et, accépto mandáto ab eo ad Silam et Timótheum, ut quam celériter veníreut ad illum, profécti sunt. Paulus autem cum Athénis eos expectáret, incitabátur spíritus ejus in ipso, videns idololatríæ déditam civitátem. Disputábat ígitur in synagóga cum Judæis, et coléntibus, et in foro, per omnes dies ad eos qui áderant. Quidam autem Epicuréi, et Stóici philósophi disserébant cum eo, et quidam dicébant: Quid vult seminivérbius hic dícere? Alii vero: Novórum dæmoniórum vidétur annuntiátor esse: quia Jesum, et resurrectiónem annuntiábat eis.

Graduale. Ps. 36. Justus cum cecíderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúia, allelúia. ℣. Sanctus Póntifex Cassiánus, animárum salútem síttiens, ad fontem vivum, qui Christus est, omnes evocáre non desinébat, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israel, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

SACRIFICIA, Dómine, quæ in honórem sancti Cassiáni Mártyris tui atque Pontíficis tuæ offérimus majestáti; nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum.

Com. Oct. S. Laurentii.

Pro S. Hippolyto Martyre.

Secreta.

RESPICE, Dómine, múnera pópuli tui, sanctórum festivitáte votíva: et

tuæ testificátio veritátis nobis profíciat ad salútem. Per Dóminum nostrum.

Communio. Ps. 20. **Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.**

Postcommunio.

Deus, ómnium impertítor donórum, qui hunc diem beáti Cassiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, veneránda solemnitáte lætíficas: ejus, quæsumus, gloriósis précibus, fac nos de terrénis transférri ad consórtia beatórum. Per Dóminum.

Com. Oct. S. Laurentii.

Pro S. Hippolyto Martyre.

Postcommunio.

Sacramentorum tuórum, Dómine, commúnio sumpta nos salvet: et in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum nostrum.

Si hoc Festum venerit in Sabbato tunc fit com. Vig. Assumpt. ut in Missali sub die 14 hujus ante com. S. Hippolyti.

DIE XVI.

S. ROCHI, CONFESSORIS,

PATRON. MIN. PRINC.

Missa, **Justus,** de Communi Conf. non Pont., præter Orationem sequentem.

Oratio.

Populum tuum, quæsumus Dómine, contínua pietáte custódi: et, beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. Octavæ Assumpt., et S. Laurentii, ut in Missali.

Credo, ratione Octavæ Assumpt.

DIE XVIII.

S. HELENÆ, IMPERATRICIS,

VIDUÆ.

Missa, **Mihi autem absit,** ut in Appendice Missalis.

Et fit com. Oct. Assumpt. et S. Agapiti Mart., ut in Missali.

DIE XIX.

S. LUDOVICI EPISCOPI ET CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationes et Evang.

Oratio.

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum atque Pontíficem, cœléste regnum terréno præpónere docuísti, ac puritáte illibáta, et exímia in páuperes caritáte mirábilem efficere dignátus es: concéde nobis, fámulis tuis, imitári quem cólimus; ut, ejúsdem virtútes æmulántes in terris coronári cum ipso mereámur in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Et fit com. Octavæ Assumpt. Evang. **Vigiláte,** de Comm. Dicitur **Credo.**

Secreta.

Sacrificia, Dómine, quæ in honórem sancti Ludovíci, Confessóris tui atque Pontíficis, tuæ offérimus majestáti; nobis sint ad salútem efficácia, et tuæ plácita pietáti. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Immensam cleméntiam tuam, omnípotens Deus, supplíciter exorámus, ut, intercedénte beáto Ludovíco, Confessóre tuo atque Pontífice, per hæc sancta quæ súmpsimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV.

S. BARTHOLOMÆI, APOST.

Missa ut in Missali.

DIE XXVI.

B. PETRI ACOTANTO, CONF.,

PATRON. MIN. PRINCIP.

Missa, **Os justi,** de Communi Conf. non Pont., præter orationem seq.

Oratio.

Domine Jesu Christe, veræ caritátis exémplar, qui beátum Petrum, Confessórem tuum, terrénas divítias per manus páuperum in cœléstes thesáuros deportáre docuísti: da nobis fámulis tuis, ut, per ejus vestígia gradiéntes, ad promíssa misericórdibus

præmia pervenire valeámus. Qui vivis et regnas.

Et fit com. S. Zephyrini Papæ et Mart., ut in Missali.

Evang. **Nolíte timére** ex Missa **Justus,** de eodem Comm.

DIE XXIX.

IN DECOLLATIONE S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Missa ut in Missali.

Et fit com. S. Sabinæ Mart. Oratio, **Deus, qui inter cætera**; et S. Sabinæ Virg. Oratio, **Exáudi.**

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE I.

B. JULIANÆ DE COLLALTO, VIRG.

Missa, **Dilexísti**, de Communi Virginum, præter Orationem seq.

Oratio.

Deus, qui dispositióne mirábili beátam Juliánam, Vírginem tuam, a prima ætáte grátiæ ubertáte prævéntam, mira innocéntia, et contemplatiónis dono decoráre dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut, tibi in terris fide et caritáte conjúncti, ad contemplándam in cœlis spéciem tuæ pulchritúdinis perducámur. Per Dñum.

Et fit com. S. Ægidii Abb. Oratio. **Intercéssio,** ac SS. duodecim Fratrum Mart., ut in Missali sub hac die, ij. loco.

DIE II.

IN DEDICATIONE BASILICÆ S. PETRI DE CASTELLO, ANTIQ. SEDIS PATRIARCH.

Missa de Comm. Dedicat. Ecclesiæ.

Et fit com. S. Cosmæ Eremitæ Conf. Oratio. **Deus qui nos.**

DIE III.

SS. EUPHEMIÆ, DOROTHEÆ, THECLÆ ET ERASMÆ, VIRG. ET MART.

Introitus. ***Psalm.* 118.**

Me expectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. Ps. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, miséricors Deus, sanctis Virgínibus et Martyribus tuis Euphémia, Doróthea, Thecla et Erásma intercedéntibus, cœléstis grátiæ abundántiam: ut eárum pássio celebráta præséntis vitæ subsídium cónferat, et ætérnæ. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. cap. 7.

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 44. **Concupívit Rex decórem tuum: quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam.**

Allelúia, allelúia. ℣. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 19.

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum Pharisæi, tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Moyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cœlórum. Qui potest cápere, cápiat.

Offertorium. Ps. 44. Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi.

Secreta.

Intende, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Euphémiæ, Dorótheæ, Theclæ et Erásmæ festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Ps. 118. Feci judícium et justítiam, Dómine: non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martyribus tuis: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum.

DIE IV.

S. MOYSIS, PROPHETÆ, CONF.

Introitus. *Psalm.* 118.

Loquebar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. Ps. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣ Glória Patri.

Oratio.

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti Moysis, Confessóris tui, solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus, qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Secunda Oratio. A cunctis, tertia ad libitum.

Léctio libri Exodi. Cap. 24.

In diebus illis: Dixit Dóminus ad Moysen: Ascénde ad me in montem, et esto ibi: dabóque tibi tábulas lapídeas, et legem ac mandáta, quæ scripsi, ut dóceas fílios Israel. Surrexérunt Moyses et Jósue miníster ejus: ascendénsque Moyses in montem Dei, senióribus ait: Expectáte hic, donec revertámur ad vos. Habétis Aaron et Hur vobíscum: si quid natum fúerit quæstiónis, referétis ad eos. Cumque ascendísset Moyses, opéruit nubes montem, et habitávit glória Dómini super Sínai, tegens illum nube sex diébus: séptimo autem die vocávit eum de médio calíginis. Erat autem spécies glóriæ Dómini quasi ignis ardens super vérticem montis in con-

spéctu filiórum Israel. Ingressúsque Moyses médium nébulæ, ascéndit in montem : et fuit ibi quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus : et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum : in mandátis ejus cupit nimis, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 17.

In illo témpore : Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum, et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol, vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Moyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum : Dómine, bonum est nos hic esse : si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Moysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui : ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis : Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens : Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium. Exodi. 24. Sanctificávit Moyses altáre Dómino, ófferens super illud holocáusta, et ímmolans víctimas : fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israel.

Secreta.

Præsta nobis, quæsumus omnípotens Deus : ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Quæsumus omnípotens Deus : ut, qui cœléstia aliménta percépimus, intercédente beáto Moyse, Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE V.

S. HYACINTHI CONF.

Missa ut in Missali, sub die 16 Augusti.

DIE VI.

S. SAMUELIS, SAC. ET PROPH. CONFESSORIS.

Introitus. *Psalm.* 98.

Exaltate Dóminum Deum nostrum, et adoráte scabéllum pedum ejus, quóniam sanctum est : Moyses et Aaron in sacerdótibus ejus : et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen ejus. Ps. Dóminus regnávit, irascántur pópuli : qui sedet super Chérubim, moveátur terra. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Samuélem spíritu prophetíæ adimplére dignátus es : quíque eum in templo tuo tibi digne ministráre fecísti : concéde propítius ; ut, qui ejus hódie solémnia cólimus, ipsíus exémpla sequéntes, ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 46.

Dilectus a Dómino Deo suo Sámuel Prophéta Dómini, renovávit impérium, et unxit príncipes in gente sua. In lege Dómini congregatiónem judicávit, et vidit Deus Jacob, et in fide sua probátus est prophéta. Et cógnitus est in verbis suis fidélis, quia vidit

Deum lucis. Et invocávit Dóminum omnipoténtem in oppugnándo hostes circumstántes úndique, in oblatióne agni invioláti. Et intónuit de cœlo Dóminus, et in sónitu magno audítam fecit vocem suam, et contrívit príncipes Tyriórum, et omnes duces Philísthiim. Et ante tempus finis vitæ suæ et sæculi, testimónium præbuit in conspéctu Dómini, et Christi : pecúnias et usque ad calceaménta ab omni carne non accépit, et non accusávit illum homo. Et post hoc dormívit, et notum fecit regi, et osténdit illi finem vitæ suæ, et exaltávit vocem suam de terra in prophetía delére impietátem gentis.

Graduale. Lucæ 1. Locútus est per os sanctórum, qui a sæculo sunt prophetárum ejus. ℣. Benedíctus Dóminus Deus Israel, quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ, allelúia, allelúia. ℣. Te prophetárum venerábilis númerus laudat, Dómine, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam c. 19.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiámini, dum vénio. Cives autem ejus óderant eum : et misérunt legatiónem post illum, dicéntes : Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est ut redíret accépto regno : et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi : Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens : Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário : tímui enim te, quia homo austérus es : tollis quod non posuísti et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi : et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit : Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei, Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis : quia omni habénti dábitur et abundábit : ab eo autem, qui non habet, et quod habet auferétur ab eo.

Offertorium. 1. Reg. 3. Crevit autem Sámuel, et Dóminus erat cum eo, et non cécidit ex ómnibus verbis ejus in terram.

Secreta.

Deus, qui beátum Samuélem Prophétam, Sacerdótem fidélem et minístrum tuum elígere voluísti : súscipe hæc múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, et præsta; ut per hæc ab omni inquinaménto carnis et spíritus mundáti, digne tibi ministráre possímus. Per Dóminum.

Communio. 1. Reg. 7. Tulit autem Sámuel agnum lacténtem unum, et óbtulit illum holocáustum íntegrum Dómino : et clamávit Sámuel ad Dóminum pro Israel, et exaudívit eum Dóminus.

Postcommunio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui per beátum Samuélem Prophétam Sacerdótem tuum tibi sacrifícium offérri voluísti : concéde nobis múneris cœléstis efféctum, quod in ejus commemoratióne tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

DIE VII.

S. ANTONINI, MARTYRIS.

Missa, In virtúte, ut in Comm. unius Mart. non Pont, præter Orat. seq.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui hunc diem beáti Antoníni, Mártyris tui, solemnitáte clarificas: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quæ fidéliter éxpetit, eo suffragánte, cónsequi mereátur. Per Dóminum.

Secunda Or. Acunctis, tertia ad lib.

DIE IX.

S. STEPHANI, REGIS, CONF.

Missa ut in Missali, sub die 2 hujus.

Et fit com. Oct. Nativ. sub die 8 hujus et S. Gorgonii Mart. sub die 9 hujus ut in Missali.

DIE XI.

S. PULCHERIÆ IMPERAT., VIRG.

Missa ut in Appendice Missalis.

Et fit com. Oct. Nativ. sub die 8 hujus et SS. Proti et Hyacinthæ Mart. ut in Missali.

DIE XII.

DE V. DIE INFRA OCT. NATIV.

Missa ut in Missali, sub die 8 hujus.

Et fit com S. Niceti, Mart. Oratio. **Præsta... ut qui.** tertia Oratio de Spiritu sancto, **Deus,** qui corda.

DIE XIII.

DE VI. DIE INFRA OCT. NATIV.

Missa ut in Missali, sub die 8 hujus.

Et fit com. S. Venerii, Eremitæ Conf. Oratio. **Adésto.** tertia Oratio de Spiritu sancto, **Deus** qui corda.

DIE XV.

IN OCTAVA NATIV. B. M. V.

Missa ut in Missali, sub die 8 hujus.

Et fit com. S. Nicomedis Mart. ut in Missali, sub hac die et S. Nicetæ Gothi Mart. Orat. **Præsta.... ut intercedénte.**

DIE XVII.

IN FESTO

IMPRESSIONIS SS. STIGMATUM

IN CORPORE S. FRANCISCI ASSIS. CONF.

Missa ut in Missali sub hac die.

Et fit com. S. Tharasii Eremitæ Conf. Oratio. **Deus, qui nos.**

DIE XXII.

SS. MAURITII ET SOC., MART. THEBÆORUM.

Missa ut in Missali, sub hac die ij. loco.

DIE XXIII.

S. LINI, PAPÆ ET MART.

Missa ut in Missali, sub hac die.

Et fit com. S. Theclæ Virg. Mart. ut in Missali eadem die, et com. S. Constantii Conf.

Oratio.

Deus, qui beátum Constántium, Confessórem tuum, magnum foris in miráculis, et majórem intus in cordis humilitáte fecísti: divínis nos, quæsumus, intérius exteriúsque instrue disciplínis, ut, bonórum óperum lámpade ardénte, Christo Dómino læti occúrrere valeámus. Qui tecum vivit.

Secreta et Postcommunio ex Missa, Justus, de Comm. Conf. non Pont.

DIE XXV.

S. GERARDI SAGREDO,

EPISC. ET PROTOMART. VENET.

Missa, Státuit, de Comm. unius Mart. Pont.

DIE XXVI.

S. THOMÆ A VILLANOVA, EP., C.

Missa ut in Missali, sub die 22 hujus

Et fit com. SS. Cypriani et Justinæ Mart. ut in Missali, 26 hujus.

FESTA OCTOBRIS.

DOMINICA II.

MATERNITATIS B. MARIÆ VIRG.

Missa, **Salve, sancta Parens,** ut in Appendice Missalis.

Hoc Festum ex privilegio transferri potest.

DOMINICA III.

PURITATIS B. MARIÆ VIRG.

Missa, Salve, sancta Parens, ut in Appendice Missalis.

Hoc Festum ex privilegio transferri potest.

DIE II.

SS. ANGELORUM CUSTODUM.

Missa ut in Missali. Et fit com. S. Lizerii, Mart. Oratio. Præsta... utqui.

DIE IV.

S. FRANCISCI ASSIS. CONF.,

PATRON. MIN. PRINC.

Missa, ut in Missali.

DIE VI.

S. MAGNI, EPISC. ET CONF.,

PATRON. MIN. PRINC.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

DIE VII.

S. JUSTINÆ, VIRG. ET MART.

Missa, Loquébar, de Communi Virg. et Mart. præter Orat. seq.

Oratio.

DEUS, qui nos ánnua beátæ Justínæ, Vírginis et Mártyris, tuæ solemnitáte lætíficas: da, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Et fit com. S. Marci Pap. Conf. ac SS. Marcelli et Apuleii Mart. (Omissis Sociis in Oratione) ut in Missali, sub hac die.

DIE VIII.

IN DEDIC. BASILICÆ PATRON.

PRIMAT. METROP. S. MARCI, EVANG.

Missa de Comm. Dedic. Eccl.

DIE XI.

S. BRUNONIS, CONF.

Missa ut in Missali, sub die 6 hujus.

In Civitate fit com. Oct. Dedic.

DIE XII.

SS. SERGII ET BACCHI, MART.,

TIT. PRIMÆ VENET. CATH.

Missa, Salus autem, de Comm. plur. Martyrum, præter Orationes sequentes.

Oratio.

SANCTORUM Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii et Bacchi beáta mérita prosequántur, et tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per Dóminum.

In Civitate fit com. Oct. Dedic.

Secreta.

MAJESTATEM tuam nobis, Dómine, quæsumus, hæc Hóstia reddat immolánda placátam, tuórum digna postulatióne sanctórum. Per Dñum.

Postcommunio.

SACRAMENTIS, Dómine, muniámur accéptis; et, sanctórum Mártyrum tuórum Sérgii et Bacchi intercessióne, contra omnes nequítias irruéntes, armis cœléstibus protegámur. Per Dóminum.

DIE XV.

IN OCTAVA DEDIC. BASILICÆ

S. MARCI, EVANG.

In Civitate.

Missa ut in Festo.

S. THERESIÆ, VIRG.

In Diœcesi.

Missa ut in Missali.

DIE XVI.

S. GALLI, ABBATIS.

Missa, Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationes seq.

Oratio.

DA nobis, ætérnæ consolatiónis Pater, per mérita beáti Galli Abbátis, pacem et salútem mentis et córporis, ut, ejus exémplis júgiter inhæréntes, quæ tibi sunt plácita, tota perficiámus virtúte. Per Dóminum.

Secunda Oratio, A cunctis, tertia ad libitum.

Secreta.

HOSTIAS, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, sancti Galli Abbátis prosequátur orátio, per quam nos expiári tríbuas, et deféndi. Per Dóminum.

Postcommunio.

REPLETI, Dómine, benedictióne cœlésti: quæsumus cleméntiam tuam, ut, intercedénte beáto Gallo Abbáte, quæ humíliter gérimus, salúbriter sentiámus. Per Dóminum.

DIE XXI.

S. SIMEONIS, PROPHETÆ, CONF.

Introitus. *Psalm.* 36.

OS justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

OMNIPOTENS sempitérne Deus, qui Unigénitum tuum ulnis sancti Simeónis in templo sancto tuo suscipiéndum præsentásti: tuam súpplices deprecámur cleméntiam, ut, eo interveniénte, in templo sancto glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit com S. Hilarionis Abb. Oratio. Intercéssio, ac SS. Ursulæ et Soc. Virg. Mart. ut in Missali, eadem die j. loco.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

BEATUS vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia. ℣ Senex púerum portábat, puer autem senem regébat, allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

IN illo témpore: Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, expéctans consolatiónem Israel, et Spíritus sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in spíritu in templum. Et cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum: quod parásti ante fáciem ómnium populórum. Lumen ad revelatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israel. Et erat pater ejus et mater mirántes super his, quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israel: et in signum, cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

LAUDIS tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 2. Respónsum accépit Símeon a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Postcommunio.

REFECTI cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus:

ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

DIE XXII.

S. BIRGITTÆ VIDUÆ.

Missa ut in Missali, die 8 hujus.

DIE XXIII.

S. THERESIÆ VIRG.

In Civitate.

Missa ut in Missali; die 15 hujus.

DIE XXIV.

S MAXIMI, EPISC. ÆMONIENSIS, MART.

Missa, Státuit, de Comm. unius Mart. Pont.

Secunda Oratio. A cunctis. Tertia ad libitum.

DIE XXX.

IN COMMEM. SANCTORUM QUORUM CORPORA SEU RELIQUIÆ IN ECCLESIA ASSERVANTUR.

Missa ut in Appendice Missalis.

Si hoc festum venerit in Sabbato, tunc fit com. Vig. Omnium Sanctornm, ut in Missali, die 31 hujus, sed in fine legitur Evang. S. Joannis. In princípio erat.

FESTA NOVEMBRIS.

DOMINICA II.

PATROCINII B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

Hoc Festum ex privilegio transferri potest.

DIE V.

S. ZACHARIÆ PROPHETÆ ET CONF.

Introitus. *Psalm.* 36.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium : lex Dei ejus in corde ipsíus. Ps. Noli æmulári in malignántibus : neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Vigeat, quæsumus Dómine, semper in córdibus nostris divínæ tuæ præséntiæ memória, beáti Zachariæ sanctíssimi Præcursóris tui patris suffragántibus méritis; ut, te super ómnia diligéntes, ad promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, sine offensióne currámus. Qui vivis et regnas.

Et fit com. Oct. Omnium Sanctorum, ut in Missali, sub die j. hujus.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 31.

Beatus vir, qui invéntus est sine mácula : et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna : qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus : fácere mala, et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúia, allelúia. ℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiónem : quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, allelúia.

Inítium sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 1.

Fuit in diébus Heródis, regis Judææ, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía, et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis et justificatiónibus Dómini sine queréla : et non erat illis fílius, eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem cum sacerdótio fungerétur Zacharías in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetú-

dinem sacerdótii, sorte éxiit, ut incénsum póneret, ingréssus in templum Dómini : et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus : Ne tímeas, Zacharía, quóniam exaudíta est deprecátio tua : et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem : et erit gáudium tibi et exultátio, et multi in nativitáte ejus gaudébunt : erit enim magnus coram Dómino : et vinum et síceram non bibet, et Spíritu sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ : et multos filiórum Israel convértet ad Dóminum Deum ipsórum : et ipse præcédet ante illum in spíritu et virtúte Elíæ : ut convértat corda patrum in fílios, et incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam. Credo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum : quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum nostrum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio.

Refecti cibo potúque cœlésti, Deus noster, te súpplices exorámus : ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit.

DIE VI.

DE VI. DIE INFRA OCT. OMN. SS.

Missa ut in Missali, die j. hujus. Et fit com. S. Leonardi Conf.

Oratio.

Majestati tuæ, quæsumus Dómine, sancti Confessóris tui Leonárdi nos pia júgiter comméndet orátio : ut, quem débito venerámur obséquio, ipsíus suffrágio sublevémur optáto. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio ex Missa, Justus, de Communi Conf. non Pont.

Tertia Oratio de Spiritu sancto, Deus, qui corda.

DIE VII.

S. PROSDOCIMI, EPISC. ET CONF

Missa, Sacerdótes tui, de Communi Conf. Pontificis, præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Prosdócimi, Confessóris tui atque Pontíficis, ministério, ad agnitiónem tui sancti nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit com. Omnium SS. ut in Missali, die j. hujus.

Secreta.

Hostias, Dómine, láudis tuis altáribus adhibémus : quas ejus tibi patrocínio crédimus commendándas, cujus nos voluísti ad tuæ pietátis misericórdiam perveníre. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beati Prosdócimi, Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, précibus confidéntes, quæsumus cleméntiam tuam ; ut per ea, quæ súmpsimus, ætérna remédia capiámus. Per Dñum.

DIE IX.

S. THEODORI AMASENI MILITIS MART., PATRON. MIN. PRINC.

Missa, In virtúte, de Comm. unius Mart. non Pont. Orationes ut in Missali eadem die j. loco.

DIE X.

S. ANDREÆ AVELLINI, CONF.

Missa ut in Missali, eadem die

j. loco. Et fit com. SS. Triphonis et Soc. Mart. ut in Missali ij. loco.

DIE XIII.

S. STANISLAI KOSTKÆ, CONF.
Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XIV.

IN DEDICATIONE BASILICÆ
SS. SALVATORIS ROMÆ.
Missa ut in Comm. Dedic. Eccl.

DIE XVI.

S. DIDACI, CONF.
Missa ut in Missali, die 13 hujus. secunda Oratio. A cunctis, tertia ad libitum.

DIE XX.

S. FELICIS DE VALOIS,
CONFESSORIS.
Missa ut in Missali, eadem die.

Et fit com. S. Stephani Presb. Conf. Oratio. Deus, qui nos.

DIE XXI.

IN FESTO PRÆSENTATIONIS
B. M. V.
Missa ut in Missali, eadem die.

Dicitur Oratio pro gratiarum actione ut in Missali post Missam Votivam SS. Trinitatis.

DIE XXVI.

DE VI. DIE INFRA OCT. PRÆSENT.
Missa ut in Missali, die 21 hujus et fit com. S. Petri Alexandrini Mart. ut in Missali, tertia Oratio de Spiritu sancto, **Deus qui corda.**

DIE XXVII.

DE VII. DIE INFRA OCT.
PRÆSENT.
Missa ut in Missali die 21 hujus, secunda Oratio de Spiritu sancto, **Deus qui corda**, tertia, **Ecclésiæ** vel pro Papa.

DIE XXVIII.

IN OCTAVA PRÆSENTATIONIS
B. M. V.
Missa ut in Missali, die 21 hujus.

Tempore Adventus fit commem. Feriæ.

Si hoc festum venerit in Sabbato tunc fit com. Vig. S. Andreæ. Apost. ut in Missali, die 29 hujus, et in fine legitur Evang. Vigiliæ.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Post Orationem pro Papa.
Orémus.

Et pro Illustríssimo, et Reverendíssimo D. D. Patriárcha nostro N., ut Deus, et Dóminus noster, qui divína miseratióne Patriarchátus onus húmeris ejus impósuit, benignitátis suæ illi grátiam largiátur, ne, pónderis magnitúdine oppréssus, humánæ fragilitátis imbecillitáte defíciat.

Orémus. ℣. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabília tamen gloriósius operáris in mínimis : concéde fámulo tuo N. Patriárchæ nostro religiosíssimo sacris conveniénter servíre Mystériis, atque in ómnibus tua misericórdia prótegat, quem consciéntiæ suæ reátus accúsat. Per Dóminum.

PRO IMPERIO AUSTRIACO.

I. In Missæ Canone nomen Imperatoris adjicietur, hac adhibita formula : **Et pro Imperatóre Rege nostro** N., quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diocœsani.

II. In Singulis per annum Missis vel Solemnibus, vel Parochialibus, diebus tamen quibus per Rubricas licebit sequens addetur pro Imperatore collecta :

Oratio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut fámulus tuus N. Imperátor Rex noster, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta : quibus decénter ornátus, vitiórum monstra devitáre, hostes superáre, et ad te, qui via, véritas et vita es, gratiósus váleat perveníre. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Secreta.

Múnera, Dómine, quæsumus, obláta sanctífica, ut et nobis Unigéniti tui corpus et sanguis fiant ; et Imperatóri Regi nostro ad obtinéndam ánimæ corporísque salútem, et peragéndum injúnctum offícium, te largiénte, usquequáque profíciant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N., Imperatórem Regem nostrum ab ómnibus tueátur advérsis, quátenus et Ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem, et post hujus témporis decúrsum ad ætérnam pervéniat hæreditátem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum : qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus : per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

III. In Liturgia Præsanctificatorum Feria vj. in Parasceve, inter Orationem pro cunctis Ecclesiæ Ordinibus et aliam pro Cathechumenis hæc pro Imperatore dicetur :

Orémus.

Et pro gloriosíssimo Imperatóre Rege Nostro N. **ut Deus et Dóminus** noster det illi **sédium suárum assistrícem sapiéntiam, qua pópulum sibi commíssum gúbernet in omni justítia et sanctitáte ad divínam glóriam et nostram perpétuam pacem.**

Orémus. ℣. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Omnipotens sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris, réspice ad Austríacum benígnus Impérium, ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis et Regni tranquillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum.

IV. Præconium Paschale Sabbato sancto sic concludatur :

Precamur ergo te, Dómine, ut nos fámulos tuos omnémque Clerum et devotíssimum pópulum una cum beatíssimo Papa nostro N., et Antístite nostro N., nec non gloriosíssimo Imperatóre Rege nostro N., quiéte témporum concéssa, in his Paschálibus gáudiis assídua protectióne régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

EX VARIIS S. R. C. DECRETIS.

Collecta si quæ sit imperata non dicitur:

In Duplici j. Classis.

In Duplici ij. Classis in missa privata dici vel omitti potest ad libitum celebrantis, sed in solemni omittenda.

In Vigilia Nativitatis Domini quamvis occurrat ipsa Dominica iv. Adventus.

In Feria iv. Cinerum.

In Dominica Palmarum et sequentibus Feriis majoris Hebdomadæ.

In Vigilia Pentecostes.

JOSEPHUS ALOYSIUS TREVISANATO,

S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS,

S. C. R. A. MAJESTATIS A CONSILIIS INTIMIS,

I. R. ORDINIS AUSTRIACI CORONÆ FERREÆ I. CLASSIS EQUES, ET PRÆLATUS, A SUPREMIS DIGNITATIBUS CORONÆ REGNI LONGOBARDI-VENETI CAPELLANUS, MISERATIONE DIVINA

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ VENETIARUM PATRIARCHA, DALMATIÆQUE PRIMAS, ABBAS COMMENDATARIUS PERPETUUS S. CYPRIANI DE MURIANO, ETC. ETC. ETC.

Universis et singulis præsentes nostras inspecturis fidem facimus et testamur Missas Sanctorum hic adnotatas, quæ in adjunctis Appendicibus excusæ extant, exceptis iis, quæ appositis signis expunctæ conspiciuntur, jam a S. Apostolica Sede pro Venetiarum Diœcesis adprobatas fuisse; necnon declaramus in Missali præter alia S. R. C. Decreta hic pariter adnotata, alia addenda esse, quæ ex ejusdem S. R.C. Decreto pro Imperio Austriaco statuta sunt.

In quorum, etc.

Datum Venetiis ex curia Patriarchali, die 12 Februarii 1864.

† JOSEPHUS ALOYSIUS CARD. PATRIARCHA.

(L. S.)

J. Bapta Can^cus Ghega Cancell^us Patli.

Hæc omnia, quum omnino cum supra memoratis Originalibus concordent, imprimi possunt.

Mechliniæ die 22 Junii 1866.

ENGELBERTUS, CARD. ARCH. MECHL.

Mechliniæ, H. Dessain. — mdccclxvi.

DIE XXV. APRILIS.

IN FESTO

SANCTI MARCI EVANGELISTÆ,

PATRONI PRINCIPALIS VENETIARUM.

Introitus. *Psalm.* 63.

PROTEXISTI me, Deus, a convéntu malignántium, allelúia: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúia, allelúia. Ps. Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui beátum Marcum Evangelístam tuum evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: tríbue, quæsumus; ejus nos semper et eruditióne profícere, et oratióne deféndi. Per Dóminum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ. c. 1.

SIMILITUDO vultus quátuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor, fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat vísio discúrrens in médio animálium, splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúia. ℣. Ps. 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. c. 16.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium. Ps. 88. Confitebúntur

cœli mirabília tua , Dómine : et veritátem tuam in Ecclésia sanctórum, allelúia, allelúia.

Secreta.

Beati Marci Evangelístæ tui solemnitáte, tibi múnera deferéntes , quæsumus Dómine : ut, sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum, ita nos ejus intercéssio et verbo, et ópere, tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Ps. 63. **Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo : et laudabûntur omnes recti corde, allelúia, allelúia.**

Postcommunio.

Tribuant nobis, quæsumus Dómine, contínuum tua sancta præsídium: quo beáti Marci Evangelístæ tui précibus, nos ab ómnibus semper tueántur advérsis. Per Dóminum.

Mechliniæ, H. Dessain.— mdccclxxii.

MISSÆ PROPRIÆ

PRO CIVITATE ET DIOECESI

BREDANA

A S. SEDE APPROBATÆ ET CONFORMITER

AD EDICTUM ORDINARII ANNO 1874 PRÆSCRIPTÆ.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE XXVII.

S. ACHARII EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont., præter Evang. Qui vos audit, quod die xv. Junii pro SS. Vito et soc.

EADEM DIE XXVII.

S. ODÆ VIRG.

Missa, Dilexísti, de Comm. Virg. non Mart., præter Orationem.

DA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui beátæ Odæ Vírginis tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS.

DIE I.

S. ELIGII EPISC. CONF.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sancti Elígii, de cujus triúmphis apostólicis gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Ps. 133. **Confitémini Dómino, quóniam bonus : quóniam in ætérnum misericórdia ejus.** ℣. **Glória Patri. Gaudeámus.**

In votivis Introitus, Sacerdótes, de Communi Conf. Pont. ex eadem Missa sumatur post Septuagesimam Tractus, nec non tempore Paschali versus post Epistolam.

Oratio.

INDULGENTIAM nobis, Dómine, quæsumus, sancti Elígii, Confessóris tui atque Pontíficis, póstulet tibi grata precátio ; ut intercéssio illíus et tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostram tibi devótam effícere servitútem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 4.

FRATRES : Obsecro vos in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in charitáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus, et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Et ipse dedit quosdam quidem Apóstolos, quosdam autem Prophétas, álios vero Evangelístas, álios autem Pastóres et Doctóres, ad consummatiónem Sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem Córporis Christi : donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in mensúram ætátis plenitúdinis

Christi : ut jam non simus párvuli fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in charitáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus.

Graduale. Ps. 74. Liquefácta est terra, et confirmátæ sunt colúmnæ ejus : exaltabúntur córnua justi. ℣. Ps. 32. Beáta gens, cujus est Dóminus Deus ejus : pópulus, quem elégit in hæreditátem sibi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 27. Bénedic, Dómine, hæreditáti tuæ ; et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum. Allelúia.

Evang., Vigiláte, et Offertorium, Véritas, ex memorata Missa, Sacerdótes.

Secreta.

Tua tibi múnera in veneránda sancti Pontíficis tui Elígii memória offeréntes, implorámus, Dómine, contínuæ tuæ protectiónis auxílium : ut in vita tibi digne famulári, et in morte de spe retributiónis ætérnæ exhilarári mereámur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 88. Semel jurávi in sancto meo : semen ejus in ætérnum manébit : et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et testis in cœlo fidélis.

Postcommunio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui ad solvéndam géntium captivitátem sanctum Elígium Pontíficem misericórditer deputásti : concéde, ut ejus salutári præsídio sic mereámur contra hostes quosque efficacíssime deféndi, ut in éxitu nostro, omni liberáti formídine, excélsæ tuæ Majestáti secúre præsentári valeámus. Per Dóminum.

DIE IV.

S. BARBARÆ VIRG. MART.

Missa, Loquébar, de Communi Virg. Mart., præter Orationes.

Oratio.

Intercessio, quæsumus Dómine, beátæ Bárbaræ, Vírginis et Mártyris tuæ, ab omni nos adversitáte prótegat : ut per ejus interventum gloriosíssimum sacrosáncti Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi Sacraméntum ante diem éxitus nostri per veram pœniténtiam et puram confessiónem percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Hostia immaculáta, qua illud Dómini nostri Jesu Christi imménsæ charitátis opus renovámus, sancta Bárbara intercedénte, sit contra omnes córporis et ánimæ infirmitátes salutáre remédium, et in extrémo agóne solátium et tútéla. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

Per hæc cœléstia aliménta, quæ salutárem beátæ Vírginis et Mártyris Bárbaræ memóriam celebrántes, pia devotióne suscépimus, da, quæsumus, Dómine : ut in hora mortis nostræ Sacraméntis reflécti, et culpis ómnibus expiáti, in sinum misericórdiæ tuæ læti súscipi mereámur. Per Dóminum.

DIE X.

SS. LANDOALDI ET SOC. CONF.

Introitus, Epistola et Evangelium ex Missa, Justus ut palma, de Communi Conf. non Pont.

Oratio.

Adesto, Dómine, pópulo tuo, cum sanctórum tuórum Landoáldi et Sociórum ejus patrocínio supplicánti : ut quod própria fidúcia non præsúmit, suffragántium méritis consequátur. Per Dóminum.

Graduale. Exodi 15. Gloriósus Deus in Sanctis suis : mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte, déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Confi-

tebúntur cœli mirabília tua, Dómine : étenim veritátem tuam in ecclésia Sanctórum. Allelúia.

In Votivis post Septuag., omissis **Allelúia** et versu, dicitur Tractus. Ps. 125. **Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exultatióne, portántes manípulos suos.**

Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur : **Allelúia, allelúia.** ℣. Ps. 91. **Justus ut palma florébit : sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia.** ℣. Oseæ 4. **Justus germinábit sicut lílium : et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.**

Offertorium. Ps. 111. **Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.**

Secreta.

Divina libántes mystéria, quæ pro sanctórum Landoáldi et Sociórum ejus veneratióne tuæ, miséricors Deus, offérimus Majestáti, concéde : ut per ea véniam mereámur peccatórum, et cœléstibus donis digne reficiámur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 30. **Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te.**

Postcommunio.

Deus, cujus ineffábili Providéntia beátus Landoáldus et ejus Sócii investigábiles regni tui manifestavérunt divítias: eórum intercessióne da nobis, ut in omni ópere bono fructificántes, secúndum legem tuam coram te ambuláre valeámus. Per Dóminum.

DIE XVII.

S. BEGGÆ VIDUÆ.

Missa, **Cognóvi**, de Comm. nec Virg. nec Mart., cum Epistola, **Víduas**, quæ post illam Missam, et Orat. propriis, ut infra.

Oratio.

Deus, qui nos sanctæ Beggæ ánnua solemnitáte lætíficas, concéde propítius : ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

In votivis vero Oratio.

Interveniat, quæsumus, Dómine, pro nobis apud tuam cleméntiam sancta Begga : ut illíus intercessióne tibi digne famulári, et in tuo amóre consúmi mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Sacrificium, quod tibi, Dómine, immolámus, intercedénte beáta Begga, reddátur accéptum : ut cujus solémnia celebrámus in terris, ejus contínuum e cœlis experiámur auxílium. Per Dóminum.

In Votivis pro **solémnia celebrámus** dicitur **memóriam recólimus.**

Postcommunio.

Spiritum nobis, Dómine, tuæ charitátis infúnde : et quos vivíficis reficere dignátus es Sacraméntis, intercessióne beátæ Beggæ, assídua protectióne custódi. Per Dóminum.

¶ In Begginagio in Festo S. Beggæ, non autem alibi, neque in Votivis, dicitur sequens Introitus, uti et Credo.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre sanctæ Beggæ, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Psalm. 44. **Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.**

¶Die xviij **Expectat. Partus B. M. V.**, sicut in Appendice Missalis. Die xxvj pro **Commem. Omnium SS. Mártyrum** Orat. **Deus qui nos ánnua**, sicut ibidem primo loco.

FESTA JANUARII.

DIE XIX.

S. PHARAILDIS VIRG.

Missa, **Dilexísti**, de Comm. Virg. non Mart.

¶ Duabus Feriis tertiis post Septuagesimam et quinque Feriis sextis Quadragesimæ, **Festa de Passióne D. N. J. C.**, eo ordine quo in Appendice Missalis. Die xxiij Jan. **Desponsat. B. M. V.** cum **Commem.** Sponsi **S. Joseph,** sicut ibidem: ibi pro S. Joseph Orationes sunt ex Festo xix Martii, in Secreta pro **festivitátem** dicendo **commemoratiónem.**

FESTA FEBRUARII.

DIE III.

S. BLASII EPISC. MART.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm. unius Mart. Pont., in votivis tempore Paschali Missa **Protexísti;** præter Orationes, Epistolam et Evang., quæ sicut in Appendice Missalis in nov. edit.; Orat. sunt ut infra, Epist. ut in Missali die x Martii, et Evang. ut ibidem die ij. Maji.

Oratio.

Deus qui beátum Blásium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, in suis perferéndis supplíciis, et in aliórum depelléndis infirmitátibus admirábilem effecísti: concéde propítius; ut illíus et in fide constántiam imitémur, et in perículis patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta.

Hostias tibi, Dómine, beáti Blásii, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio.

Percepta nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium, et præsta: ut beáti Blásii, Mártyris tui atque Pontíficis, méritis et intercessióne nulla nobis nóceat advérsitas, et nulla dominétur iníquitas. Per Dóminum.

EADEM DIE III.

S. HADELINI CONF.

Missa, **Os justi,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem, ut infra, et Evangelium, **Ecce nos relíquimus,** de Comm. Abbatum.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, tuórum remunerátor servórum, qui pópulo tuo beátum Hadelínum ætérnæ salútis minístrum præstáre voluísti: concéde, quæsumus, ut ejus adjuvémur méritis, cujus lætámur virtútibus et exémplis. Per Dóminum.

DIE VI.

S. AMANDI EPISC. CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm. Conf. Pont., præter Orationem ut infra, atque Epistolam, **Corde enim,** et Evangelium, **Eúntes in mundum,** quæ ut in Missali die iij. Decembris.

Oratio.

Deus, qui beátum Amándum Pontíficem verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum plúrimas gentes Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius; ut quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercére valeámus. Per Dóminum.

DIE XI.

S. GUDULÆ VIRG.

Missa, **Dilexísti,** de Comm. Virg. non Mart.

DIE XIII.

S. POPPONIS ABB.

Missa, **Os justi,** de Comm. Abbatum.

DIE XIV.

S. VEDASTI EPISC. CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm. Conf. Pont. præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui pópulum tuum apostólicis beáti Vedásti, Confessóris tui atque Pontíficis, curis ad ætérnæ vitæ sémitas vocáre dignátus es: concéde propítius; ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In votivis pro **solémnia** dicitur **memóriam.**

DIE XVI.

B. GREGORII X. PAPÆ CONF.

Missa, **Státuit,** de Communi Conf. Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii, Confessóris tui atque Pontíficis, religiónis zelo et apostólicis curis amplificásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut fídei et sanctitátis nova semper increménta suscípiat. Per Dóminum.

DIE XX.

S. ELEUTHERII EPISC. CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Communi Conf. Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui ad ovíle tuum amplificándum et contra erraticórum rábiem protegéndum Confessórem tuum atque Pontíficem Eleuthérium míttere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde: ut quæ dócuit sincére profiteámur, et quæ egit fidéliter exequámur. Per Dóminum.

DIE XXI.

S. ABLEBERTI EPISC. CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont., præter Epist. quæ **Est quæstus,** sicut in Festo S. Alexii, die xvij. Julii.

EADEM DIE XXI.

B. PIPINI LANDENSIS CONF.

Missa, **Justus ut palma,** de Communi Conf. non Pont., præter Epistolam quæ **Beátus vir,** ex Missa, **Os justi,** de eodem Communi.

QUINTO KALENDAS MARTII.

S. MARGARITÆ DE CORTONA.

Missa, **Cognóvi,** de Comm. nec Virg. nec Mart., præter Orat. ut infra, et Epist. quæ ut in Missali die xxij. Julii.

Oratio.

Deus, qui fámulam tuam Margarítam de perditiónis via ad salútis trámitem misericórditer deduxísti: eádem nobis miseratióne concéde; ut quam prius errántem sectári non erubúimus, mox pœniténtem ímpigre sequi gloriémur. Per Dóminum.

Secreta.

Placationis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, beátæ Margarítæ interveniénte suffrágio, optátæ nobis indulgéntiæ plenitúdinem elargiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Uberes, Dómine, sanctæ tuæ Margarítæ lácrymæ durítiem nostri cordis emólliant: ut per hujus virtútem sacraménti débitas reátibus flammas incessánti fletu extinguámus. Per Dóminum.

FESTA MARTII.

DIE I.

S. SWITBERTI EPISC. CONF.

Missa, **Sacerdótes,** de Comm. Conf. Pont., præter Evang., **Homo péregre,** ex Missa, **Státuit,** de eodem Comm.

DIE XVII.

S. GERTRUDIS VIRG.

Missa, **Vultum tuum,** de Communi Virg. non Mart., præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui beátam Gertrúdem Vírginem, in lætítia tibi deserviéntem, ad cœléstium amórem et virtútis ápicem traxísti: da, quæsumus, ut ejus exémplis et patrocínio vias mandatórum tuórum gradiéntes in terris, torrénte voluptátis tuæ potári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Da nobis, quæsumus, Dómine, ut beátæ Gertrúdis, Vírginis tuæ, exémplo in simplicitáte cordis nostri tibi sacra múnera offeréntes, ætérna cum ipsa gáudia lætántes assequámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Satiasti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus,

semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

¶Die xviij S. Gabriélis Archángeli, Missa, Benedícite, sicut in Appendice Missalis.

DIE XX.

S. WULFRANNI EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

DIE XXVI.

S. LUDGERI EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont., præter Evang., Homo péregre, ex Missa, Státuit, de eodem Comm.

FESTA APRILIS.

DIE V.

S. JULIANÆ VIRG.

Missa, Dilexísti, de Comm. Virg. non Mart., præter Orationem.

Oratio.

DEUS, humílium celsitúdo, qui beátam Vírginem Juliánam ad promovéndum sanctíssimi Sacraménti cultum mirabíliter inflammásti: tríbue quæsumus, ita nos humilitátis ejus vestígia sectári in terris, ut cum ipsa sublimári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

DIE XVIII.

S. URSMARI EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem et Postcommunionem.

Oratio.

DEUS, qui beáti Ursmári Pontíficis gloriósa mérita virtútibus et miráculis insígniter declarásti: da nobis, ejus patrocínio, salútem mentis et córporis: ut ipsíus exémpla devóte sequéntes, a malis ómnibus liberáti, ad te perveníre mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, spirituálibus aliméntis, cleméntiam tuam exorámus: ut interveniénte beáto Ursmáro, Confessóre tuo atque Pontífice, peccatórum nostrórum vínculis absolútos ad regna cœléstia perdúcas. Per Dóminum.

DIE XXIV.

S. EGBERTI CONF.

Missa, Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem et Evangelium.

Oratio.

DEUS, cujus spíritu beátus Egbértus, salútem géntium sítiens, vários fídei præcónes in opus Evangélicum destinávit: dírige, quæsumus, ejus intercedéntibus méritis, ad te tuórum corda servórum: ut spíritus fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dñum.

Evangelium, Designávit, sicut in Festo S. Lucæ Evangelistæ, die xviij. Octobris.

DIE XXVII.

B. PETRI CANISII CONF.

Missa, Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationes.

Oratio.

DEUS, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum, Confessórem tuum, virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius, ut ejus exémplis et mónitis errántium corda ad salútem resipíscant, et fidélium mentes in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum.

Secreta.

SANCTIFICA, misericors Deus, hæc múnera, et præsta: ut sicut Unigénitus tuus holocáustum pro nobis fieri dignátus est, ita beáti Petri Confessóris exémplo, nos júgiter exhibeámus tibi hóstiam laudis. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

SACRIFICIUM, Dómine, quod in honórem beáti Petri Confessóris obtúlimus, fidem nostram, spem et charitátem adáugeat, atque Ecclésiam tuam

nova semper prole lætíficet. Per Dóminum.

DIE XXVIII.

TRANSLAT. S. LAMBERTI
EPISC. MART.

Missa, **Protexísti,** de Comm. unius Mart. Temp. Paschali, præter Orationes ut infra, et Epistolam, **Post hæc,** ut in Missali die xxij. hujus. Si quando ultra Pentecosten transferatur hoc Festum, Missa, **Státuit,** de Comm. extra Temp. Pasch. præter Orat. ut infra.

Oratio.

Intercessio, quæsumus, Dómine, beáti Lambérti, Mártyris tui atque Pontíficis, cujus venerándas Translatiónes celebrámus, tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostrum tibi devótum efficere famulátum. Per Dóminum.

Secreta.

Adesto, quæsumus Dómine, famulórum tuórum hóstiis, adésto munéribus, sancti Lambérti, Mártyris tui atque Pontíficis, précibus placátus ac méritis: et ejus gáudentes solemnitáte, ab hóstium infestatiónibus cleménter tuére. Per Dóminum.

Postcommunio.

Beati Pontíficis Lambérti, Mártyris tui, Dómine, mérita gloriósa recoléntibus, da nobis per hæc sacraménta, quæ súmpsimus, ut a culpis ómnibus expiáti vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Mense Aprili vel Maio.

DOMINICA II. POST PASCHA.

SS. HOSTIÆ MIRACULOSÆ.

Missa, **Cibávit,** sicut in universali Solemnitate SS. Corporis Christi, præter Orationem et Graduale cum ℣.

Oratio.

Deus, qui per Venerábile Sacraméntum Córporis et Sánguinis tui pópulum tuum innúmeris decorásti miráculis: tríbue, quæsumus, ita nos hæc sacra mystéria venerári, ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus. Qui vivis et regnas.

Post Epistolam, ob Tempus Paschale (excepto nempe casu translationis ultra Pentecosten), dicitur: **Allelúia, allelúia.** ℣. Lucæ 24. **Cognovérunt discípuli Dóminum Jesum in fractióne panis. Allelúia.** ℣. Joan. 6. **Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo.** Dein Sequentia **Lauda, Sion,** cui additur **Allelúia.**

FESTA MAII.

DIE I.

S. MARCULPHI ABB.

Missa, **Os justi,** de Communi Abbatum, præter Orationem.

Oratio.

Majestati tuæ, quæsumus, omnípotens Deus, nos beáti Marcúlphi Abbátis pia comméndet orátio; ut quem venerámur offício, ipsíus suffrágiis sublevémur. Per Dóminum.

DIE VII.

S. DOMITIANI EPISC. CONF.

Introitus. *Eccli.* 45.

Similem fecit illum Dóminus in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.** Ps. 9. **Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: narrábo ómnia mirabília tua.** ℣. **Glória Patri. Similem.**

Oratio.

Misericordiæ tuæ nos, quæsumus Dómine, sancti Pontíficis tui Domitiáni pia comméndet orátio, cujus hódie celebrátur in tuo conspéctu pretiósa conféssio. Per Dóminum.

Epistola, **Testíficor,** ex Missa, **In médio,** de Communi Doctorum.

Allelúia, allelúia. ℣. Jer. 1. **Dedi te in civitátem munítam, et in colúmnam férream, et in murum æreum. Allelúia.**

℣. Eccli. 39. **Date nómini ejus magnificéntiam, et confitémini illi. Allelúia.**

Extra Temp. Pasch. dicitur Graduale. Ps. 88. **Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum : magnus, et terríbilis super omnes, qui in circúitu ejus sunt.** ℣. Ps. 105. **Quis loquétur poténtias Dómini, audítas fáciet omnes laudes ejus.**

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 47. **Magnus Dóminus, et laudábilis nimis : in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Allelúia.**

In Votivis post Septuagesimam, omissis **Allelúia** et versu dicitur Tractus. Ps 75. **Notus in Judæa Deus : in Israel magnum nomen ejus.** ℣. **Ibi confrégit poténtias árcuum, scutum, gládium, et bellum.** ℣. **Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis : turbáti sunt omnes insipiéntes corde.**

Evangelium, **Vigiláte,** ex Missa, **Sacerdótes,** de Communi Conf. Pont.

Offertorium. II. Tim. 4. **Dóminus mihi ástitit, et confortávit me : ut per me prædicátio impleátur, et áudiant gentes.** Temp. Pasch. **Allelúia.**

Secreta.

Oblatum tibi, Dómine, sacrifícium, intercedénte beáto Domitiáno, **Confessóre tuo atque Pontífice, munímen in nobis operétur perpétuum. Per Dóminum.**

Communio. Eccli. 15. **Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.** Temp. Pasch. **Allelúia.**

Postcommunio.

Sumptis, Dómine, redemptiónis nostræ munéribus, præsta, quæsumus ; ut intervéntu beáti Domitiáni, Confessóris tui atque Pontíficis, hæc éadem nobis impéndant salútem mentis et córporis. Per Dóminum.

DIE XII.

S. MODOALDI EPISC. CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont., præter Orationem, Epistolam et Evang.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo beátum Pontíficem Modoáldum egrégium salútis ætérnæ magístrum tribuísti : concéde nobis, ut ejus méritis et précibus, ómnium hóstium superátis insídiis, ad supernórum cívium societátem perveniámus. Per Dóminum.

Epistola, **Justus cor suum,** post Missam, **In médio,** de Communi Doctorum. Evangelium, **Homo quidam,** sicut in Festo S. Ludovici, in Missali die **xxv.** Augusti.

DIE XIII.

S. SERVATII EPISC. CONF.

Introitus. *Isaiæ* **58.**

Clama, ne cesses, quasi tuba exálta vocem tuam : et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum. Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.** Ps. 67. **Ecce dabit voci suæ vocem virtútis : date glóriam Deo super Israel.** ℣. **Glória Patri. Clama.**

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo beátum Servátium Evangélicæ veritátis præcónem tribuísti : concéde quæsumus ; ut tanti Pontíficis intercessióne **ab ómnibus muniámur advérsis, et tranquílla prosperitáte lætémur. Per Dóminum.**

Epistola, **Multifáriam,** sicut in Missa tertia Nativitatis Domini.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 98. **Dóminus regnávit, decórem indútus est : indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Allelúia.** ℣. Ps. 99. **Scitóte, quóniam Dóminus ipse est Deus: confitémini illi. Allelúia.**

Extra Temp. Pasch. dicitur Graduale. Ps. 2. **Dóminus dixit ad me : Fílius meus es tu, ego hódie génui te.** ℣. Ps. 109. **Tecum princípium in die virtútis tuæ : ex útero ante lucíferum génui te.**

Allelúia, allelúia, ℣. Ps. 44. **Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi : virga directiónis, virga regni tui. Allelúia.**

In Votivis post Septuag., omissis **Allelúia** et versu, dicitur Tractus. Ps. 144. **Exaltábo te, Deus meus Rex: et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. ℣. Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: et magnitúdinis ejus non est finis. ℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: et sancti tui benedícant tibi.**

Evangelium, **Vigiláte,** ex Missa, **Sacerdótes,** ac Secreta et Postcommunio ex Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont.

Offertorium. Matth. 24. **Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore?** Temp. Pasch. **Allelúia.**

Communio. Lucæ 1. **Exultávit spíritus meus in Deo salutári meo, allelúia.** Hic non dematur **Allelúia,** nisi post Septuagesimam.

DIE XIV.

S. FLORIBERTI EPISC. CONF.

Missa, **Státuit,** de Comm. Conf. Pont., præter Orationem et Epistolam.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, exáudi propítius oratiónem nostram, et tríbue nobis, intercedénte beáto Floribérto, Confessóre tuo atque Pontífice, misericórdiam tuam; ut quæcúmque præcipis, te adjuvánte, implére possímus. Per Dóminum.

Epistola, **Mementóte,** sicut pro S. Nicolao die vj. Decembris.

DIE XV.

S. DYMPNÆ VIRG. MART.

Missa, **Loquébar,** de Comm. Virg. Mart.

¶ Die xvj **S. Joannis Nepomuceni,** sicut in Appendice Missalis primo loco: nempe positæ ibi Orationes cum Evangelio ex Missa, **Lætábitur,** reliqua autem Tempore Paschali ex Missa, **Protexísti,** et alio tempore ex eadem Missa, **Lætábitur.**

DIE XXII.

S. AUFRIDI EPISC. CONF.

Introitus. *Eccli.* 18.

Miserátio hóminis circa próximum, misericórdia autem Dei super omnem carnem: qui misericórdiam habet, docet et érudit quasi pastor gregem suum. Temp. Pasch. **Allelúia, allelúia.** Ps. 1. **Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, et in cáthedra pestiléntiæ non sedit. ℣. Glória Patri. Miserátio.**

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui sancto Aufrído, Confessóri tuo atque Pontífici, affluéntibus hujus sæculi divítiis cor non appónere dedísti: ejus méritis et précibus concéde, ut mundo crucifíxi, tibi soli vivámus. Per Dóminum.

Epistola, **Optávi,** sicut in Festo S. Philippi Nerii die xxvj Maii.

Allelúia, allelúia. ℣. Sap. 7. **Invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Allelúia. ℣. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa: quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico. Allelúia.**

Extra Temp. Pasch. dicitur Graduale. Prov. 31. **Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. ℣. Manum suam misit ad fórtia, manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem.**

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 106. **Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúia.**

In Votivis post Septuagesimam, omissis **Allelúia,** et versu, dicitur Tractus. Ps. 111. **Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Jucúndus homo, qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: quia in ætérnum non commovébitur. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus**

manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltábitur in glória.

Evangelium, Homo péregre, ex Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

Offertorium. Job 29. Justítia indútus sum et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Tempore Pasch. Allelúia.

Secreta.

Propitius esto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et pópuli tui oblatiónibus precibúsque suscéptis, accedéntibus beáti Pontíficis tui Aufrídi suffrágiis, ómnium nostrum ad te corda convérte: ut a terrénis cupiditátibus liberáti, ad cœléstia desidéria transeámus. Per Dóminum.

Communio. Lucæ 6. Date, et dábitur vobis: mensúram bonam, et confértam, et coagitátam, et supereffluéntem dabunt in sinum vestrum. Tempore Pasch. Allelúia.

Postcommunio.

Protector in te sperántium, Deus, sine quo nihil est válidum, nihil sanctum, per intercessiónem beáti Aufrídi, Confessóris tui atque Pontíficis, multíplica super nos misericórdiam tuam: ut te rectóre, te duce, eodémque Pontífice tuo suffragánte, sic transeámus per bona temporália, ut non amittámus ætérna. Per Dñum.

DIE XXIV.

IN FESTO B. M. V. TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Missa, Salve sancta Parens, sicut in Votiva post Pentecosten, præter Orationes quæ infra. Tempore Paschali sicut in Votiva illius temporis, præter Orationes proprias et Evangelium sicut post Pentecosten.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensiónem pópuli Christiáni in beatíssima Vírgine María perpétuum auxílium mirabíliter constituísti: concéde propítius; ut tali præsídio muníti, certántes in vita, victóriam de hoste malígno cónsequi valeámus in morte. Per Dóminum.

Secreta.

Pro religiónis Christiánæ triúmpho hóstias placatiónis tibi, Dómine, immolámus: quæ ut nobis profíciant, opem auxiliátrix Virgo præstet, per quam talis perfécta est victória. Per Dóminum.

In Præfatione, Et te in festivitáte.

Postcommunio.

Adesto, Dómine, pópulis, qui participatióne Córporis et Sánguinis tui reficiúntur: ut sanctíssima tua Genitríce auxiliánte, ab omni malo et perículo liberéntur, et in omni ópere bono custodiántur. Per Dóminum.

¶ Die xxx Maii S. Ferdinandi Conf., sicut in Appendice Missalis. Dominica tertia post Pentecosten SS. Cordis Jesu, Missa, Miserébitur, sicut in Missali Feria sexta antecedente.

FESTA JUNII.

DIE IV.

S. QUIRINI EPISC. MART.

Missa, Sacerdótes, de Communi unius Mart., præter Orationem et Evangelium.

Oratio.

Veneranda, quæsumus, Dómine, beáti Quiríni, Mártyris tui atque Pontíficis, conféssio nos lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos patrocínio consolétur. Per Dóminum.

Evangelium, Nisi granum, sicut in Festo S. Laurentii, die x Augusti.

Tempore autem Paschali Missa, Protexísti cum Oratione sicut extra Tempus Paschale.

DIE V.

S. BONIFACII EPISCOPI ET MARTYRIS.

Missa, Státuit, Tempore autem Paschali, Protexísti, de Communi unius

Mart., præter Orationem propriam.

Oratio.

Deus, qui multitúdinem populórum beáti Bonifácii, Mártyris tui atque Pontíficis, zelo ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es : concéde propítius, ut cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

In Votivis pro solémnia dicitur memóriam.

DIE XII.

S. ODULPHI CONF.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam Sanctórum illúminas méritis et doctrínis; fac nos, intercedénte beáto Odúlpho, Confessóre tuo, fídei lúmine instrúctos, et devótam tibi gérere voluntátem, et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.

¶ Die xxix pro Commem. Omnium SS. Apostolorum Orat. Deus qui nos per beátos, sicut in Appendice Missalis primo loco.

FESTA JULII.

DIE III.

S. RUMOLDI EPISC. MART.

Missa, Státuit, de Comm. unius Mart., præter Orationem et Evangelium.

Oratio.

Majestati tuæ nos, quæsumus, Dómine, beáti Rumóldi, Mártyris tui atque Pontíficis, supplicátio veneránda concíliet : ut qui incessánter pro nostra fragilitáte delínquimus, assíduis ejus précibus expiémur. Per Dóminum.

Evangelium, Si quis vult post me veníre, ex Missa, Sacerdótes, de eodem Communi.

In Votivis Temp. Pasch. Missa, Protexísti, cum Orat. sicut extra Tempus Paschale.

DOM. POST OCT. SS. PETRI ET PAULI PRIMA OFF. DUPLICE NON IMPEDITA.

COMMEM. OMNIUM SS. EPISC., QUIBUS TERRITORIA BREDANA SUBERANT.

Introitus. *Ps.* 49.

Congregate illi Sanctos ejus, qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia : et annuntiábunt cœli justítiam ejus, quia Deus tuus ego sum. Ps. id. Deus deórum Dóminus locútus est, et vocávit terram. ℣. Glória Patri. Congregáte.

Oratio.

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis, et amóre domináris : da nobis spíritum sapiéntiæ, suffragántibus méritis Antístitum nostrórum, quibus dedísti régimen disciplínæ, ut de proféctu sanctórum cívium fiant gáudia ætérna pastórum. Per Dóminum.

Epistola, Mementóte, sicut in Festo S. Nicolai die vj. Decembris.

Graduale. Ps. 131. Sacerdótes ejus índuam salutári : et Sancti ejus exultatióne exultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David : parávi lucérnam Christo meo.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum : tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

Evangelium, Ego sum pastor bonus, sicut Dominica secunda post Pascha.

Offertorium. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Preces, quas tibi, Dómine, offérimus, intercedéntibus beátis Pontifícibus nostris, cleménter inténde : et propugnatóres fídei sub tua protectióne custódi. Per Dóminum.

Communio. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso : et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Postcommunio.

Repleti, Dómine, benedictióne cœlésti, súpplices te rogámus: ut beátos Pontífices nostros, quos in cœlis gloriósos fecísti, Ecclésiæ tuæ constítuas perpétuos defensóres. Per Dóminum.

DIE VII.

TRANSLAT. S. BEGGÆ.

In Begginagio Missa, **Gaudeámus**, sicut supra in Festo Depositionis die xvij Decembris.

DIE VIII.

SS. LANDRADÆ ET AMELBERGÆ VIRGINUM.

Missa, **Dilexísti**, de Comm. Virg. non Mart., præter Orationes et Epistolam.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, virginitátis amátor et custos, adésto précibus nostris, et præsta: ut intercedéntibus beátis Virgínibus tuis Landráda et Amelbérga, puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dñum.

Epistola, **De virgínibus**, ex Missa, **Vultum tuum**, de eodem Communi.

Secreta.

Hæc nostræ servitútis hóstia ut a nobis tibi digne et salúbriter offerátur: corda nostra, quæsumus, Dómine, sanctis Virgínibus Landráda et Amelbérga suffragántibus, flammis tuæ charitátis incénde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præstent nobis, quæsumus, Dómine, hæc sancta mystéria dilectiónis subsídium et pacis: ut intervenientibus beátis Virgínibus tuis Landráda et Amelbérga, a peccátis absolúti, toto corde tibi mereámur júgiter adhærére. Per Dóminum.

DIE IX.

SS. MART. GORCOMIENSIUM.

Missa, **Intret**, de Communi plurimorum Mart., præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui beatórum Mártyrum tuórum Leonárdi et sociórum ejus gloriósum pro fide tua certámen æternitátis láurea decorásti: concéde propítius, ut eórum méritis et imitatióne, certántes in terris, cum ipsis coronári mereámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta **Múnera**, et Postcommunio **Præsta**, ex Missa **Sapiéntiam**, de eodem Communi.

DIE X.

S. AMELBERGÆ VIDUÆ.

Missa, **Cognóvi**, de Communi nec Virg. nec Mart., præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui beátam Amelbérgam a sæculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde, ut ejus méritis et exémplo discámus, peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu Crucis tuæ ómnia nobis adversántia superáre. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Propitius esto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et intercedénte beáta Amelbérga, ómnium nostrum ad te corda convérte: ut a mundi cupiditátibus expedíti, te solum pura mente sectémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Infunde nobis, Dómine, hujus virtúte Sacraménti, sanctam amóris tui suavitátem, ut beátæ Amelbérgæ intercessióne, superátis ómnibus mundi impediméntis, tibi uni cum illa adhærére mereámur. Per Dóminum.

DIE XI.

TRIUMPHUS S. NORBERTI.

Introitus. *Ezech.* 34.

Quod períerat, requíram: et quod abjéctum erat, redúcam: et quod confráctum fúerat, alligábo: et quod infírmum fúerat, consolidábo. Ps. 88. **Invéni Da-**

vid servum meum: manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Glória Patri. Quod.

Oratio.

Deus, qui per beátum Norbértum, Confessórem tuum atque Pontíficem, orthodóxæ fidei víndicem, sanctíssimæ Eucharistíæ cultum máxime reparásti: ejus méritis et intercessióne concéde, ut hoc cœlésti convívio salúbriter enutríti, inimicórum insídias effúgere valeámus. Per Dóminum.

Epistola, **Ecce ego ipse,** sicut Feria ij. post Dominicam j. Quadrag.

Graduale. Ezech. 34. **Liberábo oves de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis. ℣. Congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam, et pascam eas in móntibus Israël.**

Allelúia, allelúia. ℣. **In páscuis ubérrimis pascam eas, requiéscent in herbis viréntibus, et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israël. Allelúia.**

Evangelium, **Ego sum lux mundi,** sicut Sabbato ante Dominicam Passionis, omissa ultima phrasi, **Hæc verba.**

Offertorium. Lucæ 15. **Cito proférte stolam primam, et indúite illum: et date ánnulum in manum ejus, et calceaménta in pedes ejus, allelúia.**

Secreta et Postcommunio ex Missa, **Sacerdótes,** de Comm. Conf. Pont.

Communio. Lucæ 15. **Addúcite vítulum saginátum, et occídite, et manducémus, et epulémur, allelúia: quia hic fílius meus mórtuus erat, et revíxit, períerat, et invéntus est, allelúia.**

DIE XIV.

S. LIBERTI MART.

Missa, **In virtúte tua,** Tempore autem Paschali, **Protexísti,** de Communi unius Mart. non Pont, præter Orationem.

Oratio.

Adesto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: ut qui beáti Libérti, Mártyris tui, memóriam cólimus, ipsíus imitatióne próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre valeámus. Per Dóminum.

¶ Dominica tertia mensis **Anniv. Dedic. Eccl. Cathedr. Bredanæ,** Missa, **Terríbilis:** in Secreta verba parenthesi inclusa omittantur extra Eccl. Cathedr. Dominica quarta **Anniv. Dedic. Omnium Diœcesis ecclesiarum consecratarum præter Cathedr.,** eadem Missa, **Terríbilis:** verba Secretæ parenthesi inclusa dicantur solum in ecclesiis certo consecratis, et omittantur quoque in Eccl. Cathedr.; in Civitate pro Commem. diei **Octavæ Eccl. Cathedr.** Oratio, **Deus, qui invisibíliter.**

DIE XV.

DIVISIO SS. APOSTOLORUM.

Missa, **Mihi autem,** sicut die xxviij Octobris pro SS. Simone et Juda (hæc nomina omittendo in Orationibus), præter Orationem et Evangelium quæ infra, atque Epistolam quæ sicut die xxx Novembris pro S. Andrea.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die in omnem terram tuórum verba Apostolórum ob vocatiónem géntium ire fecísti: da nobis, quæsumus, et fide et ópere eórum serváre vestígia, quorum doctrínis sancta Ecclésia sumpsit exórdium. Per Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Cap. 16. c

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes

tollent : et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit : super ægros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti, prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

DIE XVII.

S. FREDEGANDI ABB.

Missa, Os justi, de Communi Abbatum.

DIE XVIII.

S. FREDERICI EPISC. MART.

Missa, Státuit, de Communi unius Mart. Pont., præter Epistolam quæ sicut in Festo S. Apollinaris die xxij hujus. In Votivis Tempore Paschali Missa, Protexísti, sine præfata Epistola.

EADEM DIE XVIII.

S. ARNULPHI EPISC. CONF.

Introitus. *Eccli.* 15.

Aqua sapiéntiæ potávit illum Dóminus, et spíritu intelligéntiæ implévit illum : ipse vero tamquam imbres emísit elóquia sua. Ps. 149. Cantáte Dómino cánticum novum : laus ejus in Ecclésia Sanctórum. ℣. Glória Patri. Aqua.

Oratio.

Exaudi, quæsumus Dómine, preces nostras, quas in beáti Arnúlphi, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus : et qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

In Votivis hic et in Secreta, pro solemnitáte dicatur commemoratióne.

Epistola, Invocávi, sicut in Festo S. Philippi Nerii die xxvj Maii. Graduale (cum annexis), Offertorium et Communio ex Missa, In médio, de Communi Doctorum, Evangelium autem, Nemo lucérnam, sicut in Festo S. Martini Turonensis die xj Novembris.

Secreta.

Suscipe, miséricors Deus, oblatiónes, quas in beáti Pontíficis Arnúlphi solemnitáte deférimus ; et per ejus gloriósa suffrágia fac nos hujus mundi blandiménta vitáre, et ad gáudia ætérna perdúci. Per Dóminum.

Postcommunio.

Crescat in nobis, Dómine, pietátis tuæ efféctus salutáris : ut cœlésti pábulo refécti, et sanctórum exémplis accénsi, ad ætérnæ salútis portum, te misericórditer protegénte, et beáto Pontífice tuo Arnúlpho adjuvánte, felíciter perveníre valeámus. Per Dóminum.

DIE XX.

S. SEVERÆ VIRG.

Missa, Vultum tuum, de Comm. Virg. non Mart., præter Orationes.

Oratio.

Concede nobis, omnípotens Deus, ut sanctæ Sevéræ, Vírginis tuæ, et méritis exultémus, et extollámur suffrágiis. (Per Dóminum.)

Secreta.

Ascendant ad te, Dómine, quas piam beátæ Vírginis Sevéræ memóriam recoléntes, offérimus preces, et hóstia hæc salutáris, virgíneo fragrans odóre. (Per Dóminum.)

Postcommunio.

Coelesti alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur : ut précibus et exémplo beátæ Sevéræ, Vírginis tuæ, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus et mente. (Per Dóminum.)

DIE XXIV.

S. RAINELDIS VIRG. MART.

Missa, Me expectavérunt, de Communi Virg. Mart., præter Orationes quæ infra, et Evang. quod ex Missa, Loquébar, de eodem Communi.

Oratio.

Deus, qui beátam Rainéldem Vírginem per Mártyrii palmam ad cœlum perduxísti: da, quæsumus, fámulis tuis ómnium véniam peccatórum, et intercedéntibus ejus méritis, a cunctis mereámur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Secreta.

Super has, quæsumus, Dómine, hóstias benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nobis cleménter operétur, et de Mártyrum nos solemnitáte lætíficet. Per Dóminum.

In Votivis pro solemnitáte dicatur veneratióne.

Postcommunio.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus: ut intercedéntibus sanctis Martyribus, et tua in nobis dona multíplices, et témpora nostra in pace dispónas. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI.

DOM. ANTE ASSUMPT. B. M. V.

S. JOANNIS FILII VIRGINIS.

Introitus. *Ps.* 115.

O domine, quia ego servus tuus; ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ. Ps. id. Tibi sacrificábo hóstiam laudis: et nomen Dómini invocábo. ℣. Glória Patri. O Dómine.

Oratio.

Excita, Dómine, spíritum, quo Vírginis Fílius Joánnes illam diléxit: ut eo repléti, studeámus amáre, quam amávit, eidémque condolére, ut condóluit. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. xj. et xij.

Apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testaménti ejus in templo ejus: et facta sunt fúlgura, et voces, et terræmótus, et grando magna. Et signum magnum appáruit in cœlo. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim, et in útero habens clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat.

Graduale. Tob. 4. Honórem habébis matri tuæ ómnibus diébus vitæ tuæ. ℣. Memor enim esse debes, quæ et quanta perícula passa sit propter te.

Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 7. Gémitus matris tuæ ne obliviscáris: meménto quóniam nisi per illam natus non fuísses, et retríbue illi, quómodo et illa tibi. Allelúia.

In Votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu, dicitur Tractus. Ps. 33. Juxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde, et húmiles spíritu salvábit. ℣. Eccli. 44. Non est invéntus símilis illi in glória, qui conservávit legem Excélsi, et fuit in testaménto cum illo. ℣. Agnóvit eum in benedictiónibus suis, et dedit illi hæreditátem, et divísit illi partem in tríbubus duódecim.

Temp. Pasch., omisso Graduali: Allelúia, allelúia. ℣. Eccli. 7. Gémitus matris tuæ ne obliviscáris: meménto quóniam nisi per illam natus non fuísses, et retríbue illi, quómodo et illa tibi. Allelúia. ℣. Ps. 115. O Dómine, quia ego servus tuus: ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ. Allelúia.

Evangelium, Stabant, ex Votiva B. M. V. quæ pro tempore Paschali habetur in fine Missalis. Dicitur Credo.

Offertorium. Ps. 79. Réspice de cœlo, et vide, et vísita víneam istam: et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua.

Secreta.

Accipe, quæsumus, Dómine, quas tibi immolámus hóstias: ut in cujus commemoratiónem eas offérimus, ejus suffragántibus méritis, et Deíparæ amóre inflammémur, et dolóribus ejus transfigámur. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Joan. 21. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet

de his, et scimus quia verum est testimónium ejus.

Postcommunio.

Coelestibus épulis pasti, te, omnípotens Deus, obsecrámus : ut sicut beátus Joánnes, in Vírginis Filium eléctus, in sua ipsam accépit, sic nos, ejúsdem filii, amantíssimam illam Matrem in nostra devóte accipiámus. Per Dóminum.

DIE XVI.

S. ROCHI CONF.

Missa, Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

Populum tuum, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi ; et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

DOM. POST OCT. ASSUMPT. B. M. V.

S. CORDIS B. M. V.

Introitus. *Ps.* 44.

Omnis glória ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis áureis circumamícta varietátibus: adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Ps. id. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera meo Regi. ℣. Glória Patri. Omnis.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus sancti habitáculum præparásti : concéde propítius ; ut ejúsdem puríssimi cordis festivitátem tota mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum. in unitáte ejúsdem.

In Votivis pro festivitátem dicatur commemoratiónem.

Léctio libri Sapiéntiæ.Cant. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam:si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam. Graduale. Sap. 7. Nihil inquinátum in eam incúrrit : candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia.℣. Lucæ 1. Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia.

In Votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia, et versu, sumatur Tractus ex Votiva B. M. V. in fine Missalis. Tempore autem Paschali, omisso Graduali ; Allelúia, allelúia.℣. Lucæ 1. Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia. ℣. Ps. 44. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 2. g.

In illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic ? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est,quod me quærebátis ? nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse ? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth ; et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum : ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus : ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui cor beátæ Ma-

riæ Virginis ineffabiliter inflammávit. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. M. V. : Et te in Festivitáte. In Votivis, Et te in Veneratióne.

Communio. Cant. 2. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis refécti munéribus, te, Dómine, supplíciter exorámus : ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus puríssimi cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

In Votivis pro solémnia dicatur commemoratiónem.

DIE XXV.

S. GREGORII EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Gregórii, Confessóris tui atque Pontíficis, gloriósis méritis ac miráculis illustráre dignátus es; da nobis, ejus intercessióne, id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis : ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dñum.

FESTA SEPTEMBRIS.

DIE III.

S. REMACLI EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Communi Conf. Pont., præter Orationes et Evang.

Oratio.

Deus, mundi Auctor et Creátor, qui hodiérnam festivitátem beáti Remácli, Confessóris tui atque Pontíficis, migratióne in cœlos consecrásti : præsta, quæsumus, ut cujus ánnua celebritáte devótis exultámus obséquiis, ejus suffrágiis pietátis tuæ consequámur auxílium. Per Dóminum.

Hujus loco in Votivis Oratio, Da quæsumus.

Evang. Designávit, sicut in Festo S. Lucæ Evang., die xviij. Octobris.

Secreta.

Precibus beáti Remácli, Confessóris tui atque Pontíficis, Dómine, quæsumus, his munéribus oblátis benedictiónem infúnde cœléstem, et præsta : ut per hæc ómnibus careámus culpis, et cœléstibus inserámur gáudiis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Existat, quæsumus, Dómine, beátus Remáclus, Conféssor tuus et Póntifex, pro nobis perpétuus intercéssor : ut mystéria, quæ súmpsimus, non sint reátus ad pœnam, sed sint fortitúdo nostræ infirmitátis, et ad vitam capesséndam ætérnam præparátio salutáris. Per Dóminum.

DIE VII.

S. MADELBERTÆ VIRG.

Missa, Dilexísti, de Communi Virg. non Mart., præter Orationem.

Oratio.

Deus, innocéntiæ auctor et amátor, qui beátam Madelbértam, Vírginem tuam, hodiérna die ad cœlos transvexísti : concéde nobis, fámulis tuis, ipsíus sacra solémnia celebrántibus, ejúsdem pia intercessióne, nostrórum véniam cónsequi peccatórum. Per Dóminum.

In Votivis omittatur hodiérna die, ac pro sacra solémnia celebrántibus dicatur sacram memóriam recoléntibus.

DIE X.

S. THEODARDI EPISC. MART.

Missa, Státuit, Temp. Pasch. Protexísti, de Communi unius Mart. Pont. : sed Orationes et Epistola quocumque tempore ut infra.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Theodárdi, Mártyris tui atque Pontíficis, gloriósa solemnitáte lætíficas : sólita pietátis tuæ largitáte concéde benígnus : ut cujus victóriæ triúmphum pio amóre

venerámur in terris, societátis ejus lætítiam adipísci, te largiénte, mereámur in cœlis. Per Dóminum.

In Votivis pro solemnitáte dicatur memória.

Epistola, Respóndit, sicut pro SS. Mauritio et Sociis ejus habetur die xxij hujus.

Secreta.

HANC in conspéctu majestátis tuæ oblatiónis hóstiam, quæsumus, omnípotens Deus, beáti Mártyris tui atque Pontíficis Theodárdi comméndet orátio: qui charitátis tuæ dulcédine perfúsus, se tibi gratum óbtulit holocáustum. Per Dóminum.

Postcommunio.

SANCTA nos, quæsumus, Dómine, Sacraménti cœléstis participátio, intercedénte sancto Theodárdo, Mártyre tuo atque Pontífice, et ab hóstium tueátur incúrsu, et animárum remédia nobis cónferat sempitérna. Per Dóminum.

DIE XVI.

S. CORNELII PAPÆ MART.

Ubi de eo seorsim, Missa, Státuit, Temp. Pasch. Protexísti, de Comm. unius Mart. Pont., præter Orationem.

Oratio.

VENERANDA, quæsumus, Dómine, beáti Cornélii, Mártyris tui atque Pontíficis, conféssio nos lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos patrocínio consolétur. Per Dóminum.

DIE XVII.

NATALE S. LAMBERTI

EPISC. MART.

Missa, G audeámus, sicut pro S. Thoma Cant. die xxix Decembris (in Proprio de Temp.), præter sequentia.

In Introitu dicatur beáti Lambérti Mártyris, de cujus solemnitáte.

Oratio.

INTERCESSIO, quæsumus, Dómine, beáti Lambérti, Mártyris tui atque Pontíficis, tuam nobis non désinat placáre justítiam, et nostrum tibi devótum efficere famulátum. Per Dóminum.

Post Graduale ante ultimum Allelúia, dicitur Sequentia, quæ infra.

DONO fídei lætémur, et Lambérto gratulémur, ínclyto Pontífici.

Cujus fidem, passiónem, tot labóres, et agónem digne decet récoli.

Clarus per progenitóres, cláruit per pios mores amplióri grátia.

Ad honórem Præsulátus est Trajécti postulátus, tanta dignus glória.

Sed de Sede deturbátum, annis septem profugátum arcet hostis ínvidus.

Monachórum petit ædem : post in suam redit sedem, plebi suæ rédditus.

Reprobátus et abjéctus, lapis cœlitus eréctus, ad se trahit ómnia.

Hinc Taxándriam collústrat, gnavus idolórum lustrat quavis a spurcítia.

Procul fugat umbram mortis, aspidésque calcat fortis, victor impertérritus.

Turba credit, fides crescit, error cedit, et claréscit lumen datum cœlitus.

Sic dilátat Dei templum, verbum præbens, et exémplum, preces, et prodígia.

Præsul orans immolátur, Martyr Christi coronátur, subit cœli gáudia.

Jesu, nos ex mortis valle duc ad vitam recto calle, ejus patrocínio.

Ut cum Sanctis te condígne collaudémus, da benígne, in cœlésti gáudio. Amen. Allelúia.

Non dicitur, Credo, nisi ubi est Festum Patronale vel Titulare.

Secreta.

ADESTO, quæsumus, Dómine, famulórum tuórum hóstiis, adésto munéribus, sancti Lambérti, Mártyris tui atque Pontíficis, précibus placátus ac méritis: et ejus gaudéntes solemnitáte, ab hóstium infestatiónibus cleménter tuére. Per Dñum.

Postcommunio.

Beati Pontíficis Lambérti, Mártyris tui, Dómine, mérita gloriósa recoléntibus da nobis per hæc Sacraménta quæ súmpsimus, ut a culpis ómnibus expiáti vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

IN VOTIVIS S. LAMBERTI.

Introitus. *Ps.* 97.

Cantate Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit Dóminus : ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Ps. 18. **Judícia Dómini vera : desiderabília super aurum et lápidem pretiósum, dulcióra super mel et favum. ℣. Glória Patri. Cantáte.**

Post Graduale more solito additur, **Allelúia,** omissa Sequentia. Post Septuagesimam, omissis quoque **Allelúia,** et ℣. **Ego sum,** dicatur Tractus. Lucæ 2. **Parásti, Dómine, ante fáciem populórum lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ. ℣.** Lucæ 1. **Illumináre his qui in ténebris, et in umbra mortis sedent ; ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis. ℣. Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ.**

Tempore Paschali, omisso insuper Graduali, dicatur : **Allelúia, allelúia. ℣.** Ps. 97. **Notum fecit Dóminus salutáre suum : in conspéctu géntium revelávit justítiam suam. Allelúia. ℣.** Ps. 102. **Bénedic, ánima mea, Dómino : et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Allelúia.**

In Secreta pro **solemnitáte** dicitur **memória.**

DIE XXI.

S. GERULPHI MART.

Missa, **Lætábitur,** de Comm. unius Mart. non Pont., præter Orat. et Evang.

Oratio.

Deus, castitátis amátor et innocéntiæ auctor, concéde nobis per mérita et intercessiónem gloriósi Mártyris tui Gerúlphi, qui ínnocens crudelíssime occúbuit : ut præséntis vitæ prosperitátem et futúræ interminábilem felicitátem adipísci mereámur. Per Dóminum.

Evangelium, **Si quis venit,** ex Missa, **Státuit,** de Comm. unius Mart. Pont.

Tempore autem Paschali Missa, **Protexísti,** cum Orat. sicut extra Temp. Pasch.

DIE XXII.

S. MATERNI EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Communi Conf. Pont., præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui pópulo tuo sanctum dedísti Matérnum prædicatórem ; concéde, ut tanti Pontíficis intercessióne et tuæ pietátis defensióne, ab ómnibus liberémur advérsis, et tranquílla prosperitáte in tua laude lætémur. Per Dóminum.

Secreta.

Sancti Confessóris tui Matérni nos, Dómine, quæsumus, ánnua festívitas pietáti tuæ reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis offícia et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

In Votivis pro **ánnua festívitas,** dicatur **votíva commemorátio,** ac pro **solemnitátem ánnuo** in Postcommunione **memóriam votívo.**

Postcommunio.

Sancti Matérni, Confessóris tui atque Pontíficis, supplicatiónibus, Dómine, tríbue nos fovéri : ut cujus solemnitátem ánnuo celebrámus obséquio, ejus apud te intercessiónibus commendémur et méritis. Per Dñum.

FESTA OCTOBRIS.

DIE I.

S. BAVONIS CONF.

Missa, **Justus ut palma,** de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem, Epistolam et Evangelium.

Oratio.

Deus, qui beátum Bavónem Confessórem, cálcato mundo, crucifixo Fílio tuo militáre tribuísti: da nobis, quæsumus, ejus patrocínio ita ab hóstibus deféndi, ut post exáctam hujus vitæ milítiam, ætérna glória coronári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Epistola, Quæ mihi, post dictam Missam, Justus ut palma. Evangelium autem, Ecce nos, e sequente Missa, Os justi, de Communi Abbatum.

EADEM DIE I.

S. PIATI MART.

Missa, In virtúte tua, de Communi unius Mart. non Pont., præter Epistolam, Quis nos, et Evangelium, Nisi granum, sicut pro S. Ignatio die j. Februarii. Tempore Paschali Orationes eædem, reliqua autem ex Missa, Protexísti.

DIE V.

S. REMIGII EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Comm. Conf. Pont.

DIE VII.

S. CYPRIANI EPISC. MART.

Ubi de eo seorsim, Missa, Státuit, Temp. Pasch, Protexísti, de Communi unius Mart. Pont.

¶ Dom. ij Octobris Maternitátis B. M. V., sicut in Appendice Missalis.

DIE IX.

S. DIONYSII EPISC. MART.

Ubi de eo seorsim, Missa, Státuit, Temp. Pasch., Protexísti, præter Orationem et Epistolam.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die beátum Dionysium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti: tríbue nobis, quæsumus, ejúsdem imitatióne pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

In Votivis omittitur hodiérna die.

Epistola, Stans Paulus, sicut in Missali hac die.

DIE XI.

S. GUMMARI CONF.

Missa, Justus ut palma, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, angelórum decus et gáudium, qui gloriósum nóminis tui Confessórem Gummárum signis mirábilem demonstrásti, propitiáre pópulo supplicánti: ut qui venerándam ejus memóriam pie récolit, ipsíus intervéntu salútis ætérnæ portum invéniat. Per Dóminum.

DIE XII.

S. WILFRIDI EPISC. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Communi Conf. Pont.

¶ Dominica iij Octobris Puritátis B. M. V., sicut in Appendice Missalis.

DIE XXI.

SS. RUSTICI ET ELEUTHERII MARTYRUM.

Ubi de iis seorsim, Missa, Sapiéntiam, de Communi plurim. Mart., præter Evangelium, Secretam et Postcommunionem, quæ sicut in Missali die ix hujus, omittendo in Postcommunione nomen Dionysii.

Tempore autem Paschali Missa, Sancti tui, cum Orationibus sicut extra Temp. Paschale.

¶ Die xxiv Octob. S. Raphaëlis Archángeli, sicut in Appendice Missalis.

DOM. ULT. OCTOB.

SS. RELIQUIARUM.

Introitus. *Ps.* 33.

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. Ps. id. **Benedícam Dóminum in omni tém-**

pore : semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Epistola, Hi viri, ut die Octava SS. Petri et Pauli, vj. Julii.

Graduale. Ps. 149. Exultábunt Sancti in glória : lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Ps. id. Cantáte Dómino cánticum novum : laus ejus in Ecclésia Sanctórum.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 67. Justi epuléntur, et exúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúia.

Evangelium, Descéndens, ex Missa, Sapiéntiam, de Communi plur. Mart.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis : Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúia.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut Sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dñum.

Communio. Ps. 32. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quæsumus, Dómine, per hæc Sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dñum.

DIE XXV.

S. ODÆ VIDUÆ.

Missa, Cognóvi, de Comm. nec Virg. nec Mart., præter Orationem et Epist.

Oratio.

Deus, qui beátam Odam, génere nóbilem, sed virtútibus nobiliórem, viduáli sanctimónia decorásti ; da nobis, quæsumus, ipsíus méritis et exémplis, sic fíeri virtútibus dívites, ut ejus hic patrocínium sentiámus, et glóriæ qua frúitur in cœlis, partícipes esse mereámur. Per Dóminum.

Epistola, Víduas honóra, post memoratam Missam, Cognóvi.

FESTA NOVEMBRIS.

DIE III.

S. HUBERTI EPISC. CONF.

BENEDICTIO PANUM.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster.

℟. Et propter glóriam Nóminis tui, Dómine, líbera nos.

℣. Nihil profíciat inimícus in nobis.

℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére nobis.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Cibávit eos ex ádipe fruménti.

℟. Et de petra melle saturávit eos.

℣. Manducavérunt, et saturáti sunt nimis.

℟. Desidérium eórum áttulit eis.

℣. Panem de cœlo præstitísti eis.

℟. Panem Angelórum manducávit homo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Exorcizo vos, Panes omnes, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum, et benedíco et sanctífico per mérita et virtútem Salvatóris Dómini nostri Jesu Christi, per mérita sanctæ Vírginis et Matris Maríæ, et per mérita Confessó-

ris tui et Epíscopi Hubérti, et totíus Cúriæ cœléstis, ut fiátis Panes exorci ✠ záti, bene ✠ dícti, sancti ✠ ficáti, ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum cum ómnibus adversitátibus rebúsque nóxiis explantáre et elongáre faciátis de cunctis creatúris Dei, quæ de his Pánibus coméderint vel súmpserint, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi, qui cum Deo Patre et Spíritu sancto vivit et regnat Deus, in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Exaudi, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, in nómine sanctæ Ecclésiæ, per mérita Dómini nostri Jesu Christi, ejúsque Matris et Vírginis Maríæ, sancti Hubérti, Confessóris et Pontíficis tui, et totíus Cúriæ cœléstis, exorci ✠ zántes, et deprecántes super Panes hos omnes, et mitte manum tuam plenam larga benedictióne super eos, et reple eos ætérnis benedictiónibus, et eos benedicéndo ✠ benedícas, sanctificándo ✠ sanctífices, consecrándo ✠ cónsecres, ut virtútem tuam contra spíritus percutiéntes, canes rábidos, pestiléntiæ luem, et contra ómnia nóxia possint accípere : per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus.

Domine Jesu Christe, Panis Angelórum, Panis vivus vitæ ætérnæ, qui quotídie de cœlo descéndis ad salvándas et sanctificándas ánimas nostras, sic nunc descéndere dignéris super Panes hos omnes, béne ✠ dic et sanctí ✠ fica hos, sicut benedixísti quinque Panes in desérto : et líbera per eos cunctas creatúras tuas, tam hómines quam animántia, ab omni spíritus incúrsu, ab ómnibus ægritudínibus, maleficiis, et pestiléntiis, et adversitátibus cunctis, et sicut quidquid in nómine sancto tuo fidéliter pétimus, tu propítius impéndis, ita per ipsum sanctum Nomen tuum, tota devotióne adorándum et prædicándum, Panes hos omnes exor ✠ cízo, bene ✠ díco, sanctí ✠ fico, et virtútem sanctíssimi Nóminis tui ac Passiónis tuæ illis infúndo ad restituéndam ægrotántibus sanitátem, maleficiátis liberatiónem et incolumitátem, ad expelléndum de tabernáculis et cunctis membris creaturárum quidquid pestíferum aut malum esse potest, per virtútem tuam, Salvátor mundi, qui vivis et regnas Deus, in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

Domine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, virtútis tuæ invíctam fortitúdinem, ac pietátis tuæ infinítam cleméntiam humíliter invocámus super Panes hos omnes, ut eos exorcizáre dignéris, prout ego indígnus fámulus tuus in nómine sanctæ Ecclésiæ tuæ, per mérita Salvatóris nostri Jesu Christi, et per mérita sanctíssimæ Vírginis et Matris Maríæ, et beáti Hubérti, Confessóris tui atque Pontíficis, totiúsque Cúriæ cœléstis, exor ✠ cízo, bene ✠ díco, et sanctí ✠ fico, illísque virtútem tuam divínam infúndo, ut quicúmque ex iis coméderint, súmpserint, vel super se portáverint, accípiant íntegram mentis et córporis sanitátem, tutélam salútis et protectiónem ac defensiónem contra rábiem, ipsósque canes rábidos, eorúmque morsus et pestiléntiæ luem, ut liberéntur ab ómnibus adversitátibus, maleficiis et ægritudínibus. Multíplica, Dómine Deus, benedictiónes tuas super Panes hos omnes, sicut stellas cœli, et arénam, quæ est in líttore maris, ut ex vultu divínæ Majestátis tuæ, et ex méritis Sanctórum tuórum virtútem tuam contra immúndos spíritus et contra rábiem canésque rábidos, eorúmque morsus possint accípere, ad expelléndum de tabernáculis famuló-

rum famularúmque tuárum quidquid pestíferum esse potest: per eum qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos et sæculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus.

Descendat, quæsumus, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, per amórem Unigéniti Fílii tui, per mérita sanctíssimæ Matris ejus, Vírginis Maríæ, et sancti Confessóris tui atque Pontíficis Hubérti, virtus Spíritus sancti super Panes hos omnes, ut eos bene ✠ dícat, exor ✠ cízet, et sanctí ✠ ficet, ut quicúmque sive hómines, sive animántia ex eis comédérint vel súmpserint, ab ómnibus ægritudínibus, maleficiis, pestiléntiis, advérsis et nóxiis liberéntur et protegántur. Da, Dómine Deus omnípotens, ut, quod in nómine Ecclésiæ tuæ per mérita Fílii tui, et Sanctórum tuórum rogámus et obsecrámus, id obtineámus et impetrémus, in nómine dilécti Fílii tui, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur Panes aqua benedicta.

MISSA.

Missa, Státuit, de Communi Conf. Pont., præter Orationes.

Oratio.

Deus, qui perénnem glóriam beatíssimi Confessóris tui atque Pontícis Hubérti ánimæ contulísti: præsta, quæsumus; nos ejus apud te ita patrocíniis adjuvári, ut cum eo vitam possideámus ætérnam. Per Dóminum.

Secreta.

Oblata, quæsumus, Dómine, múnera fidélis pópuli méritis beatíssimi Hubérti reddántur accépta; ut abjécta cogitatióne peccáti, eísdem quibus famulámur mystériis, cleménter emundári mereámur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Mensæ cœléstis participatióne vegetáti, súpplices te rogámus, omnípotens Deus; ut sicut de beáti Hubérti perpétua glorificatióne gaudémus, ita ipsíus apud te intercessióne ab omni mereámur adversitáte defêndi. Per Dóminum.

DIE VI.

S. LEONARDI CONF.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

Majestati tuæ, quæsumus, omnípotens Deus, nos beáti Confessóris tui Leonárdi pia comméndet orátio: ut quem venerámur officio, ipsíus suffrágiis sublevémur. Per Dóminum.

DIE VII.

S. WILLIBRORDI EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Communi Conf. Pont., præter Orationem quæ infra, et Epistolam, Hi viri, quæ sicut in Missali die vj. Julii.

Oratio.

Deus, qui ad prædicándum géntibus glóriam tuam, beátum Willibrórdum, Confessórem tuum atque Pontíficem, míttere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

¶ Dominica post Octavam Omnium Sanctorum Festum Patrocinii B.M.V. (sicut in Append. Miss.), Missa, Salve sancta Parens, quæ pro Votivis post Pentecosten habetur in fine Missalis, sed ritu Festivo, et dicendo in Præfatione, Et te in Festivitáte. In casu translationis ad Adventum, in fine Gradualis pro ℣. Post Partum, sumendus est ℣. Ave María, ex ejusdem B. M. V. Votiva pro Adventu.

DIE XII.

S. LEBUINI CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont., præter Orationem.

Oratio.

Deus, qui per Evangélicam beáti Confessóris tui Lebuíni prædica-

tiónem plures gentes in Christo illumináre dignátus es: ejus intercessióne præsta, quæsumus, ut hoc in nostro respléndeat ópere, quod per fidem fulget in mente. Per Dóminum.

DIE XIV.

S. LIVINI EPISC. MART.

Missa, S tátuit, sed Evangelium, Si quis vult, ex Missa, Sacerdótes, de Communi unius Martyris Pontificis, Tempore Paschali Missa, Protexísti.

DIE XVI.

S. CUNIBERTI EPISC. CONF.

Missa, Státuit, de Communi Conf. Pont.

DIE XXIII.

S. TRUDONIS ABB.

Missa, Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationem.

Oratio.

Sancti Trudónis, Confessóris tui, nos, Dómine, precátio sancta tueátur; et quod consciéntia nostra non merétur, ejus nobis, qui tibi plácuit, oratióne donétur. Per Dóminum.

DIE XXVI.

S. ALBERTI EPISC. MART.

Missa, Sacerdótes, Tempore Paschali, Protexísti, de Communi unius Mart. Pont., præter Orationem et Epist. quæ quocumque temp. ut infra.

Oratio.

Deus, qui beátum Albértum Pontíficem Martyrii coróna decorásti, et ecclesiásticæ libertátis constituísti defensórem: ejus méritis nobis concéde, ut per hujus vitæ tribulatiónes ad promíssam perveníre valéamus felicitátem. Per Dóminum.

Epistola, Nolíte mirári, sicut in Festo S. Camilli, die xviij Julii.

Juxta præscriptiones Romanas, Archidiœcesis Mechliniensis typographo, H. Dessain, licentiam tribuimus imprimendi Propria Officia et Missas, quæ Civitati et Diœcesi Bredanæ nuper benigne concessa sunt a Sede Apostolica; hanc Missarum editionem, diligenti examine præhabito, conformiter ad Originalem textum et rescripta SS. Rit. Congr. fideliter exaratam esse, declaramus; quapropter illam hisce approbamus, evulgandique licentiam libenter elargimur. In quorum fidem Signaturam Nostram Nostrumque sigillum apponimus.

Bredæ, in Festo SS. Nominis Jesu (die 18 Januarii) anni 1874.

† J. VAN GENK, Episcopus Bredanus.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi,

A. H. Van den Corput, Secret.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXIV.

OFFICIA CONCESSA

DIŒCESI DE CHIAPAS.

DOM. III. POST EPIPHANIAM.

IN FESTO

INVENTIONIS PUERI JESU

IN MEDIO DOCTORUM.

Introitus.

IN excélso throno vidi sedére virum, quem adórat multitúdo Angelórum, psalléntes in unum : ecce cujus impérii nomen est in ætérnum. Ps. 99. Jubiláte Deo, omnis terra, servíte Dómino in lætítia. ℣. Glória Patri.

Orátio.

DEUS qui húmilem Fílii tui puerítiam cœlésti clarére sapiéntia voluísti : præsta; ut spíritu prudéntiæ repléti, sincéra tibi humilitáte placeámus. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit com. Dominicæ iij. post Epiphaniam.

Léctio Actuum Apostolórum. c. 3.

MOYSES dixit : Quóniam Prophétam suscitábit vobis Dóminus Deus vester de frátribus vestris, tanquam me : ipsum audiétis juxta ómnia, quæcúmque locútus fúerit vobis. Erit autem : Omnis ánima, quæ non audíerit Prophétam illum, exterminábitur de plebe. Et omnes Prophétæ a Sámuel et deínceps qui locúti sunt annuntiavérunt dies istos. Vos estis fílii Prophetárum, et testaménti, quod dispósuit Deus ad Patres nostros, dicens ad Abraham : Et in sémine tuo benedicéntur omnes famíliæ terræ. Vobis primum Deus súscitans Fílium suum, misit eum benedicéntem vobis, ut convértat se unusquísque a nequítia sua.

Graduale. Sap. 8. Habébo propter sapiéntiam claritátem ad turbas, et honórem apud senióres júvenis, et in conspéctu poténtium admirábilis ero. ℣. Colos. 2. In Christo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi.

Alelúia, allelúia. ℣. Luc. 2. Stupébant omnes, qui Jesum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Allelúia.

Si transferatur post Septuagesimam, omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Ps. 79. Dómine Deus virtútum, convérte nos : et osténde fáciem tuam, et salvi érimus : sonet vox tua in áuribus meis. ℣. Cant. 2. Vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra nimis. ℣. Ibid. 1. Oleum effúsum nomen tuum, Jesu, ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

CUM factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt

verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. Credo.

Offertorium. Joel. 2. Fílii Sion, exsultáte, et lætámini in Dómino Deo vestro, quia dedit vobis Doctórem justítiæ.

Secreta.

DEVOTIONIS nostræ múnera tibi offérimus, Dómine, majestátem tuam humíliter deprecántes; ut, qui Fílii tui temporálem pueritiam sapiéntiæ et sciéntiæ donis fecísti claréscere, corda nostra ad percipiénda ex ore ejus salútis documénta dispónas. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Joan. 6. Verba vitæ ætérnæ habes, et nos credídimus, et cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei.

Postcommunio.

DEUS, cujus Unigénitus se véluti proficiéntem sapiéntia et grátia mortálium sénsibus exhibére dignátus est: quæsumus; ut quotidiána nobis spirituálium proféctuum increménta per hæc, quæ súmpsimus, mystéria propítius largiáris. Per eúmdem Dóminum.

In fine legitur Evangelium Dominicæ iij.

DIE XVII. FEBRUARII.

IN FESTO

FUGÆ D. N. J. C.

IN ÆGYPTUM.

Introitus. ***Matth.* 2.**

ANGELUS Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Ps. 54. Ecce elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine. ℣. Glória Patri.

Oratio.

PROTECTOR in te sperántium Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ex Heródis gládio Fuga in Ægyptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus Matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cœléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Lectio Isaíæ Prophétæ. c. 19.

IN diébus illis: Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis Salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægypto, et cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et munéribus: et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægyptum plaga, et sanábit eam; et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale. Psalm. 90. Angelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te; ne unquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúia, allelúia. ℣. Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Allelúia.

Post Septuag., omissis Allelúia, et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Ps. 90. Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cœli commorábitur. ℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: Deus meus, sperábo in eum. ℣. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, et a verbo áspero.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 2.

IN illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Futúrum est enim ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens, accépit Púerum et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægyptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam, dicéntem: Ex Ægypto vocávi Fílium meum. Credo.

Offertorium. Isaiæ 19. Cognoscétur Dóminus ab Ægypto, et cognóscent Ægyptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus : et vota vovébunt Dómino, et solvent.

Secreta.

LAUDIS tibi, Dómine, hóstias immolámus, suppliciter deprecántes : ut qui cum beatíssima Matre Vírgine María in Ægyptum exsul deférri voluísti, éxsules nos, eádem Vírgine intercedénte, ad cœléstem pátriam benígnus perdúcas. Qui vivis.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio. Matth. 2. Et erat ibi usque ad óbitum Heródis : ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem : Ex Ægypto vocávi Fílium meum.

Postcommunio.

LARGIRE sénsibus nostris, omnípotens Deus : ut per temporálem Fílii tui Fugam, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedísse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

DOMINICA II. POST PASCHA.

IN FESTO

SS. FAMILIÆ JESU, MARIÆ, JOSEPH.

Introitus.

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Sacræ Famíliæ; de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei, allelúia, allelúia. Ps. Converténtur ad Dóminum univérsi fines terræ; et adorábunt in conspéctu ejus univérsæ famíliæ géntium. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DEUS, qui salútis ætérnæ per Sanctíssimam Famíliam Jesu, Maríæ, Joseph, humáno géneri præmia præstitísti; tríbue, quæsumus, ut in qua vitæ auctórem nobis símilem foris agnóvimus, per eam intus reformári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Cap. 4.

FRATRES, Quanto témpore hæres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium : sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre; ita et nos cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamántem : Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius. Quod si fílius, et hæres per Deum.

Allelúia, allelúia. ℣. Joseph Fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Allelúia. ℣. Sic Deus diléxit mundum ut Fílium suum Unigénitum daret, ut salvétur mundus per ipsum. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 2.

CUM factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos, et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est, quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth : et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapién-

tia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines.

Offertorium. Ave María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, allelúia, allelúia.

Secreta.

OBLATUM tibi, Dómine sacrifícium Sanctíssimæ Famíliæ intercessióne vivíficet nos semper et múniat. Per Dóminum nostrum.

Præfatio ut in Nativitate Domini.

Communio. Puer Jesus paréntibus súbditus erat; et ipse proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines, allelúia, allelúia.

Postcommunio.

SUMPTIS, Dómine, salútis nostræ subsídiis, da quæsumus, Sanctíssimæ Famíliæ méritis nos ubíque prótegi, in cujus solemnitáte hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Mechliniæ, H. Dessain.— mdccclxxxii.

MISSÆ PROPRIÆ

JAM PRIDEM A SUMMIS PONTIFICIBUS

ET NUPERRIME

A SS. PIO PP. IX

CLERO NICÆENSI

CONCESSÆ

FESTA FEBRUARII

DIE VI

SS. VINCENTII ET ORONTII MM.

FRATRUM NICÆENSIUM A CEMELLA

Duplex Majus.

Introitus. *Ps.* 78.

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est.

Ps. Ibid. Deus, venérunt gentes in hæreditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam.

℣. Glória Patri, etc.

Oratio.

Quæsumus omnípotens Deus, ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Mártyrum Vincéntii et Oróntii glorificatióne procédit, quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. *Sap.* 3.

Justorum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi áutem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In páucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam áurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale. Exod. 15. Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos. Allelúja, allelúja.

℣. *Eccl.* 44. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt: et nómina eórum vivent in generatióne et generatiónem. Allelúja.

Post Septuages. omiss. Allelúja *et* ℣. *seq., dicit.*

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in lácrymis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes áutem vénient cum exultatióne portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Cap.* 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypocrísis. Nihil áutem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in áurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico áutem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus: et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam áutem vobis quem timeátis: Timéte eum, qui, postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: Hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestris omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico áutem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Filius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium. Ps. 67. Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israel ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sunt honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Sap. 3. Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam áurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Vincéntio et Oróntio, ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

FESTA MARTII

DIE X

SS. QUADRAGINTA MM.

Semiduplex.

Missa ut pr. lo.

Si hoc Festum venerit in Feria V post Cineres, tunc legitur sequens Secreta pro dicta Feria loco Secretæ in ead. Feria positæ.

Pro Fer. V suprad.

Secreta.

Sacrificium, Dómine, observántiæ Quadragesimális, quod offérimus, præsta quæsumus: ut tibi et mentes nostras reddat accéptas, et continéntiæ promptióris nobis tríbuat facultátem. Per Dóminum.

Si vero præfatum Festum venerit Feria III post Dom. I Quadrages., tunc Postcommunio pro eadem Feria erit sequens:

Pro dict. Fer. III

Postcommunio.

Tui, Dómine, perceptióne sacraménti, et a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

FESTA MAJI

DIE XIV

S. PONTII MARTYRIS

Duplex Majus.

Introitus. Ps. 63.

Protexisti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja.

Ps. Ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam, cum deprécor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri, etc.

Oratio.

Deus, qui es tuórum coróna Fidélium, beáti Póntii Mártyris tui indeféssum tríbue patrocínium: ut quem terréni órdinis cúria hábuit prædicatórem, ipsum apud te contínuum habére sentiámus intercessórem. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1. *Petr.* 4.

Carissimi, communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ

ejus gaudeátis exultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis; quóniam quod est honóris, glóriæ et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo áutem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si áutem ut Christiánus, non erubéscat: glorífícet áutem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si áutem primum a nobis, quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor, ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis. Allelúja, allelúja.

℣. *Ps.* 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum. Allelúja.

℣. *Ps.* 20. Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. *Cap.* 12.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto Pharisæórum, quod est hypocrísis. Nihil áutem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in áurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico áutem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius, quid fáciant. Osténdam áutem vobis, quem timeátis: Timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: Hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico áutem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. — Credo.

Offertorium. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum. Allelúja, allelúja.

Secreta.

Accepta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja, allelúja.

Postcommunio.

Refecti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut cujus exéquimur cultum, intercedénte beáto Póntio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Si Festum transf. extra Temp. Pasch., tunc dicit. Missa Lætábitur, *de Com. un. Mart. non Pont., cum Orat., Epist. et Evang. præcedent.*

DIE XXIII.

S. SIAGRII EP. NIC. ET C.

Duplex.

Missa Státuit, *de Com. C. P.*

Oratio.

Deus, qui beátum Siágrium Confessórem tuum atque Pontíficem multíplici curatiónum dono condecorásti, concéde nobis fámulis tuis; ut ejus glorióso intervéntu a córporis et ánimæ contagióne præserváti, Te in ómnibus, et super ómnia diligámus. Per Dóminum.

FESTA JUNII

DIE VII

S. ANGELÆ MERICIÆ VIRG.

Duplex.

Missa Dilexísti, *de Com. Virg. tantum.*

Oratio.

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Secreta.

Hostia, Dómine, quam tibi, beátæ Angelæ memóriam recoléntes, offérimus, et nostræ pravitátis véniam implóret, et

grátiæ tuæ nobis dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cœlesti alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, beátæ Angelæ précibus et exémplo, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS

DIE II

S. JUSTI EP. ET CONF.

Duplex.

Missa Státuit, *de Com. C. P., præter Or. seq.*

Oratio.

Deus, cujus nutu beátus Justus Conféssor et Póntifex tuus Ecclésiæ tuæ regímen suscépit, atque dimísit; ejus nobis pia intercessióne concéde; ut viam mandatórum tuórum sine offensióne currámus. Per Dóminum nostrum, etc.

FESTA OCTOBRIS

DIE VIII

S. REPARATÆ VIRG. ET M.

TITULARIS ECCL. CATHED., CIVITATIS ET DIŒCESIS PATRONÆ.

Duplex 1 class. cum Octava.

Missa Loquébar, *de Com. Virg. et Mart., præter Or. seq.*

Oratio.

Deus, qui ánimam beátæ Vírginis et Mártyris tuæ Reparátæ, ad ostendéndam innocéntiæ viam, post dira torménta pro tui Nóminis glória superáta, in colúmbæ spécie cœlum penetráre fecísti: dona nobis, ejus méritis et précibus, ita innocénter vívere, et advérsa quæque patiénter toleráre, ut ad ætérna mereámur gáudia perveníre. Per Dóminum.

DIE XVI.

S. HOSPITII ABBATIS, NICÆENSIS.

Duplex.

Missa Os Justi, *de Com. Abbatum, præter Or. seq.*

Oratio.

Deus, qui beátum Hospítium Abbátem per córporis mortificatiónem, et fidei præcónium sanctórum tuórum glória coæquásti: præsta; ut, quod fide profitémur, pietátis opéribus júgiter impleámus. Per Dóminum.

DIE XXII.

TRANSLATIONIS CORPORIS S. VINCENTII MARTYRIS

Duplex.

Missa In virtúte, *de Com. un. M. non P., præter Or. seq.*

Oratio.

Deus, qui nos beáti Vincéntii Mártyris tui gloriósa translatióne pietátis tuæ præsídio locupletásti, eo intercedénte concéde; ut consuétæ misericórdiæ semper rore infundámus. Per Dóminum.

FESTA DECEMBRIS

DIE V

S. BASSI I. EP. NICÆENSIS ET MART.

Duplex Majus.

Missa Státuit, *de Com. un. M. P., præter Or. seq.*

Oratio.

Deus, qui beátum Bassum Mártyrem tuum atque Pontíficem virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illum ad prædicándum géntibus glóriam tuam míttere dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, pro amóre tui próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Viso et collato cum autographo juxta præscriptum Apostolic. Constitut. typis mandari et evulgari permittimus.
Nicææ die quarta junii 1878.

Fabre Vic. Gen.

Taurini, Typ. Eq. P. Marietti.

MISSÆ PROPRIÆ

DIOECESIS URGELLENSIS.

DIE XXIII. MARTII.
IN FESTO
B. JOSEPHI ORIOL CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Joséphum Confessórem tuum mirábili abstinéntiæ dono, et curatiónum grátia decorásti: concéde; ut a culpis abstinéntes in terris, pœniténtiæ præmium assequámur in cœlis. Per Dóminum.

Secreta.

Purifica, Dómine, corda nostra; ut qua puritáte beátus Joséphus cœléstem óbtulit víctimam, eádem nos offerámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Divinum tuum épulum, Dómine, quod beáto Josépho jejunánti temporále præbuit aliméntum, ætérnum nobis, te miseránte, largiátur. Per Dóminum.

DIE XXII. MAJI.
IN FESTO SANCTORUM
TORQUATI, CHTESIPHONTIS,
SECUNDI, INDALETII, CÆCILII, HESYCHII ET EUPHRASII EPISCOPORUM MARTYRUM.

Introitus. *Dan.* 3.

Sacerdotes Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. Allelúia, allelúia. ℣. Ibid. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sæcula. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos post beatíssimum Jacóbum Apóstolum per beátos Mártyres tuos atque Pontífices Torquátum, Chtesiphóntem, Secúndum, Indalétium, Cæcílium, Hesychium et Euphrásium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: concéde propítius; ut quos festívo venerámur obséquio, eórum intercedéntibus méritis, ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Sap. 5.

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Tempore Pasch. Allelúia, allelúia. ℣. Posuísti, Dómine, super cápita eórum corónam de lápide pretióso: allelúia. ℣. Sancti Pontífices nostri, qui nos docuérunt legem tuam, Dómine, hódie in cœlis coronáti regnant in ætérnum: allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. c. 15.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis.

Manéte in me : et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite : sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis.

Offert. Ps. 88. Confitebúntur cœli mirabília tua, Dómine, et veritátem tuam in Ecclésia sanctórum : allelúia.

Secreta.

Grata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio, pro qua sancti Antístites et Mártyres nostri Torquátus, Chtésiphon, Secúndus, Indalétius, Cæcílius, Hesychius et Euphrásius precatóres accédant. Per Dóminum.

Communio. Lætabúntur justi in Dómino, et sperábunt in eo : et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Postcommunio.

Fideles tuos, Dómine, quæ súmpsimus Sacraménta custódiant, et qui beatórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum Torquáti Chtesiphóntis, Secúndi, Indalétii, Cæcílii, Hesychii et Euphrásii prædicatióne ad fidem pervenímus, eórum quoque méritis discámus terréna despícere, et amáre cœléstia. Per Dóminum.

Extra temp. Paschale dicitur Missa ut supra, demptis allelúia, Epist., Graduale et Evangel. de primo Communi plur. Mart. extra temp. Pasch.

DIE XXVIII. MAJI.

IN FESTO

S. JUSTI, EPISC. ET CONF.

Introitus.

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. Psalm. 36, 1. Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Dómine, grátia cœléstis amplíficet, quam beáti Justi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis ac doctrínis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 13. 7.

Fratres, Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei : quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie : ipse et in sæcula. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis : quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, idest fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci; tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris et subjacéte eis ; ipsi enim pervígilant quasi ratiónem pro animábus vestris reddituri, ut cum gáudio hoc fáciant, et non geméntes : hoc enim non éxpedit vobis.

Graduale. Psalm. 131, 16. et 17 Sacerdótes ejus índuam salutári : et sancti ejus exultatióne exultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David, parávi lucérnam Christo meo.

Allelúia, allelúia. ℣. Prov. 11. 30. Fructus justi lignum vitæ : et qui

súscipit ánimas, sápiens est. Allelúia.

Tempore Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur :

Allelúia, allelúia. ℣. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia. ℣. Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúia.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.** Cap. 24. 42.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non sineret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti : quia qua nescítis hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium. Psalm. 91, 13. **Justus ut palma florébit : sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.**

Secreta.

Sancti Justi Confessóris tui, atque Pontíficis, quæsumus Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos : ut per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. **Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem : amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.**

Postcommunio.

Deus, fidélium remunerátor animárum, præsta : ut beáti Justi Confessóris tui, atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

DIE VII. JULII.

IN FESTO

S. ODONIS EPISC., CONF.,

ET CIVITATIS URGELLENSIS PATRONI.

Introitus.

Gaudeamus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Odónis Epíscopi et Confessóris : de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. Psalm. 32, 1. **Exultáte, justi, in Dómino : rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.**

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in cœlésti regno Sanctum Odónem, Confessórem tuum atque Pontíficem, glória et honóre coronásti : concéde propítius; ut ejus précibus et méritis ita in hoc mundo vivámus, ut ad indeficiéntis vitæ præmia pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Cap. 7. 7-14.

Optavi, et datus est mihi sensus : et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ : et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus : nec comparávi illi lápidem pretiósum : quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam : et propósui pro luce habére illam : quóniam inextinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus : quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus : quo qui

usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale. Psalm. 109, 4. et 5. Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum : Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia, allelúia. ℣. Sancte Odo, Sedis Urgellénsis Epíscope, tutéla nostra firmíssima, ab omni malo líbera nos semper. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Cap. 11, 33-36.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio : sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit : si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te. Credo.

Offertorium. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet, et quasi sol refúlgens; sic Odo effúlsit in templo Dei.

Secreta.

Sacrifíciis præséntibus, quæsumus Dómine, inténde placátus, et præsta: ut hæc salutáris hóstia, intercedénte beáto Odóne Confessóre tuo atque Pontífice, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Communio. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum : Justítia indútus sum : et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo. Pater eram páuperum.

Postcommunio.

Corda nostra, quæsumus Dómine, intercedénte Beáto Odóne Confessóre tuo atque Pontífice illústres ac fóveas, ut te pura fide agnóscant, et perfécta díligant charitáte. Per Dóminum.

DIE III. NOVEMBRIS.

IN FESTO

S. HERMENGAUDI EPISC. CONF.

AC DIOECESIS URGELLENSIS PATRONI,

Introitus. *Eccli.* 45.

Statuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum : ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131. Meménto, Dómine, David, et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Hermengáudum Confessórem tuum atque Pontíficem, próximi caritáte flagrántem, ad præmia ætérna evocáre dignátus es : da quæsumus, ita nos ejus exémplo profícere, ut consórtio quoque pérfrui mereámur in cœlis. Per Dñum.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccl. 50. 1-14.

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum, et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam, et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis: et ingréssum domus et átrii amplificávit. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet; et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi ignis effúlgens, et thus árdens in igne : quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. In ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum. Et circa illum coróna fratrum : quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum ste-

térunt quasi rami palmæ, et omnes fílii Aaron in glória sua.

Graduale. Eccli. 44. Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 109. Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 25. 14-23.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Homo péregre profiscíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens : Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam : intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait : Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus : Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offert. Ps. 88. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus Dómine, nos ubíque lætíficent : ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Communio. Luc. 12. 42. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam : ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus : ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Hermengáudo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Præcedentes quinque Missæ concordant cum Originalibus a S. R. C. revisis et approbatis quapropter typis mandari possunt. Id ipsum de totidem adjunctis Officiis testamur.

Urgellæ, 21 Maji 1877.

AUGUSTINUS BRESCO, v. g. gub.
De Periltris. Dñi Vic. Gen. ac Diœcesis Gub. mandato,
CLEMENS PUGOL, pro-Secretarius.

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXVII.

DIE XIX. AUGUSTI.

IN FESTO

SANCTI MAGINI MARTYRIS

TARRACONENSIS.

Ex Decret. S. R. C. 28 *Septembris* 1876 *et* 1 *Martii* 1877 *in Tarraconen et Urgellen.*

Introitus. *Psalm.* 54. 7. 8.

Quis dabit mihi pennas colúmbæ, et volábo et requiéscam? Ecce elongávi fúgiens, et mansi in solitúdine. Psalm. ibid. Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, et exáudi me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hunc diem beáti Magíni Mártyris tui triúmpho consecrásti: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Cap. 11. ℣. 33.

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem, álii vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres; lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti, quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Psalm. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúia, allelúia. ℣. Psalm. 20. Posuísti, Dómine, super caput Mártyris tui Magíni corónam de lápide pretióso. Allelúia.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Cap. 16. ℣. 24. 27.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam. Qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum ángelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium. Psalm. 63. Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúia.

Secreta.

Hanc oblatiónem, omnípotens Deus, beáti Magíni mérita tibi reddant accéptam : ut ipsíus subsídiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Communio. Psalm. 8. Glória et honóre coronásti eum ; et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine ætérnæ vitæ sacraménta, te humíliter deprecántes: ut beáto Magíno Mártyre tuo pro nobis deprecánte, véniam nobis concílient et grátiam. Per Dóminum.

Quum hæc Missa dicenda in festo Sancti Magini Martyris omnino concordet cum originali a S. R. C. reviso et approbato, imprimi potest. — Tarracone 30 Maji 1877.

Jacobus Dachs, **Vic. Gen.**

Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXVII.

APPENDIX

AD MISSALE ROMANUM

AD USUM

ECCLESIÆ VICETINÆ.

DIE VIII. DECEMBRIS.

IN FESTO

IMMACULATÆ CONCEPTIONIS

B. MARIÆ VIRGINIS.

Missa nova a SS. D. Pio PP. IX. præscripta Decreto diei 25 Septembris 1863.

Introitus. *Isaiæ* 61.

Gaudens gaudébo in Dómino, et exultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis; et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Ps. 29. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui per Immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut qui ex morte ejúsdem Filii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eúmdem Dóminum nostrum.

Et fit commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Prov. 8.

Dominus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abyssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cœlos áderam, quando certa lege et gyro vallábat abyssos: quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens; et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore; ludens in orbe terrárum: et delíciæ meæ esse cum filiis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo

qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale. Judith 13, 25. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri.

Allelúia, allelúia. ℣. Cant. 4. 7. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te. Allelúia.

In Missis votivis post Septuag., omissis Allelúia et ℣. seq., dicitur Tractus. Psal. 86. 1. Fundaménta ejus in móntibus sanctis : díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Glorióa dicta sunt de te, cívitas Dei. ℣. Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israel, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúia. ℣. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. capit. 1.

In illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit : Ave, grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus.

Credo, quod dicitur per totam Octavam.

Offertorium. Luc. 1. Ave, María, grátia plena : Dóminus tecum : Benedícta tu in muliéribus. Allelúia.

Secreta.

Salutarem Hóstiam, quam in Solemnitáte Immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta : ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virgine. Et te in Conceptióne Immaculáta. Et dicitur per totam Octavam, etiam in Festis infra eam occurrentibus.

Communio. Glorióa dicta sunt de te, María, quia fecit tibi magna, qui potens est.

Postcommunio.

Sacramenta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster, illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua Immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum.

DIE XVII. DECEMBRIS.

B. JOANNIS MARINONII, CONF.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui beátum Joánnem Confessórem tuum per assíduam Passiónis tuæ contemplatiónem imitatórem tui exímium effecísti : ipsíus, quæsumus, intercessióne concéde; ut ejúsdem vestígiis inhæréntes, Passiónis tuæ fructum percípere valeámus. Qui vivis.

DIE XXVI. DECEMBRIS.

COMMEM. OMN. SS. MARTYRUM.

Oratio.

Deus, qui nos ánnua ómnium sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne lætíficas : concéde propítius; ut quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta.

Oblatis, quæsumus Dómine, placáre munéribus, et intercedéntibus ómnibus sanctis Martyribus tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine, et intercedéntibus

ómnibus sanctis Martyribus tuis, cœléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE XXII. JANUARII.

S. VINCENTII, MARTYRIS,

PATRONI PRINCIP. CIVIT. VICET.

Introitus. *Ps.* 20.

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exultábit veheménter; desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. Ps. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis : posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri.

Oratio

Adesto, Dómine, supplicatiónibus nostris : ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Mártyris tui Vincéntii intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Corínthios. I. cap. 9.

Fratres : Qui parce séminat, parce et metet; et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquísque prout destinávit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte; hilarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est : Dispérsit, dedit paupéribus, justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem adminístrat semen seminánti, et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Graduale. Ps. 111. Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus, generátio rectórum benedicétur.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 20 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúia.

Post septuag. omissis Allelúia et ℣. seq. dicitur Tractus. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei : et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 21.

In illo témpore : Dixit Jesus discípulis suis : Cum audiéritis prælia et seditiónes, nolíte terréri : opórtet primum hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis; Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum : et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cœlo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et præsides propter nomen meum : contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus et frátribus et cognátis et amícis, et morte afficient ex vobis : et éritis ódio ómnibus propter nomen meum : et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Credo per totam Octavam.

Offertorium. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus; quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Matth. 16. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio.

Quæsumus, omnípotens Deus, ut qui cœléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Mártyre tuo Vincéntio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

DIE XXIX. JANUARII.

OCTAVA S. VINCENTII, MART.

Missa ut in Festo, xxij. Januarii.

Oratio.

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Vincéntius Levíta servívit; ut eódem nos replé- ti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum.... in unitáte ejúsdem.

Secreta.

Sacrificium nostrum tibi, Dómine, quæsumus, beáti Vincéntii precátio sancta concíliet; ut cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Supplices te rogámus, omnípotens Deus; ut quos donis cœléstibus satiásti, intercedénte beáto Vincéntio Mártyre tuo, perpétua protectióne custódias. Per Dóminum.

DIE XI. FEBRUARII.

BB. SEPTEM FUNDATORUM
ORD. SERVOR. B. M. V.

Missa ut pro aliquibus locis.

DIE XVII. FEBRUARII.

SS. DONATI, SECUNDIANI,
ROMULI ET SOC., MARTYRUM.

Missa, Intret, de Comm. plurim. Mart.

Oratio.

Deus, qui mirábilis es in Sanctis tuis: concéde propítius; ut sanctórum Mártyrum tuórum Donáti, Secundiáni, Rómuli, et Sociórum, quorum præsídio munímur, virtútem imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Divino illo igne, quæsumus Dómine, cor nostrum árdeat, quo Spíritus Sanctus sanctórum Mártyrum Donáti, Secundiáni, Rómuli, et Sociórum corda divínitus inflammávit. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio.

Ad cœléstem mensam cleménter admíssi, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut sanctis Martyribus tuis Donáto, Secundiáno, Rómulo, et Sóciis intercedéntibus, ad vitæ ætérnæ gáudia perveníre mereámur. Per Dóminum.

DIE XXI. FEBRUARII.

S. TITI, EPISC. CONFESS.

Missa ut in Missali, die vj. Februarii.

DIE XXIII. FEBRUARII.

S PETRI DAMIANI, EP. ET DOCT.

Missa ut in Missali.

FERIA III. POST DOMINICAM SEPTUAG.

ORATIONIS D. N. J. C.
IN MONTE OLIVETI.

Missa ut in Appendice Missalis.

FERIA III. POST DOMINICAM SEXAG.

COMMEM. PASSIONIS D. N. J. C.

Missa ut in Appendice Missalis.

FERIA VI. POST DOMINICAM I. QUADRAG.

SS. LANCEÆ ET CLAV. D. N. J. C.

Missa ut in Appendice Missalis.

FERIA VI. POST DOMINICAM II. QUADRAG.

SS. SINDONIS D. N. J. C.

Missa ut in Appendice Missalis.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

Post Orationem pro Papa dicatur

Oremus et pro Epíscopo nostro N ut Deus et Dóminus noster, qui divína sua cleméntia Episcopále onus húmeris ejus impósuit, benignitátis suæ illi grátiam largiátur, ne pón-

deris magnitúdine oppréssus, humánæ fragilitátis imbecillitáte deficiat.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabília tamen gloriósius operáris in mínimis, concéde fámulo tuo Epíscopo nostro N. sacris conveniénter servíre Mystériis, atque in ómnibus tua misericórdia prótegat, quem Vicetínæ Ecclésiæ singulári providéntia præfecísti. Per Dóminum.

Orémus et pro ómnibus Epíscopis, Presbyteris, Diacónibus, Subdiacónibus, Acolythis, Exorcístis, Lectóribus, Ostiáriis, Confessóribus, Virgínibus, Víduis, et pro omni pópulo sancto Dei.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, cujus Spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur: exáudi nos pro univérsis Ordínibus supplicántes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum.

Orémus et pro Augustíssimo Imperatóre N Rege nostro, ut eum Deus et Dóminus noster incólumem reddat ad regéndos pópulos sibi commíssos in æquitáte et justítia, ad tutélam et propagatiónem nóminis Christiáni.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, exaudíre dignáre preces nostras, et fámulum tuum Imperatórem N. Regem nostrum ab ómnibus tuére advérsis; ut pietátis et religiónis propugnátor, miseratiónis tuæ cleméntia semper foveátur. Per Dóminum.

Orémus et pro Catechúmenis nostris, etc., ut in Missali.

DIE I. MARTII.

B. JOANNÆ MARIÆ BONOMO, V.

Missa, Dilexísti, de Comm. Virg.

Oratio.

Dómine Jesu Christe virtútum ómnium exémplar et præmium, qui beátam Joánnam Maríam Vírginem tuam admirábili patiéntia pro Nóminis tui amóre decorásti: da pópulo tuo ejus solémnia celebránti, ita sequi vestígia; ut assequátur et præmia. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Placatiónis hóstia, quam tibi offérimus, Dómine, intercedénte beáta Joánna María, optátæ nobis patiéntiæ plenitúdinem largiátur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta nobis, omnípotens Deus, ut qui in honórem beátæ Joánnæ Maríæ cœléstia aliménta percépimus, per ejus vestígia gradiéntes, carne mortificáti, facílius ad te perveníre valeámus. Per Dóminum.

DIE III. MARTII.

SS. VIGINTI SEX MARTYRUM JAPONENSIUM.

Missa, Sapiéntiam, de Comm. plur. Martyrum.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, qui ad tui imitatiónem per Crucis supplícium primítias fídei apud Japóniæ gentes in Sanctórum Mártyrum Petri Baptístæ, Pauli, et Sociórum sánguine dedicásti: concéde quæsumus; ut quorum hódie solémnia cólimus, excitémur exémplis. Qui vivis et regnas.

Secreta.

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in Sanctórum Mártyrum tuórum Petri Baptístæ, et Pauli cum Sóciis solemnitáte deférimus, et da nobis fámulis tuis; ut eórum méritis in confessióne tui Nóminis stábiles inveníri mereámur. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Deus, qui Crucis Mystérium in sanctis Martyribus tuis Petro Ba-

ptísta, et Paulo cum Sóciis mirabíliter illustrásti, eórum quæsumus méritis et intercessióne ita nos per grátiam tuam in fide, et charitáte confírma; ut nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum nostrum.

DIE XIII. MARTII.

B. FORTIS DE GABRIELIBUS, CONFESSORIS.

Missa, Justus, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Excita, quæsumus, Dómine, in córdibus nostris spíritum pietátis ac pœniténtiæ, quo beátum Fortem Confessórem tuum replére dignátus es : ut ejus vestígiis insisténtes ad perénnem in cœlis glóriam pervenire mereámur. Per Dóminum nostrum.

DIE XXII. MARTII.

B. MARCI DE MONTE GALLO, CONFESSORIS.

Missa, Os justi, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui per beátum Marcum Confessórem tuum ad tui et próximi amórem fidéles excitásti : quæsumus; ut ejus précibus et méritis charitátis ópera júgiter exercére mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Misericors Deus, qui per obláta Sacrifícia ætérnæ salútis remédia præparásti : concéde propítius; ut, interveniénte beáto Marco, morbos ánimæ et córporis propulsáre valeámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacro múnere refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur; ut beáti Marci Confessóris tui exémplo, cháritas in córdibus nostris augeátur. Per Dóminum.

DIE XXIII. MARTII.

S. CATHARINÆ GENUENSIS, VID.

Introitus. *Psalm.* 41.

Sitivit ánima mea ad Deum fortem, vivum; quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? Ps. Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣ Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátam Catharínam in contemplánda Fílii tui Passióne divíni amóris igne flagráre fecísti : quæsumus; ut, ipsa intercedénte, tuæ in nobis flámmam charitátis accéndas, et ejúsdem Passiónis partícipes dignánter effícias. Per eúmdem Dóminum.

Epistola. Mulierem fortem, de Comm. nec Virg. nec Mart. ij. loco.

Graduale. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam : et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúia, allelúia. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde et regna, allelúia.

¶ Post Septuagesimam, omissis Allelúia et ℣. sequenti, dicitur Tractus. Veni, Sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. ℣. Ps. 44. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem : proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna.

¶ Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur : Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 72. Quid mihi est in cœlo, et a te quid vólui super terram? Defécit caro mea et cor meum : Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. Allelúia. ℣. Ps. 38. Concáluit cor meum intra me, et in meditatióne mea exardéscet ignis. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. c. 13.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc : Símile est regnum cœlórum thesáuro abscóndito in agro, quem qui ínvenit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Iterum, símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas : invénta una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam. Iterum, símile est regnum cœlórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti; quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi. Exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis; ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei : Etiam. Ait illis : Ideo omnis scriba doctus in regno cœlórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium. Ps. 107. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum : cantábo et psallam in glória mea.

Secreta.

His sacrifíciis, quæsumus, omnípotens Deus, propitiátus inténde : et beáta Catharína intercedénte, Spíritum in nobis tuæ dilectiónis accénde. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Communio. Ps. 83. Cor meum, et caro mea exultáverunt in Deum vivum.

Postcommunio.

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus, ut quos tuis refícere dignátus es Sacraméntis, intercedénte beáta Catharína, tríbuas pro tui amóre terréna despícere, et cœléstium semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

DIE III. APRILIS.

B. BARTHOLOMÆI DE BREGANTIIS, EPISC. VICET.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui in fídei hóstibus ab errórum ténebris ad veritátis lucem adducéndis, et in pópulis ad pacem et concórdiam revocándis beátum Bartholomæum, Confessórem tuum atque Pontíficem, mirábilem effecísti : ejus intercessióne concéde; ut pax tua, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda nostra et intelligéntias nostras in Christo Jesu Dómino nostro. Qui tecum vivit.

DIE XII. APRILIS.

S. ZENONIS, EPISC. ET MART.

Missa, Státuit, de Comm. unius Mart. Temp. vero Pasch. Missa, Protexísti.

Oratio.

Deus, qui beátum Zenónem, Mártyrem tuum atque Pontíficem, Cathólicæ Fídei propagatórem elígere dignátus es : præsta, quæsumus; ut ipso pro nobis interveniénte, peccatórum nostrórum máculis exuámur, et tibi, Dómine, sincéris méntibus placére mereámur. Per Dóminum.

Secreta.

Oblata quæsumus Dómine, dona sanctífica et corda nostra illo igne tuæ charitátis inflámma quem in pópulo suo sanctus tuus Martyr et Póntifex Zeno curávit accéndere. Per Dóminum.

Postcommunio.

Sacris munéribus recreáti, te, Dñe, súpplices deprecámur : ut beáti Zenónis, Mártyris tui atque Pontíficis, hortaménta sectándo, ad vitam pervenire mereámur ætérnam. Per Dñum.

DIE XXIV. MAJI.

B. M. V. AUXILIAT. CHRISTIAN.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XXX. MAJI.

S. FERDINANDI REGIS, CONF.

Missa ut in Appendice Missalis.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

PURISSIMI CORDIS B. M. V.

Introitus. *Psal.* 44.

Omnis glória ejus fíliæ Regis ab intus, in fímbriis áureis circumamícta varietátibus : adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Ps. Eructávit cor meum verbum bonum : dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Omnipotens sempitérne Deus, qui in corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti : concéde propítius; ut ejúsdem Puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum Cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ. cap. 8.

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum : quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio : lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere charitátem, nec flúmina óbruent illam : si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale. Sap. 7. 25. Nihil inquinátum in eam incúrrit : Candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúia, allelúia. ℣. Magníficat ánima mea Dóminum : et exultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 2.

In illo témpore : Dixit Mater Jesu ad illum : Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis, quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Credo.

Offertorium. Judith 15. Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum ; ita et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta.

Majestati tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quæsumus; ut corda nostra ignis ille divínus accéndat, qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per Dñum.

Præfatio. Et te in Festivitáte B.M. V.

Communio. Cant. 1. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio.

Divinis refécti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus; ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus Puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

DIE I. JUNII.

S. ANGELÆ MERICIÆ, VIRG.

Missa ut in Missali, die xxxj. Maji

DIE IV. JUNII.

S. FRANCISCI CARACCIOLO, CONFESSORIS.

Missa ut in Missali.

DIE XXIX. JUNII.

COMMEM. OMN. SS. APOSTOLOR.

Oratio.

Deus, qui nos per omnes beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui Nóminis veníre tribuísti; da nobis eórum glóriam sempitérnam et profi-

ciéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Secreta.

Glóriam, Dómine, ómnium Sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes : quæsumus; ut eam sacris Mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, Sacraméntis supplíciter exorámus ; ut intercedéntibus ómnibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus commemoratióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

DIE III. JULII.

S. THEOBALDI, CONFESSORIS.

Missa, Justus, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Theobáldum Confessórem tuum terréna quæque solitáriæ et pœniténti vitæ postpónere, tibíque soli adhærére docuísti : concéde propítius; ut ejus intercessióne et exémplo a mundi consórtio segregáti, dignos pœniténtiæ fructus faciámus. Per Dóminum.

DIE IX JULII.

B. JOANNIS DE SURDIS, EP. VICET.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Joánnem, Confessórem atque Pontíficem, pium et fortem in tuéndis Ecclésiæ júribus reddidísti : da, quæsumus, ejúsdem précibus; ut in nobis justítiæ et tuæ charitátis ardor numquam extinguátur. Per Dóminum.

DOMINICA IV. JULII.

TRANSLAT. SS. FELICIS ET FORTUNATI, MART. VICET. ET CIVIT. PATRON.

Missa, Salus autem, de Comm. plurimorum Mart.

Oratio.

Beatórum Mártyrum tuórum Felícis et Fortunáti nos, Dómine, précibus et intercessiónibus ádjuva ; ut quorum Translatiónis memóriam cólimus, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Secreta.

Hodiérnæ festivitátis oblatiónem, quæsumus Dómine, propítius réspice; ut sicut fidem Mártyres tui Felix et Fortunátus próprio sánguine obsignáre non dubitárunt, ita et nos eámdem móribus et opéribus ostendámus. Per Dóminum.

Postcommunio.

Interveniéntibus, Dómine, Sanctis Martyribus tuis Felíce et Fortunáto Ecclésiæ tuæ, quæsumus, preces placátus admítte, et Sacraménta, quæ súmpsimus, ad ætérnam salútem nobis prodésse concéde. Per Dóminum.

DIE II. AUGUSTI.

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO, EPISC. CONF.

Missa ut in Missali.

DIE VII. AUGUSTI.

S. CAJETANI THIENÆI VICET., CONF. ET CIVIT. COMPATR.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XVI. AUGUSTI.

S. ROCHI, CONFESSORIS.

Missa ut in Appendice Missalis.

DIE XVIII. AUGUSTI.

B. RAYNALDI, EP. VICET. CONF.

Missa, Sacerdótes, de Comm. Conf. Pont.

Oratio.

Deus, qui beátum Raynáldum, Confessórem tuum atque Pontíficem, singulári ad conciliándam pacem, morésque reformándos prudéntia et zelo decorásti : ejus nobis intercessióne concéde; ut melióra charísmata æmu-

lántes, quæ tibi sunt únice plácita inquírere non desinámus. Per Dñum.

DIE XXV. AUGUSTI.

APPARITIONIS B. M. V. IN MONTE BERICO.

Missa, Salve sancta Parens, ut in Votivis.

Oratio.

Omnipotens et miséricors Deus, qui beátæ Maríæ Vírginis opem in nostris necessitátibus contulísti: ejúsdem méritis et intercessióne concéde; ut qui in illíus pietáte confídunt, ab ómnibus tueántur advérsis, et, te miseránte, vitam cónsequi mereántur ætérnam. Per Dóminum.

DOMINICA III. SEPTEMBRIS.

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Missa ut in Missali, in Feria vj. post Dom. Passionis, sub mense Martii.

Oratio.

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis et Matris Maríæ dolóris gládius pertránsivit: concéde propítius; ut qui Dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuæ efféctum felícem consequámur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

DIE V. OCTOBRIS.

S. EMYGDII EPISC. ET MART.

Introitus. *Psalm.* 17.

Commota est, et contrémuit terra: fundaménta móntium conturbáta sunt, quóniam irátus est eis. Ps. 49. Invoca me in die tribulatiónis; éruam te, et honorificábis me. ℣. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui beátum Emygdium Mártyrem tuum atque Pontíficem idolórum victória, et miraculórum glória decorásti: concéde propítius; ut, eo interveniénte, malórum spirítuum fraudes víncere, et coruscáre virtútibus mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalypsis beáti Joánnis Apóstoli. c. 11.

In illa hora factus est terræmótus magnus, et décima pars civitátis cécidit: et occísa sunt in terræmótu nómina hóminum septem míllia: et réliqui in timórem sunt missi, et dedérunt glóriam Deo cœli. Væ secúndum ábiit: et ecce væ tertium véniet cito. Et séptimus Angelus tuba cécinit; et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicéntes: Factum est regnum hujus mundi, Dómini nostri et Christi ejus, et regnábit in sæcula sæculórum: Amen. Et vigínti quátuor senióres, qui in conspéctu Dei sedent in sédibus suis, cecidérunt in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes: Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, qui es, et qui eras, et qui ventúrus es; quia accepísti virtútem tuam magnam, et regnásti.

Graduale. Ps. 59. Dedísti metuéntibus te significatiónem, ut fúgiant a fácie arcus. ℣. Ut liberéntur dilécti tui: salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Allelúia, allelúia. ℣. Ps. 88. Manus mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. Allelúia.

Evangelium. Cum audiéritis, *ut die* xxij. Januarii in hac Appendice.

Offertorium. Ps. 59. Commovísti terram, et conturbásti eam; sana contritiónes ejus, quia commóta est.

Secreta.

Munera tibi, Dómine, obláta sanctífica; ut per ea, intercedénte beáto Emygdio, Mártyre tuo atque Pontífice, ab ómnibus ánimæ et córporis perículis liberémur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32. Tímeat Dóminum omnis terra; ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Postcommunio.

Sacramenta, quæ súmpsimus, Dómine, per intercessiónem beáti Emygdii, Mártyris tui atque Pontíficis, sint nobis ad tutaméntum mentis et

córporis, et ad misericórdiam tuam efficáciter consequéndam. Per Dóminum.

DIE XII. OCTOBRIS.

SANCTI SERAPHINI, CONFESS.

Missa, Justus, de Comm. Conf. non Pont.

Oratio.

Deus, qui in corde beáti Seraphíni amóris tui flammas excitásti ejus, quæsumus, nobis intercessióne concéde; ut illíus vestígia sectántes, iísdem ardóribus accendámur. Per Dóminum.

DIE XXX. OCTOBRIS.

COMMEMORAT. SANCTORUM

QUORUM RELIQUIÆ IN ECCLESIIS ASSERVANTUR.

Missa, Sapiéntiam, de Comm. plur. Mart.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum Relíquiis mirabília operáris : et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Secreta.

Imploramus, Dómine, cleméntiam tuam; ut Sanctórum tuórum, quorum Relíquias venerámur, suffragántibus méritis, Hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta quæ súmpsimus, misericórdiam tuam : ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum Relíquias cólimus, pia devotióne lætámur, ita eórum perpétua societáte, te largiénte fruámur. Per Dóminum.

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

B. LEONARDI A PORTU MAURITIO, CONFESSORIS.

Missa, Os justi, de Communi Conf. non Pont.

Evangelium. Designávit, ut in Missali, die ij. Augusti.

Oratio.

Deus, qui ad obstináta peccatórum corda per Evangélicam prædicatiónem flecténda, beátum Leonárdum Confessórem tuum admirábilem sanctitáte et invícto dicéndi róbore suscitásti : da quæsumus; ut contritiónis lácrymas, ad quas ob durítiam cordis nostri permovéri non póssumus, per ejus preces et mérita consequámur. Per Dóminum.

Secreta.

Hæc múnera, Deus vere miséricors, fragilitáti nostræ auxiliéntur; et secúndum divítias grátiæ tuæ, fiant nobis pígnora glóriæ sempitérnæ. Per Dóminum.

Postcommunio.

Cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quæsumus Dómine, méritis beáti Leonárdi Confessóris tui; et, quos divínis aliméntis recreásti, fac, ipso intercedénte, usque in finem tua protectióne munítos. Per Dóminum nostrum.

Vicetiæ, ex Ædibus Episcopalibus, die 6 Octobris 1854.

† JOANNES JOS., EPISC.

MECHLINIÆ, H. DESSAIN. — MDCCCLIV.

32

DIE V. JULII

S. ANTONII MARIÆ ZACCARIA CONF.

CLERR. REGG. ET ANGELICARUM VIRG. S. PAULI FUNDATORIS

DUPLEX I. CLASSIS

IN I. VESPERIS.

Antiph. 1. Juxta viam Dómini * ambulávit ab adolescéntia sua; et præ sénibus intelléxit super egénum et páuperem.

Psalmi de Communi Confessoris non Pontificis.

2. Disciplína médici * exaltávit caput illíus; ut sanáret plagas cordis et contritiónes Jerúsalem.

3. Verbum Crucis * virtus ejus, per stultítiam prædicatiónis salvos fáciens credéntes.

4. Ad mensam Dómini * et thronum Agni, in conspéctu Angelórum adorántium, vocávit pópulos.

5. Consummátus in brevi * explévit témpora multa; plácita enim erat Deo ánima illíus.

Capitulum. Sap. 4, 7-9.

Justus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit; senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta.

Hymnus.

Gaudiis cæli mérito canéndum
Insubres hymnum sócient: Cremónæ
Angelus tandem Cároli minister
Prævius adstat.

Quantus in vultu púeri renídet
Angeli candor! Téneris ab annis
Lilio crescit símilis, revíncto
Undique spinis.

Córporis, luxus rénuens avítos,
Gaudet insóntis maceráre membra;
Jam pie Christi répetit dolóres
Sub Cruce plorans.

Páuperes lætus récreat recéptos;
Vestit, exútis túnicis decóris,
In via Christum, míserans egéni
Membra rigéntis.

Hinc opes artis médicæ, levámen
Páuperum, quærit Pátavi; remígrat
Néscius culpæ, Mísael ut olim
Néscius ignis.

Córporum vires reparáre doctum
Sors manet vita pótior cadúca;
Fiet ægrótis ánimis salúbris
Ipse medéla.

Dógmata edóctus sine labe certa
Scandit altáre. Hic trépide litántem
Angeli circum rádiant, nováque
Luce corónant.

Laus tibi semper, Deus une trine,
Glória dulcem décorans Paréntem,
Fíliis tantum celebráre donas
Rite triúmphum. Amen.

℣. Benedíctio Dómini super caput justi. ℟. Et memória ejus cum láudibus.

Ad Magnificat Ant. Non judicávi * me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifíxum; ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

Oratio.

Fac nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli edíscere; qua beátus Antónius María mirabíliter erudítus, novas in Ecclésia tua Clericórum et Vírginum famílias congregávit. Per eúmdem.

AD MATUTINUM.

Invitatorium. Laudémus Regem glóriæ * In veneratióne beáti Antónii Maríæ paréntis nostri.

Ps. Veníte, exultémus.

Hymnus.

Gentis a Christo cólumen redémptæ
Præbeas aures précibus benígnus;
Dum tua, Antóni, memoráre læti
Gesta parámus.
Tu laboránti Fídei, petítæ
Nisibus sævo rábidis ab hoste,
Strénuo vindex ades evocáto
Agmine ductor.
Arma dat Paulus: gálea salútis
Tutus incédis, clypeo æquitátis:
Véritas cingit latus: ore verbi
Fúlminat ensis.
Hostis inférni jáculis retúsis
Dógmata et mores álacer tuéris;
Nec sinis lingua válidus nocéntes
Sérpere pestes.
Quin gregis Christi stúdio juvándi,
Erigis lapsos, stímulas inértes;
Vírgines a te Dómino dicátas
Próvehis auctor.
Adjuva præsens opis indigéntes,
Mente ne pravus potiátur error;
Tu juventúti ac pópulo labánti
Pórrige dextram.
Laus tibi jugis, Deus une trine,
Rite pugnántes pia bella Christi
Mílites clara décorans coróna
Omne per ævum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Germinávit sicut lílium, * et tamquam lignum secus decúrsus aquárum dedit fructum in témpore suo.

Ant. Constitútus a Dómino * super montem Sion, prædicávit præcéptum ejus.

Ant. Dóminus suscéptor meus * exaltávit caput meum: tua est salus; et exaudísti me de loco sancto tuo.

℣. Timor Dómini disciplína sapiéntiæ:
℟. Et glóriam præcédet humílitas.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános.

Lectio i. Cap. 12. 1-14.

Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri; ut probétis quæ sit volúntas Dei bona et benéplacens et perfécta. Dico enim per grátiam quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: non plus sápere quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem; et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo; sínguli autem alter altérius membra.

℟. Estóte ergo imitatóres Dei sicut et filii caríssimi; et ambuláte in dilectióne sicut et Christus diléxit nos; * Et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. ℣. Propter quod suscípite ínvicem sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei. Et trádidit.

Lectio ii.

Habentes autem donatiónes, secúndum grátiam quæ data est nobis, differéntes; sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo; sive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte. Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono; caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes, honóre ínvicem præveniéntes; sollicitúdine non pigri; spíritu fervéntes, Dómino serviéntes, spe gaudéntes; in tribulatióne patiéntes; oratióni instántes; necessitátibus sanctórum communicántes; hospitalitátem sectántes.

℟. Vidéte, fratres, quómodo caute ambulétis; non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes: rediméntes tempus, * Quóniam dies mali sunt. ℣. Proptérea nolíte fíeri imprudéntes, sed intelligéntes quæ sit volúntas Dei; subjécti ínvicem in timóre Christi. Quóniam.

Lectio iii.

Benedicite persequéntibus vos; benedícite, et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus; idípsum ínvicem sentiéntes; non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes. No-

líte esse prudéntes apud vosmetípsos: nulli malum pro malo reddéntes; providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes: non vosmetípsos defendéntes, caríssimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindícta; ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi: hoc enim fáciens, carbónes ignis cóngregas super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

℟. Cum placúerint Dómino viæ hóminis, * Inimícos quoque ejus convértet ad pacem. ℣. Non afflíget Dóminus fame ánimam justi, et insídias impiórum subvértet. Inimícos quoque. Glória Patri. Inimícos quoque.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Qui confídit in Dómino * sicut mons Sion, non commovébitur in ætérnum; et in tribulatióne dilatábitur cor ejus.

Ant. Scuto * bonæ voluntátis Dómini coronábitur justus; et glória ejus testimónium consciéntiæ suæ.

Ant. Admirábile * nomen Dómini magnificávit; ídeo Dóminus illi ádstitit et confortávit illum.

℣. Justus de angústia liberátus est.
℟. Et benedictióne justórum exaltábitur cívitas.

Lectio iv.

Antonius María Zaccaría, Cremónæ in Insúbria nóbili génere natus, jam a púero qua futúrus esset sanctitáte porténdere visus est. Eximiárum enim in eo virtútum significatiónes matúre eluxérunt, pietátis in Deum ac beátam Vírginem; insígnis præsértim in páuperes misericórdiæ; quorum inópiæ sublevándæ, vel pretiósa veste sibi detrácta, haud semel præsto fuit. Humanióribus lítteris in pátria excúltus, Ticíni philosophíæ, Patávii medicínæ addiscéndæ óperam dedit: utque ómnibus vitæ integritáte, ita et æquálibus acúmine ingénii fácile antecélluit. Láuream adéptus ac domum revérsus, ubi intelléxit se Dei mónitu ad animórum magis quam córporum morbis medéndum vocári, in sacras disciplínas percipiéndas sédulo incúbuit. Intérea ægrótos vísere, púeros christiána doctrína informáre, júvenum cœtus pietáte excólere, ætáte étiam provéctos ad mores emendándos frequénter hortári non déstitit. Sacris initiátus cum primo litáret, cælésti obórto lúmine, Angelórum coróna circúmdatus stupénti pópulo apparuísse tráditur. Exínde animárum salúti impénsius consúlere, depravátis móribus summa ope obsístere curæ fuit. Ad hæc ádvenas, egénos, afflíctos patérno compléxus afféctu, piis allóquiis atque subsídiis recreátos ita solári, ut ejus domus miserórum perfúgium haberétur, ípseque pater pátriæ atque ángelus merúerit a suis cívibus appellári.

℟. Optávi, et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me Spíritus sapiéntiæ; et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. * Hanc amávi et exquisívi a juventúte mea. ℣. Ab infántia mea crevit mecum miserátio: et de útero matris meæ egréssa est mecum. Hanc amávi.

Lectio v.

Mediolani, cum secum agitáret uberióres in rem christiánam manáre posse fructus, si in vínea Dómini sibi labórum sócios adscísceret, re communicáta cum Bartholomæo Ferrário et Jacóbo Morígia nobilíssimis et sanctíssimis viris, Sodalitátis Clericórum Regulárium fundaménta jecit; quam, ob suum in Géntium Apóstolum amórem, a sancto Paulo nuncupávit: quæ, Cleménte séptimo Pontífice Máximo approbánte et Paulo tértio confirmánte, brevi per complúres regiónes propagáta est. Sanctimoniálium quoque Angelicárum Socíetas ipsum Antónium Maríam paréntem et auctórem hábuit. Qui tamen ádeo de se submísse sentiébat, ut nullo pacto præésse suo Ordini umquam volúerit. Tanta vero fuit patiéntia, ut formidolosíssimas tempestátes in suos commótas constánti ánimo perférret; tanta caritáte, ut piis adhortatió-

nibus religiósos viros ad Dei amórem inflammáre, Sacerdótes ad apostólicam vivéndi normam revocáre; patrúmque famílias Sodalítia ad bonam frugem institúere numquam intermíserit; imo intérdum præláta Cruce per cómpita plateásque cum suis progréssus, férvida ac veheménti oratióne, aberrántes improbósque hómines ad salútem redúceret.

℟. Cum liber essem ex ómnibus, ómnium me servum feci; factus sum infírmis infírmus; ómnibus ómnia factus sum, * Ut omnes Christo lucrifácerem. ℣. Optábam enim ego ipse anáthema esse a Christo pro frátribus meis. Ut omnes.

Lectio vi.

ILLUD étiam memorándum quod in Jesum crucifíxum amóre flagrans, Crucis mystérium ab ómnibus, ad statum æris campáni indícium, sexta quaque féria sub vésperas, recoléndum curávit; sanctíssimum Christi Nomen in suis scriptis passim usurpábat et in ore semper habébat; ejusdémque cruciátus, vere Pauli discípulus, in córpore suo præseferébat. In sacram Eucharístiam singulári caritáte ferebátur; cujus et frequénter percipiéndæ consuetúdinem instaurávit; et morem e sublími throno público in tríduum adorándæ invexísse perhibétur. Pudicítiam ádeo cóluit ut étiam in exsángui córpore, revivíscere visus, ejus amórem testarétur. Accessére cæléstia dona éxtasis, lacrymárum, futurórum evéntuum cognitiónis, scrutatiónis córdium, virtútis in humáni géneris hostem. Tandem magnis labóribus ubíque exantlátis, Guastállæ, quo pacis sequéster accítus fúerat, gravi morbo corréptus est. Cremónam addúctus, inter suórum fletus, et compléxus piíssimæ matris quam próxime obitúram prædíxit; supérna Apostolórum visióne recreátus, Sodalitátis suæ increménta prænúntians; tértio Nonas Július anno millésimo quingentésimo trigésimo nono, sanctíssime óbiit, annos natus sex supra trigínta. Cultum tanto viro, ob exímiam ejus sanctitátem et signórum cópiam a christiáno pópulo statim exhíbitum, Leo decimustértius Póntifex Máximus ratum hábuit et confirmávit; eumdémque anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, in festo Ascensiónis domínicæ, solémni ritu Sanctórum fastis adscrípsit.

℟. Veníte, ascendámus ad montem Dñi et ad domum Dei Jacob; et docébit nos vias suas: * Ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeámus exultántes. ℣. Omnis qui habet zelum legis, státuens testaméntum, éxeat post me. Ut in revelatióne. Glória Patri. Ut in revelatióne.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Qui ingréditur sine mácula * et operátur justítiam, habitábit in tabernáculo tuo; et adorábit Agnum in conspéctu Angelórum tuórum.

Ant. Desidérium * cordis ejus tribuísti ei,. Dñe; quia bonum certámen certávit, cursum consummávit, fidem servávit.

Ant. In generatióne * gentis suæ benedictiónem accípiet; et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Non omnis qui díxerit Dómine, Dómine, intrábit in regnum cælórum. ℟. Sed qui fécerit voluntátem Dei, hic intrábit in regnum cælórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum.

Lectio vii. Cap. 10, 15-17.

IN illo témpore, dixit Jesus Pharisæis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et cum egréssus esset in viam, procúrrens quidam, genu flexo ante eum, rogábat eum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi.

Sermo 47. de diversis.

DURUM vidétur et grave quod Dóminus imperávit; ut si quis eum vult sequi ábneget seípsum: sed non est durum nec grave quod ille ímperat, qui ádjuvat ut fiat quod ímperat. Nam illud verum est quod ei dícitur in Psalmo: Propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras. Quidquid enim durum est in præcéptis, ut sit lene, cáritas facit. Nóvimus quanta ipse amor facit. Quid autem est,

Neget se? Non præsúmat de se, séntiat se hóminem, et respíciat dictum prophéticum: Maledíctus omnis qui spem suam ponit in hómine: subdúcat se sibi, sed non deórsum versus; subdúcat se sibi ut hæreat Deo.

℟. In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu sancto, in caritáte; * Némini dantes ullam offensiónem ut non vituperétur ministérium nostrum. ℣. Ego recípiam vos, et ero vobis in patrem, et vos éritis mihi in fílios et fílias. Némini dantes.

Lectio viii.

Quo sequéndus est Dóminus? quo iit, nóvimus: resurréxit enim et ascéndit in cælum: illo sequéndus est. Plane desperándum non est quia ipse promísit, non quia homo áliquid potest. Jam quare desperémus, si membra illíus cápitis sumus? Bonum est illo eum sequi; sed vidéndum est, quo: étenim verba ista Dóminus Jesus non tunc dicébat quando a mórtuis jam resurréxerat: nondum erat passus, ventúrus erat ad crucem, ventúrus ad exhonoratiónem, ad contumélias, ad flagélla, ad spinas, ad vúlnera, ad insultatiónes, oppróbria, mortem. Quasi exasperáta est via: pigrum te facis, non vis sequi: Séquere. Nam quis non velit ire ad exaltatiónem? omnes deléctat celsitúdo, sed humílitas gradus est.

℟. Has ergo habéntes promissiónes, caríssimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritus; * Perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. ℣. Multa mihi fidúcia est apud vos; multa mihi gloriátio pro vobis, reminiscénti ómnium vestrum obediéntiam. Perficiéntes sacrificatiónem. Glória Patri. Perficiéntes sacrificatiónem.

Lectio ix. Ex Epist. 38.

Tolle crucem tuam et séquere Dóminum. Crux enim nostra quam Dóminus portári a nobis jubet, ut cum expeditíssimis sequámur, quid áliud quam mortalitátem carnis hujus signíficat? ipsa enim nos crúciat, donec absorbeátur mors in victóriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigénda est, et transfigénda est clavis timóris Dei, ne solútis et líberis membris reluctántem portáre non possis: sequi enim Dóminum, nisi eam portans, omníno non vales. Nam quómodo eum sequéris si non es ejus? qui autem Jesu Christi sunt, ait Apóstolus, carnem suam crucifixérunt cum passiónibus et desidériis.

Te Deum laudámus.

AD LAUDES

et per Horas.

Ant. 1. Domum tuam, Dómine, * decet sanctitúdo; ídeo diléxi decórem domus tuæ et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

2. Introíbo * portas Dómini in confessióne; átria ejus in hymnis: laudans nomen Dómini, quóniam ipse suávis est, et in ætérnum misericórdia ejus.

3. Benedícam te * in vita mea; in nómine tuo levábo manus meas, et circúmdabo altáre tuum, Dómine.

4 Sacerdótes Dómini, * benedícite Dómino; laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Ant. Fílii Sion * exúltent in rege suo: quia beneplácitum est ei in pópulo suo; et exaltábit mansuétos in salútem.

Capitulum. Sap. 4, 7-9.

Justus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit; senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número computáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta.

Hymnus.

Salve, Cremónæ glória,
Almíque Præses Ordinis,
Christi ácrior, quo púrior,
Crucis feréntis ássecla.

Corpus teris labóribus
Siti faméque et vérbere,
Jucúnda mundi ut sórdeant
Cæléstium famélico.

322

Jesu sapit nil dúlcius;
Jesu cruóre et cárnibus
Viges; volúptas est dape
Jesus recéptus mystica.
Hoc a profánis ávocans
Nutris Fidéles pábulo.
Te clárior recónditus
Deus refúlget áuspice.
Jesu, qui opíme sérvulos
Divíno alis convívio,
Tibi, Parénti et Flámini
Sæclum per omne glória. Amen.

℣. Mihi ómnium Sanctórum mínimo data est hæc grátia. ℟. Ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus: et quæ divítiæ glóriæ ejus in Sanctis.

Ad Benedictus Ant. Per víscera * misericórdiæ Dómini, adésto, Pater, clamántibus, et confórta nos; ut unánimes honorificémus Deum, et digne serviámus illi ómnibus diébus nostris.

Oratio.

Fac nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam, spíritu Pauli Apóstoli edíscere; qua beátus Antónius María mirabíliter erudítus, novas in Ecclésia tua Clericórum et Vírginum famílias congregávit. Per eúmdem.

AD TERTIAM.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. br. Benedíctio Dómini * Super caput justi. Benedíctio. ℣. Et memória ejus cum láudibus. Super caput. Glória. Benedíctio.

℣. Justus de angústia liberátus est. ℟. Et benedictióne justórum liberábitur cívitas.

AD SEXTAM.

Capitulum. Sap. 4. 10.

Placens Deo, factus est diléctus; et vivens inter peccatóres, translátus est: raptus est ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fíctio decíperet ánimam illíus.

℟. br. Justus de angústia * Liberátus est. Justus. ℣. Et benedictióne justórum liberábitur cívitas. Liberátus Glória Patri. Justus.

℣. Timor Dómini disciplína sapiéntiæ. ℟. Et glóriam præcédet humílitas.

AD NONAM.

Capitulum. Eccli. 15. 3.

Cibavit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum; et exaltávit illum apud próximos suos.

℟. br. Timor Dómini * Disciplína sapiéntiæ. Timor. ℣. Et glóriam præcédet humílitas. Disciplína. Glória. Timor.

℣. Mihi ómnium Sanctórum mínimo data est hæc grátia. ℟. Ut sciátis quæ sit spes vocatiónis ejus; et quæ divítiæ glóriæ ejus in Sanctis.

IN II. VESPERIS.

Ant. 1. Doctrínam * oris mei audíte, fílii; et qui custodíverit illam non períbit.

2. Disciplínam * in pace conserváte; et revertímini in his quæ procédunt de ore meo.

3. Mementóte * Præpositórum vestrórum qui vobis loquúti sunt verbum Dei; quorum intuéntes éxitum conversatiónis imitámini fidem.

4. Floréte flores * quasi lílium; et date odórem, et frondéte in grátiam benedicéntes Dómino.

5. Qui recti sunt * habitábunt in terra; et símplices permanébunt in ea.

Capitulum ut in Laudibus.

Hymnus.

Jam diu in terris peregrínus optas,
Angele, in sedes súperas revérti:
Géstiens sentis properántis horam
Mortis adésse.

Quo rapit mentem meditántis ardor,
Incipis rursus pátria beári.
Dæmonum fraudes, metuéndus, iras
Télaque spernis.

Pánditur cælum. Méritis onústum
Cælites una réducem precántur:
Sóspitem Paulus sóboli recénti
Te cupit esse.

Anxius sortem véritus tuórum
Lácrymas fundis: récreat timéntem
Te Deus, longo réserans futúros
Ordine casus.

Hinc vepres cernis, tríbulos, feráces
Inde flavéntis ségetes arístæ;
Vineam cernis tibi lætióre
Glíscere fœtu.
Mira circúmstant: ubi ridet aura
Grátior, late nítidos oléntes
Obstupes flores, quibus alma cæli
Invidet íris.
Obstupes, Paulo duce, concitátos,
Víndices Christi fídei, maníplos;
Hóstium temnis rábiem: sequétur
Bella triúmphus.
O Pater, lætus mórere: edocébit
Fílios virtus mémores patérna.
Tu modo, adscríptus súperis, secúnda
Omina firma.
Sit decus sanctæ Tríadi perénne:
Quæ suos donat fámulos corónis,
Nos frui tecum tríbuat beátæ
Múnere vitæ. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancte Antóni María. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnificat Ant. Réspice de cælo, Pater, * et vide et vísita víneam istam; et pérfice eam quam plantávit déxtera tua. Allelúja.

Oratio ut ad Laudes.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 22 Septembris 1897.
Concordat cum Originali adprobato. In fidem etc.

(L. ✠ S.)

Pro R. P. D. DIOMEDE PANICI *Secretario*
PHILIPPUS DI FAVA *Substitutus.*

V. Concordat cum exemplari a S. Rit. Congr. tradito.

Taurini, 27 Januarii 1898.

Sac. E. GONELLA *Rev. Archiep.*

V. Imprimatur.

Taurini, 28 Januarii 1898.

Can. EM. COLOMIATTI *Prov. Gen.*

TAURINI

TYPOGRAPHIA PONTIFICIA

PETRI MARIETTI

1898

(12 – 2 – 98)

C 9395.10 vol.2
Officia propria dioecesis Sancti-De
Widener Library 002999158
3 2044 081 835 050